Property of

CBF

Please return to

Graduate Theological

Union Library

THEOLOGIAE MORALIS

ELEMENTA

EX

S. THOMA

ALIISQUE PROBATIS DOCTORIBUS

TOUS DROITS RÉSERVÉS

THEOLOGIAE MORALIS

ELEMENTA

EX

S. THOMA

ALIISQUE PROBATIS DOCTORIBUS

COLLEGIT ORDINEQUE DISPOSUIT

A. J. J. F. HAINE

SANCTITATIS SUAE PRAELATUS DOMESTICUS,
ECCL. METROP. MECHL. CAN. HON.,
IN UNIV. CATH. LOVAN. S. THEOLOGIAE DOCTOR,
PONT. INS. « *Pro Ecclesia et Pontifice* » DECOR.,
ROM. ACAD. RELIG. CATH. SOCIUS,
S. FAC. THEOL. PROF. ORD. HON.

250.8
H15T2

#4428

TOM. III

EDITIO QUARTA

THEOLOGICAL
LIBRARY
O. F. M.
SANTA BARBARA
NO. 26,455

FRANCISCAN CONVENT, SANTA BARBARA, CAL.

LOVANII

Edidit CAROLUS FONTEYN, Bibliopola

VIA DICTA MARENGO, 18

ROMAE

APUD DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. EDITORES PONTIFICES

Via S. Chiara, 20-21

1900

Imprimatur

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap.

Magister

LOVANII, TYPOGRAPHIA E. CHARPENTIER

DE SS. EUCHARISTIA.

PRAEAMBULUM. « *Quemadmodum*, ait CATH. ROM., *ex omnibus sacris mysteriis, quae nobis tanquam divinae gratiae certissima instrumenta Dominus Salvator noster commendavit, nullum est, quod cum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento comparari queat; ita etiam nulla gravior alicujus sceleris animadversio a Deo metuenda est, quam si res omnis sanctitatis plena, vel potius quae ipsum sanctitatis auctorem et fontem continet, neque sancte neque religiose a fidelibus tractetur.... Ut igitur fidelis populus, cum coelesti huic sacramento divinos honores tribuendos esse intellexerit, et gratiae uberes fructus capiat et justissimam Dei iram effugiat, illa omnia a pastoribus diligentissime exponenda erunt, quae ejus majestatem magis illustrare posse videantur.* » Cum autem divina Eucharistia ad id solum instituta non fuerit, ut spiritualis alimonia foret hominibus, sed etiam ut Deo in perpetuum offerretur, sicque Sacramenti simul et Sacrificii rationem habeat, idcirco **duas** in partes hunc tractatum dividemus. **Prima** erit de Eucharistia, ut est *Sacramentum;* **secunda** de Eucharistia, prout est *Sacrificium*.

PARS PRIMA.

DE EUCHARISTIA UT SACRAMENTO.

CAP. 1. De quidditate, unitate, institutione, figuris ac diversis nominibus Eucharistiae.

Q. 1. *Quotupliciter* Eucharistia *spectari* possit?
R. *Dupliciter.*

Explanatur. Spectari potest : 1°) ut **sacramentum**, quod ordinatur ad hominum sanctificationem ; 2°) ut **sacrificium**, quod ad cultum Dei refertur. Et quoniam Eucharistia, ut *sacramentum*, non in sola actione transeunte consistit, sed habet esse permanens, ideo sub *duplici* iterum respectu considerari potest : nempe **in fieri**, seu in ejus confectione; et **in facto esse**, seu in ejus permanente exsistentia.

Q. 2. *Quid* sit SACRAMENTUM Eucharistiae?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Si consideretur **in fieri**, est : « *Sacramentum N. L. a C. D. institutum, in quo per verba consecrationis panis et vinum convertuntur in corpus et sanguinem Christi, remanentibus speciebus, ad spiritualem fidelium refectionem.* » 2°) Si consideretur **in facto esse**, est : « *Sacramentum N. L. a Christo institutum ad spiritualem fidelium refectionem, quod, sub speciebus panis et vini, continet corpus et sanguinem Christi.* »

Q. 3. *In quo* consistat *essentia* SACRAMENTI Eucharistiae?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Si consideretur **in fieri,** ejus *essentiam* constituunt : tum panis et vinum, tanquam *materia ex qua;* tum verba consecrationis, tanquam *forma*, dicente S. THOM. (p. 3, q. 90, a. 2) : « *Quodlibet sacramentum distinguitur in materiam et formam, sicut in partes* ESSENTIAE. » *Persona* autem *ministri* conficientis, ejusque *intentio* faciendi quod facit Ecclesia, licet ad *perficiendum* sacramentum necessario requirantur, non ingrediuntur tamen compositionem sacramenti, sed sunt quid sacramento *extrinsecum*, scilicet causa instrumentalis illius juxta dicta (tom. 2, pag. 377). 2°) Si consideretur **in facto esse,** essentiam ejus constituit *complexus* corporis et sanguinis Christi simulque specierum panis et vini ; seu, aliis verbis : ad *essentialem* hujus sacramenti constitutionem pertinent : tum species panis et vini, tum corpus et sanguis Christi : nam sine speciebus non esset signum sensibile; sine corpore et sanguine Christi non haberet rationem refectionis spiritualis et cultu latriae non posset adorari. Unde quoque S. THOM. (in 4, d. 8, q. 1, a. 1, q. ad 2) dicit : « *Ex speciebus et corpore Christi fit unum sacramentum.* » Ast utrum ex hisce duobus essentialibus constet *eodem* modo, an vero *diverso*, inter DD. *disputatur*. Juxta alios constat speciebus *in recto* et ut intrinsece constituentibus; corpore vero et sanguine Christi ut *in obliquo* et essentialiter connotato, eo modo quo objectum pertinet ad specificationem potentiae, et signatum ad speciem signi. Et hanc sententiam quae, teste BILL., « est *communior* inter Thomistas, » aperte tradit CATECH. ROM. inquiens : « *Ipsae autem panis et vini species veram et absolutam hujus nominis* [sacramenti] *rationem habent.* » Juxta alios, quos inter SUAR., VASQ., essentia eucharistiae *in recto* consistit aeque in speciebus ac

in corpore et sanguine Christi. « Utraque sententia est probabilis, » ait S. Lig. (VI, 190).

Resolvitur. Itaque essentiam Eucharistiae **in facto esse** constituunt non : 1°) *panis* vel *vinum*, quae non permanent ; sed sunt solummodo materia *ex qua* seu Eucharistiae conficiendae, sicut lignum vel alia res combustibilis est materia praerequisita ad construendum ignem, non tamen essentiam ignis constituens ; non 2°) *verba consecrationis*, cum sint actio transiens ; non 3°) Eucharistiae *sumptio*, quae non est nisi conditio necessaria ut sacramentum, quod jam exsistit, gratiam operetur ; non 4°) *solae species*, sine corpore vel sanguine Christi, saltem *in obliquo* : cum solae gratiam non conferant ; non 5°) *solum corpus* et *sanguis* Christi, cum non sint sensibilia.

Q. 4. *Quomodo* Eucharistia *differat* a ceteris sacramentis ?

R. *Differt* praesertim in hisce *quatuor*.

Explanatur. 1°) Ratione **dignitatis**, eo quod cetera solummodo vim conferendi gratiam continent, Eucharistia vero ipsum quoque gratiae auctorem. Unde quoque *fonti*, cetera *rivulis* comparantur juxta dicta (tom. 2, pag. 361 seq.). 2°) Quod cetera consistunt tantum in actione **transeunte** : Eucharistia vero etiam in re post actionem seu confectionem **permanente**. Unde in ceteris idem est *fieri* ac *esse* ; in Eucharistia aliud est *fieri*, aliud *esse*. 3°) Quod in sola Eucharistiae confectione materia non remanet, sicut in aliis, sed fit **transsubstantiatio** seu conversio totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem Christi, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini. 4°) Quod sola sacramenti Eucharistiae confectio includat oblationem **sacrificii**.

Q. 5. Eucharistia sitne *unum* sacramentum aut *plura* ?

R. *Sub distinctione*.

Explanatur. Vel loquimur de *unitate* **specifica**, vel de *unitate* **numerica**.—Si **primum** : hoc sacramentum est *unum* **specifice**, seu ut dicit S. Thomas (p. 3, q. 73, a. 2) : « *unum* formaliter *et* perfective. » « *Aliter enim*, ait Catech. Trid., *septenarius sacramentorum numerus constare non poterit*. » Itaque, licet ad confi-

ciendam Eucharistiam *materialiter* et *physice* duplex adhibeatur materia et duplex forma; et, ea confecta, duo maneant signa visibilia, scilicet species panis, quae corpus Christi, et species vini, quae sanguinem Christi significant; est tamen unum sacramentum *formaliter* et *perfective*, unitate significationis et finis. Est enim totum quoddam perfectum et constans partibus ad eumdem finem ordinatis, nempe ad spiritualem refectionem, quae habet proportionem cum refectione corporali, ad quam cibus et potus concurrunt.—Si **secundum** : utrum Eucharistia, sicut est unum *specifice*, ita etiam sit unum **numerice**, DD. *disputant*. Alii cum Vasq. **negant**, dicuntque tot esse numero distincta sacramenta, quot sunt species : quia, multiplicatis speciebus, multiplicantur signa rei sacrae. Alii **affirmant** cum De Lugo, dicuntque omnes species consecratas ubicumque et quomodocumque sint, esse unum numero sacramentum : quia unum et idem corpus Christi est sub omnibus speciebus. Alii **distinguunt** cum Bull., atque unitatem vel pluralitatem numericam desumunt a *morali conjunctione* specierum inter se. Unde docent, *unum* esse sacramentum, si plures hostiae includantur per modum unius in eodem vase aut altari, vel si unus consumat continuatim plures species; *plura* vero esse, si plures species sint, non per modum unius, in diversis vasibus aut altaribus; vel si plures ab eodem diversis vicibus consumantur. Quae sententia S. Lig. (VI, 190) « *probabilior* » apparet.

Q. 6. *Quandonam* Eucharistia fuerit *instituta?*

R. 1°) Hoc sacramentum; cujus institutionem antea solemniter promiserat, cum esset Capharnaum, post multiplicati panis miraculum, Christus instituit in *ultima* coena, « *in qua nocte tradebatur*, » ut dixit Apost. (I Cor. XI, 23).

Explanatur. Hujus facti **tres congruentias** profert S. Thom. (p. 3, q. 73, a. 5) : 1°) Quia conveniebat, ut tunc, cum Christus in propria specie a discipulis recessurus erat, se ipsum ad solatium in sacramentali specie reverendum exhiberet. 2°) Conveniens fuit, ut imminente passione, celebrato priori sacramento agni paschalis, quod erat illius passionis praefiguralivum, loco istius novum instituerel, quod est ejusdem passionis rememorativum; sine enim fide passionis Christi nunquam potuit esse salus secundum illud (Rom.

III, 25) : « *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* » 3°) Ea quae ultimo dicuntur et fiunt praesertim ab amicis recedentibus magis memoriae commendantur, quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos; ea vero ad quae magis afficimur, profundius animo imprimuntur. Ut ergo hujus sacramenti altitudo magis commendaretur et profundius cordibus et memoriae apostolorum infigeretur, conveniens fuit, ut in ultimo ab eis discessu illud institueret.

R. 2°) Interim *qua die* illam coenam habuerit, *disputatur* inter GRAECOS et LATINOS.

Explanatur. GRAECI, ut fermentati panis usum tueantur, contendunt, Christum ultimam coenam celebrasse praeveniendo una die solemnitatem paschalem, eo quod Judaei pascha feria sexta manducaverint, Christus autem quinta. LATINI vero dicunt, Christum pascha celebrasse die 14 mensis lunaris Nisam exeunte, h. e. feria quinta ad vesperam, quando incipiebat paschalis solemnitas, quae celebrabatur luna 15, i. e. die sequenti, feria sexta, qua Dominus crucifixus est. Hanc sententiam dilucide, pro more suo, probat BILL.

Scholion. Verisimilius est Christum **triplicem coenam** pridie mortis habuisse. **Primam** : *legalem* in qua comedit agnum paschalem cum ritibus praescriptis (EXOD. XII). **Secundam** : *communem* seu *usualem;* et post hanc juxta probabiliorem sententiam, quam cum S. AUG. et S. THOM. sequuntur communiter DD., videtur lavisse pedes discipulorum (JOAN. XIII, 4 seq.) : « *Surgit a coena... deinde mittit aquam in pelvim et coepit lavare pedes discipulorum.* » Dixi : *juxta probabiliorem sententiam;* non enim desunt aliqui putantes lotionem pedum locum habuisse ante coenam paschalem; alii vero, quos inter BEEL., eam peractam fuisse post Eucharistiae institutionem. **Tertiam** : *sacramentalem* seu *eucharisticam*, ita ut post lotionem pedum, « *cum recubuisset iterum,* » ut dicitur (JOAN. XIII, 12), instituerit hoc sacramentum. Unde dum dicitur Eucharistiam instituisse in ultima coena, sensus est, in coenae illius conclusione : « *Post agnum typicum, expletis epulis* », ut ex S. THOM. canit Ecclesia in hymno « *Sacris solemniis.* » Utrum vero, ut per transennam dixerim, **Judas** adfuerit institutioni Eucharistiae adeoque e manibus Christi communicaverit, inter DD. *disputatur.* Alii, quos

inter Bill. et Thomistae communiter, **affirmant** cum S. Thom., juxta dicta (tom 2, pag. 410). Ita quoque SS. Hieron., Cyrill. Hieros., Aug., Cyrill. Alex., Chrysost., Leo, multique interpretes. Nec parum suffragatur id quod canit Ecclesia : « *Cibum turbae duodenae se dat suis manibus.* » Alii, praesertim recentiores, **negant** cum Salmeron. Ita quoque S. Hilar., Rupert., S. Aphraates Syrus, Constit. Apost. et Innoc. III qui, nondum pontifex, proposito dubio : « *Utrum* Judas *cum aliis acceperit Euch.?* », et expositis utrimque argumentis, scribit : « *Quid ergo est nobis in hoc casu tenendum? Illud forte sine praejudicio aliorum quod* Joannes *insinuat, quia cum* Judas *accepisset buccellam panis, exiit continuo; erat enim nox. Christus autem post alios cibos tradidit Eucharistiam.* » **Existimaverim** argumenta *negantis* sententiae non esse tanti ponderis, ut recedendum sit a sententia *affirmativa* S. Thom., quam et tradunt *communiter* antiqui. Cfr. Bill.

R. 7. *Quos* in *fines* Christus Eucharistiam *instituerit?*

R. 1°) Ut daret pignus : tum infiniti sui amoris, quo *usque in finem* fideles suos *dilexit*, et nunc diligit; tum futurae nostrae gloriae. 2°) Ut, in specie visibili discessurus, semper in sacramento vere remaneret nobiscum. 3°) Ut memoriale tum mirabilium suorum, tum beneficiorum ac maxime suae Passionis nobis relinqueret. 4°) In sacrificium perpetuum Novae Legis. Cfr. Trid. (sess. XIII *de Euch.* cap. 2 et sess. XXII *de Sacrif. miss.* cap. 1).

Q. 8. *Quid* in Euch. sit *sacramentum tantum; quid* vero *res tantum; quid* denique *sacramentum simul et res?*

Praenotandum. Solent TT. ex S. Thom. juxta dicta (tom. 2, p. 388 seq.) in sacramentis N. L. distinguere haec **tria** : **1°**) *sacramentum tantum*, i. e. aliquid quod significat et non significatur; **2°**) *rem tantum*, i. e. aliquid quod significatur et non significat; **3°**) *sacramentum simul et rem*, i. e. aliquid quod significat et significatur.

R. Ex S. Thoma (p. 3, q. 73, a. 6) in Eucharistia *Sacramentum tantum* est «panis et vinum» i. e. materia ex qua seu ejusdem species : quia significant corpus et sanguinem Christi et gratiam, cum ipsae species non significentur. *Res*

tantum est effectus hujus sacramenti, i. e. gratia sanctificans, quia significatur et non significat. *Sacramentum simul et res* est corpus Christi et sanguis, quia significat gratiam et significatur a speciebus consecratis.

Q 9. Quaenam fuerint Eucharistiae *figurae?*

R. *Triplicis* generis distingui possunt.

Explanatur. 1°) Ratione **materiae ex qua et specierum,** seu si spectetur id quod est *sacramentum tantum*, Eucharistiam figurarunt in V. L. : panis et vinum in sacrificio Melchisedech ; panes primitiarum, qui in gratiarum actionem offerebantur; panes propositionis, quibus soli homines mundi et sanctificati vescebantur. In N. L. figurarunt : mutatio aquae in vinum et duplex multiplicatio panum. 2°) Ratione **effectus seu gratiae,** seu si consideretur *res tantum*, figurae fuerunt : lignum vitae, quod plantaverat Deus in paradiso quasi pharmacum immortalitatis; panis subcinericius, quem cum surrexisset comedit Elias, et in cujus fortitudine ambulavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb; hydria farinae (3 Reg. XVII), quae non exhauriebatur, sicut Christus in Euch. manducatus non consumitur; demum, prae ceteris omnibus, manna de coelo descendens in deserto, quod habebat in se omnis saporis suavitatem. 3°) Ratione **rei contentae,** i. e. corporis et sanguinis Christi pro nobis passi, seu si consideretur *sacramentum simul et res,* figurae ejus fuerunt : omnia sacrificia V. T., unde Christus dicitur (Apoc. XIII, 8) : « *Agnus qui occisus est ab origine mundi* » ; praesertim vero sacrificium expiationis, quod erat solemnissimum, in quo immolabantur duo arietes in holocaustum, vitulus pro peccato sacerdotis et hircus pro peccato populi (Lev. XVI).

Resolvitur. Unde, docente S. Thom. (p. 3, q. 73, a 6), praecipua figura Eucharistiae est **Agnus paschalis,** quippe praefatis modis simul omnibus ipsam repraesentat : et quantum ad id quod est *sacramentum tantum*, quia manducabatur cum panibus azymis ; et quantum ad id quod est *res tantum*, seu quoad effectum, quia per sanguinem *Agni paschalis* protecti sunt filii Israel a devastante Angelo et educti de servitute Aegyptiaca ; et denique ad id quod est *sacramentum simul et res*, quia immolabatur ab omni multitudine

filiorum Israel decima quarta luna, sicque erat figura Christi, qui velut Agnus innocens occisus et immolatus est a Judaeis circa illud tempus.

Q. 10. Dic : 1°) *Undenam* sit *nomen* Eucharistiae, et 2°) *quomodo* illud sacramentum adhuc *vocetur?*

R. Ad 1^{um}) Eucharistiae nomen a voce *graeca* derivatur, qua significatur *bona gratia* seu *gratiarum actio*.

Explanatur. Dicitur : **bona gratia**, quia et gratiam eximiam confert, et Auctorem gratiae continet, et vitam aeternam, quae dicitur ab Apost. (Rom. VI, 23) gratia, significat; **gratiarum actio**, quia Christus instituens hoc sacramentum gratias egit Deo Patri, et quia quotidie, cum consecratur, gratiae aguntur Deo pro omnibus beneficiis acceptis ac maxime pro institutione hujus sacramenti.

R. Ad 2^{um}) Variis adhuc nominibus insignitur.

Explanatur. 1°) Ab **actione**, per quam conficitur, dicitur *eulogia* seu *benedictio*, juxta illud (1 Cor. X, 16) : « *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* » Item appellatur *sacrificium* et *hostia*, quia in ejus confectione Christus Patri offertur et ut victima immolatur. 2°) A **materia ex qua** conficitur, vocatur *panis vitae, panis qui de coelo descendit*; *panis angelorum*; *panis supersubstantialis*. 3°) A **re quam continet**, et qua ceteris sacramentis dignitate praestat, dicitur *corpus Domini; sacramentum corporis et sanguinis Christi; sacramentum sacramentorum; sacramentorum omnium consummatio; venerabile, sanctissimum et admirabile sacramentum*; seu, simpliciter et absolute per antonomasiam, *mysterium* et *sacramentum*. 4°) A **tempore** institutionis, dicitur *coena dominica; pascha*, quia Christus eam instituit tempore paschatis; item *sacramentum novi testamenti*, quia paulo ante mortem hoc amoris sui pignus nobis legavit. 5°) A **loco**, in quo instituta est et hodiedum confici solet, vacatur *mensa Domini, sacramentum altaris*. 6°) A **suscipientibus** vocatur *communio* seu *synaxis*, i. e. congregatio, collectio seu adunatio; tum quia fideles congregati Eucharistiam simul sumebant, tum quia per hanc participationem cum Christo uniuntur et inter se communi charitatis

vinculo colliguntur, juxta axioma : « *quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* » Hinc quoque dicitur *agapa* sive dilectio : quia est fraternae charitatis symbolum. Agapae enim apud veteres erant convivia ecclesiastici conventus, post peractam Eucharistiae celebrationem habita, et eo fine instituta, ut per illa foveretur inter christianos mutua dilectio atque inde pauperes juvarentur. 7°) Ab **effectibus**, quos producit in suscipientibus non ponentibus obicem, vocatur : **A**) *sacramentum gratiae* et *gratia salutaris* ; **B**) *convivium*, quia per modum cibi et potus animam replet et satiat ; **C**) *antidotum*, quo praeservamur a peccatis mortalibus et liberamur a culpis quotidianis ; **D**) *viaticum*, quo nomine duo intelliguntur : pecunia itineri impendenda, et coena ad quam invitatur amicus mox profecturus ; utrumque autem Eucharistiae convenit : est enim pecunia spiritualis, quo emimus quae nobis necessaria sunt ad iter perficiendum ad coelestem patriam, et datur fidelibus continuo discessuris e vita.

CAP. 2. De credendis circa naturam Eucharistiae sacramenti. Ubi de Praesentia reali, Transsubstantiatione aliisque huc spectantibus.

Q. 11. *Quaenam* circa *naturam* Eucharistiae sacramenti de fide divina et catholica sint *tenenda?*

R. 1°) Tenendum est : A) Consecratione peracta, « *in SS. Eucharistiae sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate D. N. J. C., ac proinde totum Christum.* » Constat ex Trid. (sess. XIII *de Euch.* can. 1).

Explanatur. Dicitur : 1°) **vere** ; i. e. non in signo, in figura, in imagine, ut contendebant Sacramentarii, qui exstinctam Berengarii haeresim renovarunt saec. XVI, quorum praecipui fuerunt : Carlostadius, archid. Wittenberg., Swinglius, Tigurinus pastor, Oecolampadius et Bucerus, ambo monachi apostatae. Dicitur : 2°) **realiter** ; i. e. non tantum *objective* per fidem, ut contendebat Calvinus, docens Christum non esse praesentem a parte rei, sed secundum quod fide apprehenditur. Dicitur : 3°, **substantialiter** ; i. e. non *accidentaliter* seu per virtutem a Christo diffusam, ut docuit idem Calvinus,

dicens Corpus Christi esse in coelo tantum, in Eucharistia vero per efficaciam a Christo diffusam, sicut sol substantialiter est in firmamento, in terra vero secundum calorem et claritudinem.

Resolvitur. Praeter illud quod in sacramento Eucharistiae contineatur *vere*, *realiter* et *substantialiter* corpus et sanguis una cum anima et divinitate D. N. J. C.; cetera a scholasticis disputata, quod **ad modum exsistendi** attinet, fidei doctrinam non attingunt. Solum id dici potest, Christum in Eucharistia non esse praesentem secundum *naturalem* exsistendi modum, ut innuit Trid. (sess. XIII, *de Euch.* cap. 1) inquiens : « *Nec enim haec inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in coelis assideat*, JUXTA MODUM EXSISTENDI NATURALEM; *et ut multis nihilominus aliis in locis* SACRAMENTALITER PRAESENS SUA SUBSTANTIA *nobis adsit, ea exsistendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus et constantissime credere debemus.* »

Scholion. *Realem* Christi in Eucharistia **praesentiam,** ut breviter heic adnotaverim, dogmatici probant : 1°) Ex **S. SCRIPTURA.** Ibi enim Christus corpus suum in cibum et sanguinem in potum **promisit** se nobis daturum vere, realiter ac substantialiter sub speciebus panis et vini, et hanc suam promissionem opere **adimplevit.** Et quidem de **promissione** constat (Joan. VI, 52 seqq.). Christus enim promittens hoc sacramentum dicit : « *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita ;* » significans, carnem suam *vere* dandam per modum cibi, non in signo tantum et figura : quia opponit illam mannae, quod erat hujus sacramenti figura. Dicit enim : « *Non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* » Designat etiam, carnem suam *realiter* dandam et non solum fide : quia loquitur de re nondum facta, sed futura; manducatio autem spiritualis per fidem et tunc erat, et etiam fuerat sub veteri lege; nec alias debuisset distinguere inter cibum et potum spiritualem, dicendo : « *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* » Similiter non significat, carnem suam dandam sola virtute et energia, sed *substantialiter*, ut colligitur ex eo quod, audito Christi sermone, non solum Judaei litigaverint dicentes : « *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandam?* » sed etiam disci-

puli ipsi, quamvis erga Christum propensi, murmurantes dixerint : « *Durus est hic sermo ; et quis potest eum audire?* » Christus autem, qui consuevit falsam suorum auditorum corrigere interpretationem et sua obscura verba explicare, heic non solum intellectum judaeorum non corrigit, sed potius velut incredulitatem eorum redarguens mortem minatus est, dicendo : « *Amen, amen dico vobis : nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* » Similiter admirationem et offendiculum discipulorum non solum non sustulit, sed dicta sua confirmat, provocando ad miraculum futurae suae ascensionis, inquiens : « *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* » Idque facit, sive ut miraculum ejus ascensionis sit velut argumentum divinae suae auctoritatis in docéndo sicque una res mirabilis alteram similiter mirabilem roboret ; sive, prout volunt alii cum S. Chrys., ut difficultatem nedum emolliat, potius eam augeat, quasi diceret : Hoc vos scandalizat? Quanto magis eritis scandalizati cum, per ascensionem meam, carnem illam meam quam ab omnibus sumendam praecipio non amplius videbitis, nec visibiliter habebitis. Praeterea cum, iis omnibus auditis, « *multi discipulorum ejus abierunt retro,* » Christus eos non solum non revocat, sed alios alloquens interrogat : « *Numquid et vos vultis abire?* » Nec dicatur Christum promissionem suam explicasse de spirituali manducatione, dicendo : « *Spiritus est qui vivificat ; caro non prodest quidquam.* » Haec enim dixit ad excludendum carnalem intelligendi modum seu manducationem cruentam, quasi corpus ejus in propria sua specie foret dentibus premendum et in frusta dividendum juxta illud S. Aug. (Tract. 27 in Joan.) : « *Non prodest quidquam caro ; sed quomodo illi intellexerunt? Carnem quippe intellexerunt quomodo in cadavere dilaniatur aut in macello venditur.* » Accedit finaliter quod S. Joannes qui, quoties refert aliquod obscurum Christi effatum, toties illud explicat, ut fecisse legitur (11, 19 et 21) ; nihil simile hoc loco fecerit. Ergo, ut liquet ex dictis, Christus corpus suum in cibum et sanguinem suum in potum *promisit* se nobis daturum vere, realiter et substantialiter. Quod vero hujus promissionis **adimpletionem** attinet, de ea constat ponderando verba quibus Christus Eucharistiam instituit : (Matth. XXVI, 29 seqq. ; Marc. XIV, 22 seqq. ; Luc. XXII, 19 seqq. ;

1 Cor. XI, 23 seqq.). Quae verba, si in sensu naturali et obvio intelligantur, evidenter important veram, realem ac substantialem praesentiam corporis et sanguinis Christi in Eucharistiae sacramento. Atqui sic intelligi debent. Nam **A**) datur corpus *tradendum* et sanguis *effundendus;* ergo vere, realiter et substantialiter praesens. Quis enim dixerit in passione Christi tantum traditam fuisse imaginem corporis Christi, aut tantum effusam figuram sanguinis? **B**) Christus condebat testamentum suum, quod claris et propriis verbis constare debet, ne loco v. g. domus legatae detur figura domus. **C**) Instituebat rem in qua periculosissime erratur. **D**) Agebat ibi familiariter cum discipulis quibus ut dicitur (Matth. XIII, 11) : « *Datum est nosse mysteria regni coelorum;* » solebatque obscuriora explicare. **E**) S. Paulus (*l. c.*) praesentiam realem ita adstruit, ut concludat indigne communicantes esse reos corporis et sanguinis Domini : « *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* » Sed, ut argumentatur S. Bonav., qui sumit indigne signum corporis Christi, judicium sibi non manducat : alias qui in peccato exsistens proferret hanc vocem *Jesus*, judicium sibi manducaret seu peccaret mortaliter, cum illa vox non tantum sit signum corporis Christi, sed totius Christi. **F**) Est regula S. Aug. (*de doct. Christ* l. III, c. 10) apud omnes accepta : Scripturam esse intelligendam in sensu proprio, nisi obstet Scriptura aut Traditio *contraria*, aut evidens sequatur absurditas. Quorum nullum hic invenitur : cum in sensum proprium conspirent evangelistae cum S. Paulo, sitque sensus iste consentaneus Traditioni ac divinam bonitatem, sapientiam ac potentiam maxime commendet.

Probant 2°) ex **TRADITIONE**, cujus testes sunt : tum Concilia; tum Liturgiae utriusque Ecclesiae tam orientalis quam occidentalis; tum Acta martyrum et ethnicorum calumniae quibus christianos accusabant quod ipsi carne humana et sanguine vescerentur in suis conventibus; tum denique scripta SS. Patrum. Neque enim vel semel de verborum obscuritate conqueruntur; vel lectores auditoresque monent, ut sibi ab obvio ac litterali sensu caveant et metaphoricum sectentur; imo ingeminant credendum id esse quod verba simpliciter proferunt, scilicet non typum corporis ac sanguinis Christi, sed ipsummet ejus sanguinem ac carnem nobis

praeberi quam traxit ex Virgine; edicunt dubitationes ex sensibus obortas quam longe arcendas esse; scribunt ad confirmandam fidem recoli animo oportere divinam omnipotentiam quae in creatione, in editis miraculis ac in Incarnatione tantopere eluxit; exclamationibus altitudinem mysterii amplificant; docent Christum, dum hoc sacramentum instituit, semetipsum portasse; statuunt Eucharistiam dici atque esse corpus Christi ipsumque Christum ibi videri, tangi et comedi; denique decretoriis sententiis edocent hoc sacramentum cultu latriae esse adorandum.

Probant 3°) ex **PRAESCRIPTIONE** seu *continua possessione*. Etenim cum saeculo XI Berengarius et saeculo XVI Sacramentarii exorti sunt, universa Ecclesia manifeste credebat realem Christi in Eucharistia praesentiam, ut constat ex universali reprobatione quae tunc temporis explosit contra hujusmodi haeresiarchas. Atqui anterioribus saeculis idem dogma in fidem Ecclesiae non transiit per mutationem *simultaneam* seu *sensibilem* cum nulla exstent hujus mutationis vestigia, nec auctor, nec locus, nec tempus, quo facta fuisset, assignari possint. Nec etiam transiit per mutationem *successivam* seu *insensibilem*, cum in re tanti momenti, ad religionis cultum vulgarem et practicum pertinente, mutatio aliqua fieri nequivisset, quin motus excitati fuissent, controversiae obortae, scripta in vulgus sparsa, quorum tamen omnium altum silentium tenent historici. Ergo istud dogma Ecclesia semper tenuit illudque a Christo et Apostolis accepit juxta regulam S. Aug. (tom. 2, p. 339 seq.).

R. 2°) Tenendum est : B) Peracta consecratione, «*in venerabili sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie et sub singulis cujusque speciei partibus*, separatione facta, *totum Christum contineri.*» Constat ex Trid. (*ibid.* can. 3).

Explanatur. Dicitur : **separatione facta**; unde, quod totus Christus etiam sit praesens sub qualibet parte specierum *ante separationem*, non est de fide, cum Ecclesia id non definiverit. Videtur tamen *theologice* certum : si enim continetur sub singulis partibus post divisionem, debet sub iis etiam esse praesens ante divisionem, non enim fit praesens per fractionem, sed per consecrationem. Non ideo tamen sequitur, Christum in una hostia indivisa pluries exsis-

tere; sed sicut anima est tota in toto corpore et tota in singulis partibus, ita Christus una et eadem praesentia est totus in tota hostia, et totus in singulis ejus partibus. Interim, quamvis sub qualibet specie et sub singulis cujusque speciei partibus *totus Christus* sit praesens, non tamen quaecumque sunt Christi *eodem modo* esse **incipiunt** in Eucharistia. Nam 1°) docente Trid. (sess. XIII *de Euch.* cap. 3) : « *Corpus Christi est sub specie panis, et sanguis sub specie vini*, **ex vi verborum** ; » i. e. *per se*, seu, ut dicit S. Thom. (p. 3, q. 76, a. 1), « *vi sacramenti* » : verba enim formae in sacramentis illud tantum efficiunt quod significant. 2°) « *Ipsum autem corpus est sub specie vini et sanguis sub specie panis, animaque sub utraque specie* **vi naturalis illius connexionis et concomitantiae**, *qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur.* » 3°) « *Divinitas porro, propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima* **hypostaticam unionem,** » seu, ut loquuntur TT., per **concomitantiam supernaturalem** etiam praesens est sub utraque specie. Tandem 4°) per **circuminsessionem,** seu perfectissimam inhabitationem unius personae divinae in alia, qua propter identitatem in eadem numero natura Pater est in Filio et Spiritu Sancto; Filius in Patre et Spiritu Sancto, et Spiritus Sanctus in Patre et Filio; in Eucharistiae sacramento una cum Christo tota adest *SS. Trinitas*, ita ut, si per impossibile Pater et Spiritus Sanctus non essent ubique, forent tamen hac ratione in hoc sacramento.

Resolvitur. Ex dictis colligitur, quod si Apostoli **in triduo mortis Christi** consecrassent, sub specie panis fuisset corpus sine sanguine et anima, et sub specie vini sanguis sine corpore et anima ; sub singula tamen specie fuisset divinitas, quia quod Verbum hypostatice assumpsit, nunquam dimisit ; imo adfuisset tota Trinitas.

R. 3°) Tenendum est : C) Peracta consecratione, in sacramento Eucharistiae Christum esse praesentem non tantum *in usu*, i. e. in actuali manducatione, ut docuit Luther, sed *modo permanente*, usque dum consumptae fuerint species. Constat ex Trid. (sess. cit. can. 4) : « *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiae Sacramento non esse corpus et sanguinem D. N. J. C., sed*

tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post, et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, anathema sit. »

Explanatur. Itaque ad differentiam omnium aliorum sacramentorum, quae dicuntur **transeuntia** : quia tunc solum sunt sacramenta quando conficiuntur et applicantur; hoc tantum Eucharistiae sacramentum dicitur **permanens** : quia consistit in re permanente; et sic corpus Christi post consecrationem exsistens sub specie panis est vere et proprie sacramentum, sive sumatur, sive in sacrario servetur.

Resolvitur. Hinc sequitur et **fide quoque tenendum est** : « *Christum in Eucharistiae sacramento cultu latriae etiam externo adorandum esse; festiva celebritate venerandum; in processionibus solemniter circumgestandum; publice, ut adoretur, populo proponendum; sacram Eucharistiam non statim post consecrationem adstantibus necessario esse distribuendam, sed posse in sacrario reservari et ad infirmos honorifice deferri,* » ut totidem fere verbis definit TRID. (sess. XIII, can, 6-7).

R. 4°) Tenendum est : D) Per consecrationem panis et vini fieri *conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem Christi*, ita ut non remaneat substantia panis et vini una cum corpore et sanguine D. N. J. C., sed *maneant duntaxat species panis et vini*; quam quidem mirabilem et singularem conversionem catholica Ecclesia aptissime TRANSSUBSTANTIATIONEM appellat. Constat ex TRID. (sess. XIII, can. 2)

Explanatur. Dogma **transsubstantiationis,** quod CONC. TRID. (sess. XIII, cap. 4) infert ex ipsis verbis *consecrationis*, definitum est contra LUTHERANOS, quorum alii, et quidem communiter, volunt, Christum esse praesentem per *consubstantiationem*, et ideo vocantur CONSUBSTANTIATORES, quasi corpus Christi in Eucharistia conjungatur simul cum substantia panis, absque tamen unione hypostatica; alii per *impanationem*, et ideo vocantur IMPANATORES, quasi Verbum in Eucharistia sibi assumeret panem et vinum hypostatice, sicut assumpsit humanitatem in incarnatione; ita ut verba :

« *Hoc est corpus meum* » forent in *prima* hypothesi horum synonyma : *est hic corpus meum simul cum immutato elemento panis ;* in *secunda* vero hypothesi hunc sensum haberent : *Hic panis per unionem hypostaticam est corpus meum.* Errant, ut patet, Lutherani ; sive sint **A) consubstantiatores** : quia dum Christus Eucharistiam conficiens dixit : « *Hoc est corpus meum,* » panis mentionem nullam fecit ; praeterea in eorum sententia Christus debuisset dicere : *cum*, aut *sub*, aut *in* hoc pane est corpus meum ; sive sint **B) impanatores** : cum, ut recte argumentatur Bull., « etiam supposita unione hypostatica Verbi ad panem, non verificarentur haec verba : « *Hoc est corpus meum* ; » quia vel intelliguntur de corpore *panaceo*, vel de corpore *carneo*. Non de corpore *panaceo* ; quia subjungit Evangelista : « *Quod pro vobis tradetur ;* » non autem corpus panaceum, sed carneum fuit nobis traditum. Non de corpore *carneo ;* quia quando duo uniuntur in uno supposito, licet utrumque praedicetur de supposito, ut homo est Deus, Deus est homo, id est suppositum habens humanitatem est Deus et suppositum habens divinitatem est homo, quod verum est ; neutrum tamen praedicatur de altero ; sic licet Verbum assumpserit corpus et animam, non potest dici, quod anima sit corpus et e converso. Ergo similiter non posset etiam in hac hypothesi dici, hoc seu panis est corpus Christi carneum. » Nec refert, SS. Eucharistiam, etiam post consecrationem, saepe vocari *panem* : ita enim vocatur, non quod substantia panis remaneat, sed vel ratione specierum quae remanent ; vel ratione materiae conversae in corpus Christi ; vel quia naturalem nutriendi corporis vim, quae propria est panis, adhuc retinet ; vel quia est panis spiritualis reficiens animam. Et hoc quidem Transsubstantiationis dogma seu « *mirabilis et singularis conversionis totius substantiae panis in substantiam corporis Christi D. N., et totius substantiae vini in substantiam sanguinis ejus, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini,* » est **dogma peculiare et distinctum** ab aliis, quae Ecclesia circa Eucharistiam credenda proponit. Quare Pius VI in Const. « *Auctorem fidei* » merito damnavit propositionem 29 Synodi Pistoriensis, quae tradit plenam fidei doctrinam de Eucharistia haberi : « *profitendo dogma de reali Christi praesentia et cessatione substantiae panis ac vini, solis remanentibus speciebus.* »

Scholion. Circa TRANSSUBSTANTIATIONEM placeat haec ulterius adnotare. 1°) Fuere inter catholicos existimantes illud dogma explicari posse hac ratione : « Quod corpus Christi, dum fit substantialiter praesens in Eucharistia, sustentat *naturam panis*, quae hoc ipso et absque alia sui mutatione desinit esse *substantia*, quia jam non est *in se* sed in alio sustentante; adeoque manet quidem *natura panis*, sed in ea cessat formalis ratio *substantiae;* et ideo non duae sunt substantiae, sed una sola, nempe corporis Christi. Igitur in Eucharistia manent materia et forma elementorum panis; verum jam in alio supernaturaliter exsistentes rationem substantiae non habent, sed habent rationem *supernaturalis accidentis*, non quasi ad modum naturalium accidentium afficerent corpus Christi, sed eo dumtaxat quod a corpore Christi modo, quod dictum est, sustentantur. » Verum ad **postulatum** Praepositi Generalis S. J., utrum tolerari possit hujusmodi explicatio, CONGR. S. OFF. (17 Jul. 1875) **respondit** : « *Doctrinam* TRANSSUBSTANTIATIONIS, *prout hic exponitur*, **tolerari non posse.** » — 2°) Docet autem S. THOM. (p. 3, q. 75, a. 7) TRANSSUBSTANTIATIONEM fieri « **in instanti** ; » sic nimirum ut in fine prolationis formae desinat statim substantia panis et vini, et praesens sit corpus et sanguis Christi, ita ut primum instans non exsistentiae panis sit primum instans praesentiae corporis Christi.—3°) Interim DD. *disputant* circa **naturam actionis**, per quam panis et vinum in corpus et sanguinem Christi convertuntur : an scilicet, ex parte termini *a quo*, actio illa sit *annihilatio* panis et vini; ex parte vero termini *ad quem*, an sit actio *adductiva* corporis et sanguinis Christi, an *creativa*, an *unitiva*, an potius *reproductiva*, quatenus idem corpus et sanguis Christi, quae sunt in coelo et ibidem manent, hic singulari modo sub speciebus sacramentalibus exsistere incipiunt et producuntur. — 4°) Similiter, quamvis de fide sit, manere post consecrationem *species* panis et vini, i. e. qualitates externas seu accidentia, ut sunt color, odor, sapor, quantitas, figura, etc., libere tamen *disputatur* de **natura harum specierum** : utrum scilicet sint accidentia *vera* et *physica*, *realiter* ex parte objecti exsistentia; an tantum *apparitiones* seu *similitudines* accidentium, vel sensuum *modificationes* a Deo factae. Communius DD. cum S. THOM. (p. 3, q. 77, a. 1) docent, esse accidentia *vera*, quae sola divina virtute

sine subjecto exsistunt, ideoque ea vocant *absoluta*. Quam sententiam etiam amplectitur Catech. Rom. Dici interim nequit Ecclesiam id definivisse, proscribendo in Conc. Const. hanc Wicleffi propositionem sub. 2 : « *Accidentia panis non manent sine subjecto ;* » cum haec propositio damnata fuerit dumtaxat in sensu Wicleffi, qui per eam intelligebat accidentia non manere sine subjecto, quod sit panis aut vinum. Observat tamen S. Th. (*ibid.* a. 2), solam *quantitatem* exsistere sine subjecto ; *cetera* vero accidentia subsistere in quantitate, tanquam in subjecto immediato.—5°) Praeterea docent DD. cum eodem Angelico (*ibid.* a. 3-7) **species in Eucharistia remanentes** id omne agere et pati posse, quod possit agere et pati substantia panis et vini, si adhuc adesset. Sic v. g. sumptae nutriunt, alterantur, corrumpuntur ; et quoniam « *corruptio unius est generatio alterius,* » hinc ad earum corruptionem alia generantur. Hujusmodi tamen actiones et passiones non afficiunt corpus vel sanguinem Christi, sed limitantur ad ipsas species, et sic v. g. fractis speciebus panis, non frangitur corpus Christi. Quod sic diserte exprimit S. Thomas in hymno Lauda Sion : « *Nulla rei fit scissura ; signi tantum fit fractura, qua nec status nec statura signati minuitur.* »—6°) Quod autem Christus non in propria sua specie, sed sub alienis speciebus dederit nobis corpus et sanguinem suum, **rationes** tradit S. Thom. (p. 3, q. 75. a. 5) : « Primo quidem *quia non est consuetum, sed horribile, carnem hominis comedere et sanguinem bibere, et ideo proponuntur nobis caro et sanguis Christi sumenda sub speciebus illorum quae frequentius in usum hominis veniunt, scilicet panis et vini.* Secundo *ne hoc sacramentum ab infidelibus irrideretur.* Tertio *ut dum invisibiliter corpus et sanguinem Domini nostri sumimus hoc proficiat ad meritum fidei.* »—7°) Tandem quod sedulo observandum est, hujusmodi species nihil officiunt **venerationi** Eucharistiae : non enim illae venerantur nisi cultu *relativo* ad Christum, in quantum sub eis continetur. Unde calumniatur Calvinus, dum catholicos *artololatras* appellat. Nec catholicis, dum Christum speciebus eucharisticis velatum venerantur, majus idololatriae periculum imminet quam Magis ipsum fasciis involutum in praesepio adorantibus, praesertim cum substantiam panis et vini a sacramento excludant. Sicut igitur rex vestitus honoratur cum veste, non separando vestem a rege, licet tota ratio-

honorandi sit in rege; sic totum hoc sacramentum adoratur per modum unius, licet tota ratio adorandi sit ipsa res contenta.

Q. 12. Cum aliquando in Sacramento Eucharistiae apparuisse legatur *carnem, sanguinem* aut *puerum*, petitur : 1°) an sit *vere* ibi caro, sanguis aut corpus Christi; 2°) an in casu Christus maneat *sacramentaliter*; 3°) quomodo se gerere debeat *celebrans*, cui talis apparitio contingeret?

R. Ad 1^{um}) Communius tenent DD. cum S. Thom. (p. 3, q. 77, a. 8) non esse carnem, aut sanguinem aut corpus Christi, sed esse aliam substantiam divinitus productam.

Explanatur. Ratio asserti est : tum quia, postquam Christus gloriosus a mortuis resurrexit, caro ejus aut sanguis nec separari possunt, nec corrumpi, sicut ea, quae sic apparent, tractu temporis tabescunt et alterantur; tum quia Christus in forma pueri nullibi sic exsistit in rerum natura. — Nec tamen propterea fit deceptio in hujusmodi apparitionibus, cum non fiant ad significandum quod Christus sit praesens sub forma sub qua apparet, sed ad significandum, quod sit realiter praesens sub speciebus consecratis.

R. Ad 2^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel species **perseverant,** vel **desinunt. A**) Si species sacramentales reipsa perseverent, solumque aliquid objiciatur in *medio* vel *oculis* intuentium, certum est, manere in sacramento Christum, cum ex parte specierum omnia perseverent ut antea. **B**) Si vero desinentibus speciebus, earum loco aliud substituatur, v. g. caro, Christus jam ibi non remanet, cum deficiat signum sensibile. Quare illi carni non esset exhibenda reverentia quae Christo exhibetur in Sacramento, i. e. cultus latriae *absolutus;* sed illa quae exhiberi potest miraculoso vestigio Christi qui ibi praeexstitit, i. e. cultus latriae *relativus* (tom. I. pag. 343). Ut autem tollatur omne periculum indebiti cultus, speciebus miraculosis venerationi expositis hostia consecrata adjungi solet, uti fit in eccl. D. Jac. Lov., quoties exponitur pars carnis an. 1374 Middelb. in Zeland. miraculose productae.

R. Ad 3^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel species mutatae ad priorem statum **redeunt**, vel **non redeunt**. Si **primum** : eodem modo sumendae sunt, ac si nihil accidisset. Si **secundum** : *subdistinguendum* est : **A**) Si mutatio tantum contigerit *in una specie*, hac reservata, debet alteram sumere; **B**) Si vero mutatio sit *totalis*, utraque species immutata est reservanda. Nec obstat praeceptum de *integrando* sacrificio : quia, ut habet S. Thom. (p. 3, q. 82, a. 4 ad 3), « *ea quae miraculose fiunt, legibus non subduntur.* » Consultum tamen foret in utroque casu iterato consecrare panem et vinum, et consecratas species sumere : quia Rubricae Miss. novae hostiae consecrationem praescribunt in casu hostiae disparentis, cui similis est casus praesens. Concinit S. Thom. (l. c.).

Q. 13. *Quanto* tempore Christus *maneat* in Eucharistia?

R. Ex S. Thom, (p. 3, q. 77, a. 4) manet praesens sub speciebus etiam divisis, et sub quavis earum minima parte, donec tanta earum fiat corruptio seu immutatio, ut, si sub illis esset substantia panis aut vini, corrumperetur *substantialiter* (t. 2. p. 384), i. e. taliter, ut juxta communem usum et aestimationem non sit *re* et *nomine* eadem materia cum illa quam Christus instituit. Ratio est : quia Christus Eucharistiam tantum instituit sub panis vinique speciebus, adeoque his desinentibus, ipsa quoque desinit.

Resolvitur. Merito damnati fuerunt a Greg. XI (an. 1371) ac sub poena excommunicationis prohibiti, ne publice praedicarentur, **tres** subsequentes articuli : « **Primus**, *quod si hostia consecrata cadat seu projiciatur in cloacam, lutum seu aliquem turpem locum, quod speciebus remanentibus sub eis esse desinit corpus Christi et redit substantia panis.* **Secundus**, *quod si hostia consecrata a mure corrodatur, seu a bruto sumatur, quod remanentibus dictis speciebus sub eis desinit esse corpus Christi et redit substantia panis.* **Tertius**, *quod si hostia consecrata a justo vel a peccatore sumatur, quod dum species dentibus teritur, Christus ad coelum rapitur et in ventrem hominis non trajicitur.* »

Q. 14. *Quanto* tempore indigeant sacrae species, ut post sumptam communionem censeantur *substantialiter* immutatae?

R. Hoc generaliter et praecise determinari nequit, cum id dependeat a stomachorum varietate aliisque circumstantiis. Praeterea, circa digestionem ciborum ab *antiquis* physiologis non parum discrepant *recentiores*.

Explanatur. Card. De Lugo ex medicorum testimoniis, quos Romae consuluit, ut certum concludit, saltem **post quadrantem** a communione, etiam in sacerdote, species corrumpi; et consentit Lacroix quoad *sanos*. Ex S. Lig. (VI, 225) : « *Certum est apud omnes, saltem inter spatium* **horae** *species in omnibus immutari*. » Miscellanea vero : La nouv. Revue Théol. (tom. 4, pag. 498 seq.) ex recentioribus physiologis concludunt : **1°** « *Que l'hostie ne subit pas de transformation dans la bouche par l'action du suc buccal ou des organes de la mastication. Le suc buccal, comme agent chimique, posséderait peut-être assez de vertu pour opérer une décomposition chimique dans un corps, si celui-ci restait assez longtemps soumis à son influence. Mais l'hostie ne demeure en général que quelques secondes dans la bouche. Quant aux organes servant à la mastication, ils peuvent broyer, diviser, mais non dissoudre et encore moins transformer les aliments en d'autres substances.* **2°**) *C'est dans l'estomac que les aliments sont transformés, qu'ils deviennent des corps nouveaux. Encore faut-il un temps assez considérable, c'est-à-dire de* **deux** *à* **quatre** *heures. L'hostie est mince, tenue sans doute, et sous ce rapport, son altération dans l'estomac devrait être plus prompte. Mais il faut aussi remarquer, que par cela même qu'elle est petite, elle excite moins l'action de l'estomac et la production des sucs nécessaires à la digestion. De ce côté donc il y aura retard dans l'altération, en sorte que, compensation faite des causes opposées, il ne paraît pas que l'hostie dans l'estomac soit altérée en beaucoup moins de temps que les autres aliments. On peut cependant soutenir avec fondement que l'excitation produite sur l'estomac par l'hostie* [prise à jeun] *étant la première, le suc gastrique sera secrété en plus grande quantité, et conséquemment la digestion sera plus rapide.* » Existimat Capellmann (*Med. Past.*) spatium **semihorae** esse minimum illud quod requiri debeat, ut *constet* de plena corruptione chimica sacrae speciei, neque tantum discriminis esse inter sumptionem laici et sacerdotis celebrantis.

Resolvitur. In hac sententiarum varietate, ubinam stet veritas, ad me non pertinet definire. Interum liceat *duo* observare : Unum **pro speculatione**, scilicet ex S. Thom. (p. 3. q. 77, a. 4) species sacramentales posse corrumpi *substantialiter*, ita ut non remaneant corpus et sanguis Christi : « *sive ex parte* QUALITATUM, *sicut cum ita immutatur color et sapor, et aliae qualitates panis et vini, quod nullo modo possint compati naturam panis aut vini; sive etiam ex parte* QUANTITATIS, *puta si pulverizetur panis, vel vinum in tam minutas partes dividatur, ut jam non remaneant species panis vel vini.* » Alterum **pro praxi,** nimirum : **A**) Valde laudabile esse, post communionem, per horae circiter quadrantem in piis affectibus permanere, et abstinere tum a colloquiis, tum a cibo et potu, nisi adsit aliqua necessitas. **B**) Post vomitum, qui intra spatium *semihorae* contingeret, si nulla sacra species appareat, nihilominus ejectamenta in sacrarium sunt injicienda. Imo si specialis infirmitas adesset, accidere potest, ut etiam post horam species non solum non certo corrupta, sed fere plane incorrupta rejiciatur. **C**) Sacra hostia nequit praeberi illi qui illam *nullo modo* deglutire potest : quia ubi non habetur deglutitio, ibi nequit fieri manducatio nec consequenter communio. Secus dicendum, si minimam saltem partem hostiae deglutire valeat. **D**) In dubio denique utrum illam aliquo modo deglutire possit, alii aliter sentiunt. Juxta Gouss. (II, 232) : « *Dans le doute si le malade peut prendre la sainte hostie, on doit essayer s'il peut avaler quelque chose ; et si, après cet essai, on conserve quelque inquiétude, on ne doit pas lui donner la communion.* » Juxta alios potest dari communio, quotiescumque urgeat praeceptum communicandi sive divinum sive ecclesiasticum. Secus dicendum, si suscipiatur ex mera devotione. Juxta alios potest communicare etiam ex devotione; sed ejus communiones minui possunt.

Q. 15. An *cesset* praesentia realis per *mixtionem* liquoris cum *vino consecrato?*

R. *Distinguendum* cum S. Thom. (p. 3, q. 77, a. 8).

Explanatur. Vel mixtio fit **in parva**, vel **in magna** quantitate. Si **primum** : tunc si qualiscumque liquor, sive sit specie idem, ut vinum, sive specie diversus, v. g. aqua, *in parva quantitate* admisceatur respective ad vinum consecratum, praesens manet

sanguis Christi sub specie vini consecrati : quia per similem mixtionem non solvitur species vini consecrati, cui alius affusus liquor tantum circumfunditur aut certe interfluit. Si **secundum** : *subdistinguendum* est. Vel liquor admixtus est specie **diversus**, vel **non**. Si **A**) : tunc si alius liquor *specie diversus*, v. g. aqua, affundatur *in tanta quantitate*, ut, si adesset substantia vini, ea non remaneret; cum non remaneant species consecratae, desinit sub illis exsistere sanguis Christi. Si **B**) : DD. *disputant*. Ex S. Thom. (l. c.) cessat praesentia, dum vino consecrato *in magna quantitate* affunditur *vinum non consecratum* : quia non remanent eaedem numero species. Multi tamen antiqui quos inter Suar., Sylv., Wiggers, et praesertim recentiores, heic contrarium sustinent, docentque per infusionem vini, sive in magna sive in parva quantitate, non evanescere praesentiam realem sub speciebus vini consecrati. Quod ut confirment, provocant ad praxim Ecclesiae, qua per varia saecula ad praebendam fidelibus communionem sub utraque specie, vino consecrato miscebatur notabilis quantitas vini non consecrati. — **Hinc** stante controversia, curent sacerdotes, ut in missa pro ultima ablutione plus effundatur aquae quam vini, ut sic *certo* solvantur vini consecrati species, quae alias forte a purificatorio minus decenter absumerentur.

CAP. 3. De Materia remota Eucharistiae in fieri, sive de pane et vino.

Q. 16. *Quaenam* sit MATERIA *remota* Eucharistiae *in fieri* seu *conficiendae?*

R. Est *panis* et *vinum*.

Explanatur. Rationes **congruentiae** adfert S. Thom. (p. 3, q. 74, a. 1), quarum *praecipuae* sunt : tum quia Eucharistia instituta est ad refectionem spiritualem animae; homines autem communiter reficiuntur ex pane et vino; tum quia aptissime significant effectum Eucharistiae respectu totius Ecclesiae, qui est unio fidelium cum Christo et inter se in unum corpus mysticum : panis enim conficitur ex diversis granis et vinum fluit ex diversis uvis.

Q. 17. *Qualis* debeat esse PANIS, de necessitate *sacramenti?*

R. Debet esse « *panis triticeus*, » et quidem *usualis* seu *communis*, i. e. aqua naturali, saltem pro majori parte, subactus et igne tostus, et *substantialiter* incorruptus. De fide autem est, nil referre ad valorem sacramenti, sive consecretur in pane *fermentato*, sive in *azymo*. Constat ex FLORENT. in articulo fidei a Graecis subscripto, ubi dicitur : « *Definimus, in azymo, sive in fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici.* »

Resolvitur. 1°) *Invalida* est materia ex hordeo, fabis, pisis, avena, milio, farre vel alio ex frumento, de quo constat non esse substantialiter triticum ; *dubia* vero, si ex siligine (seigle) aut spelta (épeautre). 2°) *Nulla* est vel *dubia* saltem consecratio in pane qui ex majori vel aequali parte est confectus ex alia specie frumenti quam tritico ; vel si quo alio liquore subactus fuerit, velut aqua rosacea, vino, oleo, lacte, butyro, ovis, etc. 3°) *Ineptus* est panis, etiam triticeus, si sit massa adhuc cruda et non igne cocta ; etsi perinde sit, sive farina cocta sit in furno, sive sub cineribus, sive intra ferrum calidum, quia sic cocta est panis usualis, non vero si sit durata ad solem. 4°) Pariter *ineptus* est panis, quamvis triticeus, aqua naturali subactus et igne tostus, si fuerit corruptus ; sive ex tritico jam corrupto confectus fuerit, sive postea corruptionem induerit. Si autem corrumpi coeperit, consecratio quidem valida est, sed gravi, nisi in gravi necessitate, non vacat ; et nec in gravi, si dubium sit, ne forte sit plane corruptus.

Q. 18. *Qualis* debeat esse PANIS, de necessitate *praecepti?*

R. Talis esse debet, ut dici possit congruus et ad praescriptum Ecclesiae confectus.

Resolvitur. 1°) In ecclesia *latina* panis debet esse **azymus**, in *graeca* **fermentatus**. Ita jubetur in Conc. FLORENT. Quam obligationem ita gravem reputant plerumque DD., ut asserant, neque ad communicandum infirmum, neque ut populus die festo audiat missam, posse sacerdotem a suo ritu recedere, sed in solo casu integrandi sacrificium, puta si sacerdos latinus, post consecratam utramque speciem deprehenderet speciem panis esse substantialiter defectuosam, nec posset panem azymum habere. Quod

si contingeret, *graecum* per loca latinorum *iter* facere, et nullam sui ritus ecclesiam reperire, vel *latinum* per graeci ritus regiones, « *communiter et probabilissime*, » teste S. Lig. (VI. 203). tenent TT., licere alterutro pane uti, *azymo* scilicet seu *fermentato;* nam plerumque licet sequi mores et disciplinam regionis in qua quis versatur. Quoniam tamen S. Pius V (an. 1566), Bulla « *Providentia R. Pont.*, » prohibuit sub poena perpetuae suspensionis a divinis, ne *sub quovis praetextu* presbyter *graecus* latino more vel presbyter *latinus* graeco ritu missam celebret, quam prohibitionem confirmavit Bened. XIV, Const. « *Etsi pastoralis ;* » ideo rectius forsan nonnulli deducunt, in nullo casu *latinum* fermentato, nec *graecum* azymo, absque apostolico indulto uti posse; etiamsi *latinus* apud graecos, aut vicissim *graecus* apud latinos *fixum* domicilium haberet; de quo tamen casu dubitat Bill. : « Quia tunc, ait, videntur esse membra illius Ecclesiae in qua domicilium fixum habent et illius ritibus adstringi. » (1) **Resol. 2°)** Ex Rit. Rom. « *hostiae seu particulae consecrandae sint* **recentes.** » A quonam vero tempore species possint esse confectae, ut adhuc *recentes* dici possint, non ita determinatum exsistit. Ex S. C. Rit. (16 Dec. 1826) species a tribus mensibus tempore hiemis vel a sex mensibus in aestate confectae licite consecrari non possunt. Sed ex hac declaratione, cum negativa sit, nemo recte inducet declarari terminum intra quem recentes dici poterunt particulae consecrandae. Quapropter *quamdiu* recentes reputari possint, colligendum relinquitur ex obligatione species sacras frequenter renovandi (cfr. Q. 46). Si enim in renovatione specierum veteres sint sumendae et aliae recentes consecrandae, sequitur novas veteribus semper recentiores

(1) Quod **communicantes** attinet, ex decreto S. C. de P. F. (18 Aug. 1893) : « *Omnibus fidelibus cujuscumque ritus, sive latini, sive orientalis, degentibus in locis in quibus non sit ecclesia aut sacerdos proprii ritus, facultas in posterum a S. Sede conceditur S. Communionem non modo in articulo mortis et pro paschali pracepto adimplendo, sed etiam quovis tempore, devotionis gratia, juxta ritum ecclesiae exsistentis in praedictis locis, dummodo catholica sit, recipiendi.* » Quam facultatem Leo XIII Const. « *Orientalium dignitas* (30 Nov. 1894) extendere dignatus est ad casum quo fideles « *propter longinquitatem ecclesiae suae, non eam possint, nisi cum gravi incommodo, adire, de quo Ordinarii esto judicium.* »

esse debere. Romae duo tantum pro urbis ecclesiis admittuntur hostiarum pistores qui coram Card. Vicario juramentum praestare debent quod nunquam vendituri sint hostias ante quindecim dies confectas. **Resol. 3°**) Debet hostia esse **non fracta, nec maculata**; hoc tamen sub mortali non requiritur, nisi fractura vel macula esset valde enormis. Quod si fractura deprehendatur post oblationem, talis hostia licite consecrabitur, secluso populi scandalo. **Resol. 4°**) Juxta ritum Ecclesiae *latinae* hostia debet esse formae **orbicularis,** ad differentiam *graecorum* qui adhibent hostiam *quadratam* et, pro particulis, *triangulares*. **Resol. 5°**) Debet esse **major** pro sacerdote, ita ut convenienter elevari possit, et videri a populo. Si vero *major* desit, probabiliter potest sacerdos, etiam *causa devotionis*, consecrare *minorem*, modo absit scandalum, quod facile praecaveri potest, sive monendo populum de defectu hostiae majoris, sive eam non elevando supra caput. Immo, teneretur in *minori* consecrare, si dandum esset Viaticum infirmo. Interim magnitudo hostiarum nulla lege generali determinatur. Ut **norma** assignatur ab auctoribus mensura diametri 7 centimetr. pro hostia, et 3 centimetr. pro particulis. Ap. N. R. T. (II, 159 et V, 162).

Q. 19. *Quale* debeat esse VINUM, de necessitate *sacramenti?*

R. Debet esse : 1°) «*vinum de vite*;» et quidem 2°) *usuale*, i. e.: *potabile*; et 3°) in sua specie *incorruptum*. Nil vero ad valorem interest, album ne sit, an rubrum; gallicum, italicum, aut hispanicum, vel etiam miraculose productum.

Resolvitur. Hinc **inepta** est materia, ex defectu **primi** requisiti : cerevisia, zythum, lora quae fit ex vinaceis, aliique liquores ex fructibus vel herbis expressi. Ex defectu **secundi** : vinum, quo panis imbuitur : quia licet remaneat vinum, non est tamen in eo per modum potus, sed cibi; botrus nondum expressus seu liquor adhuc in botro contentus : quia pro illo statu non habet rationem vini. Non item **succus ex uvis passis expressus**; quo etiam propter vini penuriam uti licet, ut constat ex S. C. S. Off. (22 Julii 1706); cum ad **quaesitum** a P. Josepho de Jerusal. Ord. Min. Strict. Obs. ac Missionibus Aethyopiae Praefecto : « *An liceat Missionariis celebrare cum vino ex Zebibo vel uvis passis expresso, ut in regionibus illis fieri solet?* » **Responderit** : « *Licere, dum-*

modo liquor extrahendus ex Zebibo vel uvis passis ex colore, odore et gustu dignoscatur esse verum vinum. » Ap. N. R. T. (XXI, 227 seq.). Nec, juxta sententiam quae a S. Lig. (VI, 207) vocatur « *verior,* » vinum gelu concretum, quippe etsi non in praesens, adhuc tamen suapte natura potabile est. De quo nequit dubitari, dum dicitur in Rubr. Miss. : « *Si in hieme sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis,.. donec liquefiat,* » Ergo per congelationem non corrumpuntur species vini, alias desineret esse ibi sanguis Christi. Ex defectu **tertii** : vinum quod nondum vini naturam induit, ut omphacium seu agresta (*verjus*), vel contra, quod eam amisit, ut acetum. Constat ex Rubr. Miss. : « *Si vinum sit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis seu non maturis expressum, vel ei admixtum tantum aquae, ut vinum sit corruptum, non conficitur sacramentum.* »

Q. 20. *Quale* debeat esse VINUM, de necessitate *praecepti?*
R. Talis esse debet, ut sit congruum et juxta praescriptum Ecclesiae adhibitum.

Resolvitur. Debet esse : 1°) **purum,** non alio liquore vel aromatibus, etsi modice mixtum (1); 2°) **mundum,** adeoque non

(1) Desuper ex S. C. S. Off. **plura** nuper decreta prodierunt. — **A**) « Ad vini corruptionis periculum praecavendum duo remedia proponuntur : 1°) Vino naturali addatur parva quantitas *d'eau-de-vie.* 2°) Ebulliatur vinum usque ad sexaginta et quinque altitudinis gradus. *Utrum haec remedia licita in vino pro sacrificio Missae et quodnam praeferendum?* **Resp.** « *Praeferendum vinum prout secundo loco exponitur.* » (8 Maii 1887) Ap. N. R. T. (XXIII, 35). — **B**) « In pluribus Galliae partibus, maxime si eae ad meridiem sitae reperiantur, vinum album, quod incruento Missae sacrificio inservit, tam debile est ac impotens, ut diu conservari non valeat, nisi eidem quaedam spiritus vini (*spirito-alcool*) quantitas admisceatur. 1°) *An istius modi commixtio licita sit?* 2°) *Et, si affirmative, quaenam quantitas hujusmodi materiae extraneae vino adjungi permittatur?* 3°) *In casu affrmativo, requiriturne spiritus vini ex vino puro seu ex vitis fructu extractus?* **Resp.** « *Dummodo spiritus* (alcool) *extractus fuerit ex genimine vitis et quantitas alcoolica addita una cum ea quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, non excedat proportionem duodecim pro centum, et admixtio fiat quando vinum est valde recens, nihil obstare, quominus idem vinum in missae sacrificium adhibeatur.* » (30 Jul. 1890). Ap. N.

faecibus infectum, ut est mustum, i. e. vinum recenter ex uvis expressum; 3°) **non congelatum,** nisi liquefiat dum consecratur. « *At casu*, ait S. Lig. (VI, 207), *quo sacerdos illicite consecrasset vinum congelatum, tenendum est pro vere consecrato, nec ille licite posset alterum vinum consecrare.* » 4°) Non vinum quod ex Rubr. Miss. « *coeperit* **acescere** *vel* **corrumpi**, *vel fuerit* **aliquantulum acre.** » Ad quae verba notat S. Lig. (*ibid.* et *Hom. Apost.*,

R. T. (XXIII, 36). Unde quantitas alcoolica naturaliter contenta in vino et simul juncta cum quantitate alcoolica superaddita nequit excedere proportionem 12 pro 100.—**C**) « Vinum dulce, quod pro Missae sacrificio adhiberi solet in Hispania, spiritum ultra proportionem duodecim pro centum naturaliter continet. 1°) *Utrum decem partium spiritus pro centum commixtio, ut ex experientia constat omnino ad vini dulcis conservationem necessaria continuari possit?* 2°) *Utrum vinum ita confectum adhiberi possit in Missae sacrificio?*» **Resp.** «*Negative in ordine ad Missae sacrificium.* » (19 April. 1891). Ap. N. R. T. (XXIV, 52), — **D**) « Utrum uti queat quodam chimico processu ad vini pro Missa naturalem acredinem corrigendam? « **Resp.** : « *Non expedire.* » (9 Mai 1892). Ap. N. R. T. (XXIV, 390).—**E**) **Ad dubium** pro Brasilia. **Resp.** « *Loco saccharri extracti e canna saccharina vulgo* canna de assucar, *addendus potius esse spiritus* alcool, *dummodo ex genimine vitis extractus fuerit, et cujus quantitas, addita cum ea quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, haud excedat proportionem 12 pro 100; hujusmodi vero admixtio fiat, quando fermentatio tumultuosa, ut aiunt, defervescere incoeperit.* » (7 Aug. 1896). Ap. N. R. T. (XXVIII, 660) — **F**) **Ad dubium** propositum ab archiepisc. Tarraconensi in Hispania : « *Utrum praelaudatis vinis, praesertim dulcibus, pro eorumdem conservatione tantum spiritus seu alcool ex uva deprompti addi queat, ut ad 17 circiter vel 18 % vis alcoolicae gradus increscant, quin exinde cessent esse materia apta pro SS. Missae sacrificio?* » **Resp.** « *Attentis noviter deductis, dummodo in casu proposito spiritus extractus fuerit ex genimine vitis et quantitas alcoolica adjungenda, una cum ea quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, non excedat proportionem septendecim vel octodecim pro centum et admixtio fiat quando fermentatio tumultuosa, ut aiunt, defervescere incoeperit, nihil obstare quominus idem vinum in Missae sacrificio adhibeatur.* » (7 Aug. 1896) ap. N. R. T. (XXVIII, 662). Quae proportio 17 ad 18 % non constituit *regulam ordinariam*, haec enim est 12 %; sed est *exceptio* quam justificat natura specialis vinorum dulcium Hispaniae. — Quoad haec omnia consulatur praeclara dissertatio : *Vin du S. Sacrifice*, in Ephemeride cui titulus : «Revue Théologique française» tom. I, p. 716 seqq., quod opus satis commendari nequit.

App. III, 98) : « *Probabiliter tamen dicunt* Gobat, Sporer *et* Croix, *quod deficiente alio vino, liceat sine scrupulo, prout solent viri probi, adhibere vinum tantum parum acescens, sive non notabiliter acidum. Unde* Rubrica *non videtur accipienda cum tanto rigore, ut comprehendat omnes etiam primos gradus acrimoniae, sed tantum illos, qui jam proxime incipiunt constituere vinum acescens. Adduntque* Sporer *et* Mazzotta, *quod urgente gravi necessitate licitum esset, uti vino adhuc notabiliter acescente, modo sit certum vinum,* » v. g. ne populus careat Missa die festo. 5°) Demum, ex gravi praecepto *ecclesiastico,* **aqua miscenda** est vino in calice offerendo. Et hanc mixtionem « *non esse contra Christi institutionem,* » de fide definivit Trid. (sess. XXII *de sacrif. miss.*can.9,) contra novatores, eam humanis figmentis accensentes, aut saltem rem liberam esse autumantes. Debet autem fieri ab ipso celebrante in missa *privata,* et a subdiacono in missa *solemni*, sive ante offertorium, sive immediate ante missam, dum paratur calix, ut faciunt Carthusiani, Cistercienses, Dominicani ; item Graeci, qui bis infundunt aquam : semel *frigidam*, dum calicem parant, semel *calidam* immediate ante communionem, ad significandum fervorem.

Q. 21. Dic : 1°) *Quaenam* aquae quantitas miscenda sit vino in calice offerendo ; 2°) *cur* haec admixtio ; et 3°) *quid* fiat de ista aqua in consecratione ?

R. Ad 1^{um}) Ex Conc. Florent. « *aqua* modicissima *admisceri debet.* »

Explanatur. Similiter Miss. Rom. praecipit sacerdoti, ut « *parum aquae ;* » subdiacono, ut « *paululum aquae* » in calice infundat. Interim improbanda est sollicitudo infundendi tantum duas vel tres guttulas, cum sine scrupulo infundi possit aqua usque ad octavam vel etiam quintam partem vini ; immo juxta graves DD. non datur periculum invalide consecrandi, si aqua immittatur usque ad tertiam partem, saltem si sit vinum generosum. — Omni periculo obviatur utendo parvo **cochleari**, cujus usus retineri nunc potest ex decreto S. Congr. Rituum (6 Febr. 1858) ; et cum sit parvulum, totum immitti potest.

R. Ad 2^{um}) Rationes hujus admixtionis post Florent., ex

S. THOM. (p. 3, q. 74, a. 6), *tres* adfert TRID. (sess. XXII *de sacrif. miss.* cap. 7).

Explanatur. Rationes sunt : 1°) *Quia Christus ita fecisse creditur*. Sic sentiunt IRENAEUS, JUSTINUS M., CYPRIANUS, AUG. Aliunde non est probabile, Christum, qui est exemplar sobrietatis, in solo vino consecrasse. 2°) *Quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exivit*, et sic convenit dominicae passionis repraesentationi. 3°) Quia sic significatur hujus sacramenti effectus, qui est *unio populi fidelis cum capite Christo*. Aqua enim populum repraesentat secundum illud APOC. (XVII, 15) : « *Aquae, quas vidisti.... populi sunt.* » Et ideo, ut per transennam ex BENED. XIV (*de sacrif. miss.* sect. 1, cap. 175) dixerim, aqua in missa a sacerdote benedicitur, non vero vinum, quod Christum significat, cui nulla opus est benedictio. Quae aquae benedictio omittitur in missa *de Requiem*, sive quia tunc sacerdos totus occupatur de mortuis et non cogitat de vivis ; sive quia aqua tunc significat populum purgatorii, qui jam est in gratia ; sive quia, sicuti in fine missae defunctorum non benedicitur populus, ita nec aqua quae eumdem populum significat. Interim, ut fatetur CATECH. ROM., « *quamvis aquae admiscendae ita graves rationes sint, ut eam* SINE MORTALI *peccato praetermittere non liceat ; ea tamen si desit, sacramentum* CONSTARE *potest.* »

R. Ad 3^{um}) Quid de illa aqua fiat, DD. *disputant*.

Explanatur. *Triplex* datur sententia. **Prima** docet illam converti in aquam, quae in cruce fluxit de latere Christi. Sed, ut dicit BENED. XIV (*de sacrif. miss.* sect. 1, cap. 267) « *est pia potius cogitatio, quam theologica ratio.* » **Secunda** putat illam remanere post consecrationem, circumfusam sanguini. Sed hoc non est probabile. Imo, non desunt existimantes, illud, salva fide, sustineri non posse, cum TRID. dicat, post consecrationem, remanere *dumtaxat* species panis et vini. Ast forte noluit loqui de *aqua*, sed tantum de *transsubstantiatione*. **Tertia** dicit cum S. THOM. (p. 3, q. 74, a. 8) aquam converti in sanguinem Christi. Est communis, et putat COLLET, hanc sententiam sine temeritate negari non posse. Interim, an *immediate* convertatur in sanguinem Christi, an vero prius convertatur in vinum, et ita *mediate* in sanguinem, iterum DD. *disputant*. Id ultimum probabilius fieri, praeter INNOC. III (cap. « *Cum-*

Marthae» de celebr. miss.), et S. Thom. (l. c.), docent Albertus M., S. Bonav., Scotus, « *et alii*, teste Drouvenio, *scholarum omnium scriptores pene innumerabiles*, » quibus suffragatur Catech. Rom., inquiens : « *Ecclesiasticorum sententia et judicio aqua illa in vinum convertitur.* » Si vero credas in arte chimica peritis, aqua vino mixta manet aqua, ac proinde juxta illos dicendum foret cum Lug. et De Con., eam immediate transire in sanguinem Christi. Existimaverim non esse recedendum a sententia S. Thom. propter argumenta quae attuli in opere : *Princ. dogm. mor. univ. theol. sacr.* pag. 177 seqq.

Q. 22. *Quid* facto opus, si celebrans deprehendat defectum *substantialem* alterutrius materiae, quia v. g. panis est *corruptus* vel *non triticeus ;* aut loco *vini* apposita est in calice *aqua*, vel vinum est *corruptum?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel **jam discessit** ab altare, vel **nondum discessit.** Si **primum** : non debet regredi, sed rem relinquat divinae providentiae. Si tamen accepisset stipendium, deberet novam missam alia die celebrare. Si **secundum** : tunc *subdistinguendum* est. Vel nova materia haberi **potest**, vel **non potest.** Si **A**) : tunc plures hypotheses fingi possunt, prout agitur vel de defectu *panis*, vel de defectu *vini*, quas hypotheses tradunt ac resolvunt Rubr. Miss. Interim, quamvis praecipiant (sub n. 6, *De defectu panis*), ut novus panis et novum vinum consecrentur, si celebrans *post sumptionem sanguinis* deprehendat hostiam fuisse corruptam aut non triticeam, Quarti tamen aliique existimant, quibus consentit Gousset, tunc satis esse si sacerdos novum consecret panem, quin novum vinum consecretur. Si vero **B**) : seu si materia, quae esset apponenda, ratione defectus vel panis vel vini, non posset ullo modo haberi, tunc ex Rubr. Miss. (sub n. 8, *De defectu vini) :* « *Si id fit* ante *consecrationem corporis, ulterius procedi non debet; si* post *consecrationem corporis aut etiam vini deprehenditur defectus alterius speciei, altera jam consecrata,... procedendum erit, et missa absolvenda, ita tamen, ut praetermittantur verba et signa, quae pertinent ad speciem deficientem. Quod*

si exspectando aliquandiu haberi possit, exspectandum erit, ne sacrificium remaneat imperfectum. »

Q. 23. *Quid* faciet celebrans, si deprehendat non fuisse appositam *aquam*?

R. Ex Rubr. miss. : « *Si celebrans* ante *consecrationem calicis advertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, et proferat verba consecrationis. Si id advertat* post *consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.* » Quod putat Suarez, nempe : cessandum esse a missa, si, jam incoepta, aqua haberi nequeat, id intelligo, si citra scandalum vel sacerdotis perturbationem fieri possit.

CAP. 4. De materia proxima Eucharistiae in fieri, seu de consecratione panis et vini.

Q. 24. *Quae* sit materia *proxima* Eucharistiae *in fieri?*

R. Est materiae *remotae* usus seu applicatio, i. e. panis et vini *consecratio.*

Q. 25. *Quaenam* requirantur ad *validam* consecrationem?

R. Praeter materiam *aptam* seu *consecrabilem*, requiritur : 1°) ut sit *moraliter praesens;* 2°) ut ab intentione celebrantis sit aliquo modo *determinata.*

Q. 26. *Quid* requiratur ad praesentiam *moralem?*

R. Non est necesse, ut materia actu videatur, vel tangatur, vel ad eam sonus vocis perstringat; sed hoc dumtaxat requiritur et sufficit : quod actu ita sit propinqua celebranti, ut more et usu hominum sensibiliter demonstrari possit, sive in se, sive in alio tanquam continente ordinario.

Resolvitur. 1°) Valide consecrantur hostiae in cumulo sub aliis latentes, aut in ciborio vel pyxide clausis contentae. **Resol. 2°)** Absurda est et graviter indecens praxis multorum, qui os ita proxime admovent, ut halitum in calicem vel panem inspirent. **Resol. 3°)** Si apponerentur hostiae parvae, pronuntiato jam verbo *hoc*, non consecrarentur; sicut nec, si ante ultimum verbum prolatum subducerentur : quia materia debet esse actu praesens cele-

branti, adeoque ab initio formae usque ad finem illius. **Resol. 4°**) Invalide consecratur materia post parietem vel post tergum sacerdotis posita, vel sub mappa altaris collocata, vel in tabernaculo aut sub pede calicis latitans. Item materia valde procul, v. g. 100 passibus distans, etsi videri possit : quia illud pronomen *hoc* vel *hic* plus designat quam praesentiam sensationis actualis in communi modo loquendi. Quanta autem propinquitas sufficiat, *dubitatur*. Sunt qui docent, 20 aut 30 passuum propinquitatem sufficere, sed alii contradicunt. **Resol. 5°**) Sicuti valide consecrari potest materia quantumvis exigua, modo tamen ita *sensibilis* sit, ut ex ea confici possit sacramentum ; ita pariter valide consecrari potest materia quantumvis magna, modo consecranti moraliter praesens sit. Unde, ait Daelman, Dr Lov. «*inter eximios eximius*,» ut profert ejus *epitaphium*, valide consecrari possent omnes panes in pistrino contenti ; item tria aut quatuor dolia vini. Econtra, ut post S. Thom. (in 4, dist. 11, q. 2, a. 1) observat Gammachaeus (in p. 3, q. 74, cap. 4), sacerdos non posset valide consecrare simul omnes panes, qui hic illic venales prostant in foro : « *non enim homo, in foro exsistens, habet moraliter omnia illa sibi propinqua et praesentia, quaecumque in foro sunt : alioquin nec opus ei esset ire de loco in locum, ut quod quaerit inveniret.* » Cr. Bened. XIV (*de sacrif. miss.* sect. 2, c. 156).

Q. 27. *Qualiter* materia debeat esse *determinata* ad *validam* consecrationem?

R. Debet esse determinata in *individuo*. Non requiritur tamen determinatio *actualis*, sed sufficit *virtualis*, et quidem *implicita*, quatenus scilicet determinatur in toto objecto, quod consecrandum proponitur, puta quod sacerdos intenderit consecrare quidquid prae manibus vel ante se habet, v. g. omnes hostias praesentes, licet illarum numerum ignoret.

Resolvitur. 1°) Ex Rubr. Miss. : « *Si quis habeat coram se undecim hostias, et intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit ;... non consecrat.* » Si vero quis putaret tantum esse decem hostias et essent undecim, vel se tenere unicam et teneret duas, omnes *regulariter* essent consecratae : quia cele-

brans regulariter habet et quidem ex praescripto Miss. habere debet, intentionem consecrandi id quod ante se positum est; seu ejus intentio fertur simpliciter in materiam praesentem. Dixi : *regulariter;* quia aliter foret dicendum, si expresse ita restringeret suam intentionem, ut nollet nisi decem aut hanc unicam consecrare. **Resol. 2°**) Si contingat unam vel plures hostias non consecratas casu admisceri consecratis, nec possint discerni, non potest sacerdos velle illas solas consecrare, cum exterius designari non possint, et probabiliter non sufficiat designatio mere interna. Eo igitur casu, ad tollendum inconveniens, paulatim sumantur a sacerdote post sumptas species, vel totus cumulus consecretur sub conditione. **Resol. 3°**) Si hostiae, quas consecrare intenderas, ex oblivione extra corporale relictae fuerint, et dum consecras, ad id non advertas; quidam putant, eas nihilominus consecrari, quia ad validam consecrationem nihil deest. Alii negant : quia cum grave sit, eas consecrare extra corporale, intentio deesse praesumitur. « *Ego*, ait D'Annibale, *si tibi aliquando propositum fuit non consecrare quae sine peccato consecrari non possunt, his; secus, illis assentior*. Utut sit, cum sint dubie consecratae, ex Bened. XIV (*de sacrif. miss.* sect. 2, c. 157-158) « *non sunt populo distribuendae, sed asservandae, ut in alia missa consecrentur* » nempe sub conditione. Possent etiam, si sint in parvo numero, sumi post sumptionem sanguinis. Ast si ciborium, quod consecrare intenderas, positum quidem fuisset super corporale, sed ex oblivione mansisset clausum tempore consecrationis contra praescriptum Rubr., illud nihilominus tunc valide consecratum fuisse, communis tenet DD. sententia. **Resol. 4°**) Non censentur consecratae guttulae vini *exterius* calici adhaerentes; imo probabilius non consecrantur guttulae *interius* adhaerentes, saltem remote a toto : quia intentio Ecclesiae esse videtur, ideoque sacerdotis esse debet, consecrare id quod per modum unius continui est in calice. Quare si advertas ante oblationem vel consecrationem, eas abstergas purificatorio; si post consecrationem, abstergi non possunt, sed calix inflectatur ad partem in qua sunt guttulae, eaeque sumantur cum massa.

Q. 28. *Quaenam* requirantur ad *licitam* consecrationem ?
R. Requiruntur haec *quinque* sequentia.

Explanatur. Requiritur : 1°) Ut materia non tantum sit **valida** sed etiam **licita** (pag. 23-28); 2°) ut sit reposita in **altari** et in **corporali,** imo et in **petra sacra** ; 3°) ut ciborium vel calix tempore consecrationis sit **discoopertus**; 4°) ut adsit in altari **tempore** a Rubricis praescripto. Quocirca notandum est : hostias minores per se admitti debere ante *oblationem;* ex rationabili tamen causa admitti etiam possunt usque ad *praefationem*, mentaliter oblatione suppleta; imo id probabiliter fieri posse, etiam post *canonem* incoeptum, graves docent DD. apud S. Lig. (VI, 217). Justa causa foret : si aliter plures communione carerent; si communicaturus non posset exspectare; vel si persona gravis aut nobilis communionem petat. Praestat tamen, quando unus tantum est communicaturus, ut sacerdos ipsi praebeat partem hostiae majoris.—Interim, ut scite notat Sass., « male faciunt multi sacerdotes hostias minores statim post consecrationem ab altari auferentes pro danda communione : propter benedictiones sequentes, et quia ante sumptionem sacerdotis non est perfecte sacrificata victima ; non videtur tamen esse grave, et in copia communicantium licite fit. » Si post *consecrationem* particulae consecrandae adferrentur, non licet eas consecrare quacumque ex causa, etiam ad dandum Viaticum. 5°) Denique pro communione laicorum non licet **majorem** numerum hostiarum consecrare, quam tempore convenienti possit distribui.

Q. 29. An *una* materia Eucharistiae *sine alia* consecrari possit : 1°) *valide;* 2°) *licite?*

R. Ad 1^{um}) Quoad *validitatem*, omnino *affirmative*, cum S. Thom. (in 4. d. 11, q. 2, a. 1, q. 1, ad 4), saltem si id non *ex industria*, sed *casu* fiat.

Explanatur. Ratio : tum, quia verba sacramentalia id efficiunt quod significant; tum, quia statim una species consecrata proponitur adoranda, antequam altera sit consecrata. Dixi : **saltem si id non ex industria, sed casu fiat**; quia Lugo, contra opinionem DD. ceteroquin communiorem, cui et adhaeret Bened. XIV (*de sacrif. miss.* sect. 2, c. 83), censet : quod, si sacerdos *intenderet* unam tantum speciem consecrare, **invalide** ageret : quia sacerdos non recipit potestatem hoc sacramentum conficiendi nisi

sacrificando; seu, aliis verbis : quia ratio sacramenti nequit dividi a ratione sacrificii, ad cujus essentiam pertinet consecratio utriusque speciei. Juxta hanc opinionem, quam *non improbabilem* reputat S. Lig. (VI, 196), malus sacerdos *transiens* coram officina pistoris non posset valide consecrare omnes panes in officina positos, non quidem propter magnitudinem seu quantitatem (pag. 33), aut propter defectum praesentiae moralis; sed quia consecratio utriusque speciei non solum ad sacrificii essentiam pertinet, sed etiam sacramenti. Unde panes isti essent tantum **dubie** consecrati.

R. Ad 2^{um}) Quoad *liceitatem*, quocumque in casu, etsi ageretur de Viatico administrando, *illicitum* est, unam speciem *de industria* consecrare sine alia; idque de jure non tantum *ecclestastico*, ut constat ex Rubr. Miss., sed etiam de jure *divino* absolute et simpliciter, ita ut Papa in hoc praecepto non possit dispensare, ut communiter docent DD. cum Bill. et Bened. XIV (l. c.).

Explanatur. Constat ex praecepto Christi qui, postquam in ultima coena utramque materiam consecraverat, idem faciendum mandavit Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus per haec verba : « *Hoc facite in meam commemorationem*, » uti, ait Trid. (sess. XXII *de sacrif. miss.* cap. 1), « *semper catholica Ecclesia intellexit et docuit.* » **Nec dicas** : Christum in castello Emmaus consecrasse panem sine vino. Nam : **1**) Certum non est, Christum ibi consecrasse. **2**) Incertum est, an simul vinum non consecraverit, cum evangelistae non referant omnia, quae Christus fecit. **3**) Potuit solum panem consecrasse ex potestate *excellentiae* (tom 2, p. 360 seq.), quam nemini communicavit. — Dixi : **de industria**. Nam *per accidens* in omnium sententia dari possunt casus, in quibus non solum valide sed etiam licite fieret consecratio alterius speciei, quin consecretur altera, nempe in casu *impossibilitatis* sive *physicae*, sive *moralis*, puta : si sacerdos, consecrata hostia, moriatur, loquelam perdat, in amentiam decidat, nec sit alius, qui possit sacrificium etiam non jejunus perficere; item si aquam pro vino consecrasset, neque defectum intelligeret nisi diu post; aut postquam advertisset, non posset haberi aliud vinum; item, si consecrata hostia, immineret incendium aut inimicorum invasio, aut ruina templi.

CAP. 5. De forma Eucharistiae in fieri.

Q. 30. *Quaenam* sit FORMA *essentialis* Eucharistiae *in fieri?*

R. Ex S. THOM. (p. 3, q. 78, a. 1) sunt verba consecrationis sequentia seu his aequivalentia : *Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus;* vel : *Hic est calix sanguinis mei.*

Resolvitur 1. Cum S. THOM. (*ibid.* ad 4) : « *Dicendum, quod si sacerdos* SOLA *verba praedicta proferret cum intentione conficiendi hoc sacramentum, perficeretur hoc sacramentum.* » Ex quo manifestissimo testimonio simul concluditur contra GONET : de mente S. THOMAE non esse dubitandum, ut multis aliis argumentis praeclare ostendit BILL. **Resol. 2.** Itaque juxta S. THOM. et communem DD. sententiam, ad formae essentiam non pertinent : **A**) Vox *enim*; hanc tamen scienter omittere culpa est : ex SUAR. levis, ex BILL. et S. LIG. (VI, 220) gravis. **B**) Verba antecedentia : « *Qui pridie quam pateretur,* » etc. « *Simili modo postquam,* » etc.; nec non verba : « *Novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui,* » etc. Graviter tamen peccaret, qui eadem omitteret, tanto magis quod non omnino improbabile sit, ea omnia ad formae substantiam pertinere. Unde quoque RUBR. MISS. praecipit, ut sacerdos incipiat ab illis verbis : « *Qui pridie,* » etc., et « *Simili modo,* » etc., quando forma est repetenda ratione dubiae materiae, vel eo quod forma fuerit semiprolata. **Resol. 3.** Nullo modo preces, quae ante vel post consecrationem dicuntur, ad *formam* pertinent. Constat ex PIO VII, qui in *Litt. ad Patriar. Melchit.* (8 Maii 1822) « *prohibet omnibus, quominus sustineant ac tueantur illam opinionem a schismaticis hominibus propugnatam, consecrationem non consistere unice* IN VERBIS CHRISTI, *quibus utraque Ecclesia occidentalis et orientalis utitur, sed ad perfectam consummatamque consecrationem addi oportere precandi formulam quae in liturgia occidentali antecedit, in orientali subsequitur.* » **Resol. 4.** Etsi Christus potestate excellentiae potuisset sine verbis Eucharistiam perficere; nihilominus, ut eruitur ex dictis, prorsus rejicienda est opinio eorum qui cum DURAND., AMBR. CATHAR., et quibusdam aliis existimarunt

Christum sola benedictione consecrasse, postea vero praescripsisse formam qua sacerdotes uterentur.

Q. 31. *Quid* significent VERBA formae?

R. 1°) Pronomina « *hoc* » et « *hic* » non demonstrant panem et vinum, neque eorum species : falsum enim est, quod panis aut vinum vel eorum accidentia sint corpus vel sanguis Christi; sed significant substantiam *praecisive*; seu, propter verba praecedentia : « *manducate*, *bibite*, » confuse significant aliquid accipiendum per modum cibi vel potus, ita ut sensus sit : substantia contenta sub his speciebus, seu *hic cibus*, *hic potus*, prolata forma, *est corpus* et *sanguis meus*. Sufficit autem in propositione *practica* quod objectum exsistat in fine illius; sic, dum facio circulum, bene dico : *hic est circulus*, licet ab initio non sit verum. 2°) Verbum « *est* » proprie et substantive sumendum est; non metaphorice et figurative pro *significat*, ut contendunt haeretici; adeoque exprimit identitatem subjecti cum praedicato. 3°) « *Corpus* » significat compositum materiale integratum carne, ossibus, nervis, etc., et « *sanguis* » humorem illum praecipuum in corpore contentum et per venas diffusum. Dicitur quoque « *calix* » sanguinis per metonymiam, qua exprimitur continens pro contento, sicut dicitur v. g. *bibere vas* aquae. 4°) Pronomina « *meum* » et « *meus* » determinant praedicatum corpus et sanguinem, ad significandum corpus et sanguinem Christi simulque denotant formam proferri a sacerdote in persona Christi.

Resolvitur 1. *Invalida* foret consecratio : **A**) Si omitteretur verbum « *est* » aut ejus loco poneretur *fit*. **B**) Si loco « *hoc* » diceretur *illud* vel *hic* adverbialiter. **C**) Si diceret sacerdos : *hoc est corpus Christi*, quia sic loqueretur in persona propria tantum. **Resol. 2.** Dubia foret consecratio : **A**) Si loco « *hoc* » diceretur *istud*. **B**) Si loco « *corpus* » diceretur *caro*. Cfr. S. LIG. (VI, 221 et 224).

Q. 32. *Quomodo* VERBA formae sint *proferenda?*

R. Debent proferri : *recitative*, *significative* et *practice*.

Explanatur. Debent proferri : 1°) **Recitative** quidem seu

narrative, quatenus debent proferri tanquam ab alio; nempe ab ipso Christo prolata, ut indicat contextus praemissus : *benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens*, etc. 2°) **Significative** seu *assertive*, quatenus sacerdos ex propria etiam mente debet in persona Christi significare hoc esse corpus et hunc sanguinem Christi. 3°) **Practice**, quatenus etiam habere debet intentionem per verba illa conficiendi corpus et sanguinem Christi. — Interim hos sensus omnes satis observat sacerdos, si *implicite* et *virtualiter* (tom. 2, pag. 397) intendat facere quod fecit Christus vel Ecclesia facit; quin imo ex his sensibus solus *significativus* et *practicus* est de valore sacramenti, non autem *recitativus*, sicut nec verba praecedentia juxta dicta (pag. 37) sunt de valore. Itaque sacerdos **sine scrupulo** procedat, formam reverenter et humano modo pronuntiet, caveatque, ne, interrumpendo, repetendo, caput, pectus, totumque corpus misere agitando, Christum repraesentet ridicule loquentem, pios affligat, rudioribus et acatholicis scandalum praebeat, ac demum actionem sacratissimam gravi contemptui exponat (t. 2, p. 388).

CAP. 6. De materia et forma Eucharistiae in facto esse.

Q. 33. An Eucharistia *in facto esse* habeat *materiam* et *formam?*

R. *Controvertitur.*

Explanatur. Alii, iique non ignobiles, quos inter Scot., Bell., Vasq., Coninck, **negant**, adduntque in Flor. sacramenta idcirco quoque dici potius *perfici*, quam *componi*, ob sacramentum Euch., quod licet verbis etiam perficiatur dum *fit*, non tamen constat verbis *in facto esse;* unde etiam permanet, postquam verba consecratoria desierunt. Alii **affirmant**; sed, in assignando materiam et formam, aliter atque aliter sentiunt. 1°) Alii dicunt, quod materia Euch. *in facto esse* sint species panis et vini; forma autem corpus et sanguis Christi, qui quodammodo informant illas species easque in esse sacramentali constituunt. 2°) Alii e contra volunt corpus et sanguinem esse materiam, species autem esse formam,

eo quod determinent corpus et sanguinem ad esse sacramentale, in quantum species vi verborum antea prolatorum sunt determinatae ad repraesentandum corpus et sanguinem Christi. 3°) Alii praetendunt, quod species sacramentales simul cum corpore et sanguine Christi sint materia; forma vero sint verba antea prolata et adhuc virtualiter perseverantia. 4°) Alii, quos inter SUAREZ, et quidem « *melius* » juxta DAELM., dicunt, complexum ex speciebus panis et vini et corpore et sanguine Christi habere rationem materiae; habitudinem vero ad verba consecrationis antea prolata habere rationem formae, vi cujus habitudinis, quae speciebus moraliter adhaeret et intrinseca est, species sacramentales determinatae manent ad repraesentandum corpus Christi sub speciebus panis, et sanguinem sua speciebus vini.

CAP. 7. De ministro Eucharistiae tum conficiendae, tum dispensandae.

Q. 34. *Quisnam* sit MINISTER Eucharistiae *conficiendae?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel **A**) agitur de ministro **principali**, et talis est Christus, vel **B**) de ministro **secundario**, et tunc *subdistinguendum* est. 1°) Minister Euch. **valide** conficiendae est omnis et solus sacerdos, dummodo ponat essentialia hujus sacramenti, nempe materiam et formam debitam cum intentione consecrandi; etsi sit haereticus, irregularis, excommunicatus, degradatus, etc.: quia potestas consecrandi pertinet ad characterem ordinis sacerdotalis. 2°) Minister Euch. **licite** conficiendae est solus sacerdos in gratia constitutus, nullaque censura, irregularitate seu impedimento canonico irretitus; jejunus jejunio naturali a media nocte, et adhibens omnes caeremonias praescriptas.

Q. 35. An *plures* sacerdotes possint *valide* simul *eamdem* materiam consecrare?
R. *Affirm.*, si simul finiant verba formae (t. 2, p. 382).

Explanatur. Et hoc quidem *licite* fit a NEOMISTIS, qui ex S. THOM. (p. 3, q. 82, a. 2) simul cum episcopo ordinante consecrant; quidam tamen existimant, NEOMISTAS in casu non consecrare,

sed solum episcopum : quia, aiunt, juxta mentem Ecclesiae, verba consecrationis ab ipsis proferuntur tantummodo *recitative*, instructionis et caeremoniae causa. — Cum res dubia sit, hinc opportune dicit Bened. XIV (*de sacrif. miss.* s. 2, n. 142) : « *Tutissima videtur esse sententia* Cajetani, *qui monet, ut ordinati intentionem habeant proferendi verba eo modo quo possunt accommodatissimo, omne studium et diligentium adhibentes, ne ea proferant ante episcopum.* » Secus episcopus, qui principaliter consecrat, non consecraret. Cfr. S. Lig. (VI, 232).

Q. 36. *Quot* peccata mortalia committat sacerdos *celebrans in mortali?*

R. *Controvertitur.*

Explanatur. **A**) Juxta alios, quibus adhaeret S. Lig. (VI, 35). **quatuor** committit sacrilegia, quia : 1°) indigne conficit sacramentum ; 2°) indigne suscipit ; 3°) indigne administrat ; 4°) indigno sibi dispensat. Sed « est omnino exaggerata, ideo falsa sententia, » ait Gabr. de Varceno.—**B**) Juxta alios, **duo** tantum : quia ministrare *indigno* et ministrare *indigne* in sacerdote sunt unus moraliter actus cum susceptione ipsius sacramenti. Hos sequitur G. de Varc. —**C**) Juxta alios, quos citat et sequitur Giribaldi, **unicum** tantum : quia etsi celebratio missae plures contineat actiones sacramentales, omnes illi actus integrant unum numero ministerium celebrationis missae. Quam sententiam uti *probabiliorem* amplectitur Bill. « Esto enim, ait, istae actiones physice distinguantur, constituunt tamen unum mysterium, in quo uniuntur. »

Resolvitur. Pro **praxi** parum interest : sufficit enim, ut reus confiteatur, se in statu peccati mortalis celebrasse. Si tamen contingeret celebrantem habere contritionem ante sumptionem, cum tunc recipiendo et sibi ministrando non peccaret, deberet juxta Gonet id in confessione exprimi. « Nec satisfaceret, ait Tabern., in confessione dicendo se communicasse in mortali, quia sic non exprimeret peccatum commissum in consecratione. »

Q. 37. *Quisnam* sit MINISTER Euch. *dispensandae?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Minister **ordinarius** seu ex officio est, ipso

jure divino, *solus sacerdos*. Constat ex Trid. (sess. XIII *de Euch.* cap. 8). Cujus rei *triplicem* rationem theologicam adfert S. Thom. (p. 3, q. 82, a. 3). Unde quoque ex eodem S. Doct. canit Ecclesia : « *Sic sacrificium istud instituit, cujus officium committi voluit solis presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant et dent ceteris.* » 2°) **Extraordinarius**, ex commissione scilicet episcopi vel sacerdotis, est *diaconus* pro casu necesssitatis cujusvis gravis vel etiam congruae, ut si magno festo parochus vel sacerdotes confessionibus suscipiendis vel concionibus occupati, communicantibus commode satisfacere non possent. Imo, in necessitate extrema, absente sacerdote, *diaconus* poterit et tenebitur Viaticum administrare, etiam sine commissione. Quin etiam tunc idem poterunt *subdiaconus* vel *minoribus initiatus;* et, his deficientibus, etiam *laicus*, maxime si moribundo nec poenitentia nec extr. unctio ministrari potuerint. Et si forte in casu oriretur admiratio, ea de facili tolli poterit, circumstantes admonendo, quod in tali necessitate id permittitur a TT. Cui autem licet aliis dare, licet et sibi in eadem conditione rerum constituto; adeoque licet *sacerdoti*, si alius sacerdos desit, seipsum communicare, etiam sola devotionis causa; hoc idem licet *diaconis*, quoties sacerdotibus licet; *clericis* vero in extrema necessitate, si diaconus desit; immo et *laicis*, si desit clericus. Ratio est: quia in articulo mortis urget praeceptum divinum communicandi; e converso, nullo praecepto divino vel ecclesiastico id apparet prohibitum; immo notum est, quod olim fideles laici Eucharistiam in suas domos deferebant, et seipsos propriis manibus communicabant. Et si hoc propter necessitatem permittebatur, cur hodie in majori necessitate, puta in mortis periculo, id non liceret? Unde quoque, loquens de **Maria Stuart**, haec scribit Suar. (in 3 p. q. 82, disp. 72, sect. 3) : « Nostra aetate, regina Scotiae martyrium subitura, prius sacramentum, quod apud se habebat, propriis manibus sumpsit cum summa omnium laude; et quamvis fortasse habuerit amplam circa hoc Pontificis [S. Pii V] concessionem, *tamen etiam sine illa pie et sancte fecisset.* » Ap. N. R. T. (VII, 580). Cfr. quae de hac doctrina scripsi in op. : Princ. dogm. mor. univ. theol. sacr. (p. 303 seqq.). S. Lig. (VI, 237 seq.); item (H. A. XV, 10), qui tamen fatetur oppositam sententiam esse « *communiorem.* » Hanc et tenere videtur S. Thom. (in 4, dist. 13,

q. 1, a. 3, quaest. 1-3), qui, quamvis cuilibet in necessitate corpus Christi *tangere* licitum esse concedat, inquiens : « *In casu necessitatis potest et debet corpus Christi* TANGERE, *etiamsi sit peccator, ut si in aliquo loco immundo jaceret;* » addit tamen continuo : « *Sed non est simile de* DISPENSATIONE *sacramenti : quia receptio hujus sacramenti non est necessitatis. Unde ei, qui non potest sacramentaliter manducare, dicendum est : crede et manduca.* » — Ad me quod attinet, primam sententiam damnare non ausim, praesertim si ageretur de casu, quo peccator infirmus non possit aliud sumere sacramentum, et dubitaretur de perfecta ejus contritione : quia tunc Eucharistia fit sacramentum necessitatis in sententia ceteroquin valde probabili, quod per accidens remittere potest mortalia.

Q. 38. *Quaenam* requirantur ad LICITAM Eucharistiae *dispensationem?*

R. Requiruntur haec *quatuor* sequentia.

Explanatur. Requiritur : 1°) **Carentia censurae**. Secus, dispensans extra necessitatem extremam, fit irregularis, quia exercet actum sui ordinis in censura. 2°) **Status gratiae.** Dubium tamen est, an dispensans *ex officio* peccet mortaliter, an vero tantum venialiter, si id faciat in mortali (tom. 2, p. 402). 3°) **Observantia rituum**, qui ab Ecclesia praescribuntur, sive dispensatio fiat *in* missa, sive *extra* illam. 4°) **Jurisdictio** in communicantem ordinaria, delegata, aut saltem rationabiliter praesumpta, vel **privilegium**. Ratio est : quia pastoris proprium est oves pascere, quod praecipue fit per sacramenta; ideoque ex communi DD. peccat graviter, qui sine omni jurisdictione vel facultate proprii parochi aut absque privilegio Eucharistiam dispensat, cum violet jus ejus in re gravi.

Interim heic **observandum est** : **A**) *Ex consuetudine* in quacumque ecclesia sacerdos missam celebrat, Eucharistiam fidelibus, eam ex devotione accipere cupientibus, dispensare potest. Dicitur : *ex devotione;* nam excipitur communio *ex praecepto*, adeoque prima communio, communio paschalis et viaticum. **B**) *Ex privilegio* sacerdotes regulares non tantum possunt dare communionem paschalem, extr. unctionem et viaticum suis subditis, novitiis et familiaribus qui actu famulantur et resident intra claustra mona-

sterii (tom. 2, pag. 548); sed etiam possunt in suis ecclesiis, per se vel per alios quoscumque sacerdotes, omnibus fidelibus toto anni tempore Eucharistiam dispensare, solo die paschatis excepto, et Romae excepta etiam feria V in Coena Domini, ita tamen ut saeculares ibi communicantes non satisfaciant praecepto paschali. Nequeunt tamen sine speciali licentia pueros admittere ad primam communionem, aut alienis subditis, clericis vel laicis, viaticum et extr. unctionem administrare, nisi urgente necessitate parochus absit, vel injuste deneget facultatem in mortis articulo, vel infirmus, qui sacrilege viaticum recepisset, id confiteretur regulari, qui certe tunc posset, ne ipsius sacrilegium proderet, ad eum viaticum clanculo deferre. Si, extra illos casus, regularis viaticum aut extr. unctionem administrare praesumpserit, incurrit ipso facto excommunicationem Papae reservatam. Excusat tamen quaevis ignorantia. Ceterum, dum excipitur viaticum, id intelligendum est de communione per modum viatici e manibus parochi semel sumenda; quare, si infirmus necdum pervenerit ad eum statum, ut ex praecepto teneatur ad communionem viatici, potest communicari a regulari, manente obligatione recipiendi viaticum e manu parochi; similiter, si huic praecepto jam satisfecerit, potest iterato communicari a regulari in domibus in quibus ex indulto speciali coram aegrotante legitur missa; immo ad hujusmodi aegrotum communicaturum Eucharistiam deferre potest, si agatur de iis regionibus in quibus *occulte* deferri debet; secus dicendum, ubi Venerabile *publice* ad aegrotos deferri potest. Quae publica delatio ex jure, consuetudine obtento, ad parochos pertinet. Cfr. S. Lig. (VI, 239-240).

Q. 39. *Qualis* detur obligatio *dispensandi* Eucharistiam; et quomodo *peccet* minister, illam administrando *indignis?*

R. Utrumque resolutum fuit (tom. 2, pag. 406-408 seqq.).

CAP. 8. De ritibus observandis in administranda Eucharistia.

Q. 40. *Quaenam* sint *servanda* in ADMINISTRATIONE Eucharistiae?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel agitur de administratione facienda **in missa**, vel **extra missam.**

Si **primum** : communio dari potest in missa *quaecumque* ea sit, — mortuorum quoque et in paramentis nigris, sive in ipsa missa, etiam pyxidem extrahendo, sive immediate post, vel ex rationabili causa immediate ante, omissa tamen benedictione in utroque casu. Ita ex decreto S. R. C. (27 junii 1868), a Pio IX (23 Jul.) approbato. Neque ullam contradictionem reperiri inter varia decreta, quae desuper prodierunt, ostendit N. R. T. (X. 461). Ceterum, *rationabilis* ratio, quae requiritur tum ex Rit. Rom. ut communio fiat *post Missam*, tum ex cit. decreto S. R. C. ut *ante* Missam *de Requiem* communio distribuatur, attenta temporum nostrorum conditione, semper generaliter adesse censenda est, «*quando communio petitur*,» ut constat ex S. R. C. (28 Nov. 1895), quae simul declaravit : « *Nullum exstat decretum* S. R. C. *quod prohibeat communionem fidelium ante vel post missam.*»—Non licet tamen dare communionem : **1°**) in missa quae celebratur in **nocte** Nativitatis D. ; quae prohibitio « *ligat omnes non habentes privilegium in contrarium* » ex decreto S. R. C. (23 Martii 1686). Neque **2°**) in missa quae celebratur in die **Parasceves** ; neque **3°**) in missa **Sabbati Sancti** et multo minus ante illam ; sed post missam licet, ex decreto S. R. C. (7 Sept. 1850) ; nisi adsit consuetudo *intra* Missam solemnem post communionem celebrantis S. Eucharistiam ministrandi fidelibus (S. R. C. 23 sept. 1837). Imo ad **dubium** : « *Utrum sabbato sancto mane in ecclesiis, ubi potest una Missa cum cantu celebrari, cantato jam hymno :* Gloria in excelsis, *et nondum facta sacrarum specierum sumptione, ab alio sacerdote quam a celebrante, superpelliceo et stola induto, ex sacris particulis, quae feria V in Coena Domini superfuere, adservatis, SS. Eucharistia Christifidelibus expetentibus distribui possit ac liceat, et an ab iisdem sic sumentibus paschali praecepto satisfit?* » S. R. C. (13 Jan. 1882) **respondit** : « *Servetur consuetudo.*» Ap. N. R. T. (XIV, 144 seq.).

Si **secundum** : *subdistinguendum* est. Vel agitur de communicandis **sanis**, vel de communicandis **infirmis.** — Si **primum** : praeter *praescripta* in Rit Rom., sequentia sunt notanda. **1°**) Non licet Euch. ministrare nisi in **ecclesia** seu **oratorio publico**,

non autem in oratoriis *privatis*, nisi de expressa Ordinarii licentia, ut constat ex Bened. XIV. Const. : « *Magno cum animi* » § 23 seq. (2 Jun. 1751). 2°) Non licet tamen ex S. R. C. (19 Febr. 1622) eam administrare *sanis* feria VI in **Parasceve**; neque juxta hodiernam praxim, uti constat ex S. R. C. (7 Sept. 1816) sub *exitum diei*, nisi ex justa causa : v. g. tempore Jubilaei aut Missionis, dum quis adhuc est jejunus; neque *noctu*, nisi ex S. Lig. (VI, 252) in casu necessitatis, si quae incidere possit, v. g. ad communicandum in Paschate eum, qui jejunus, usque dum illucescat, manere nequit. 3°) Quoties administratur communio extra missam, adhibenda est **bursa cum corporali**, supra quod reponenda est S. Pyxis; quae rubrica est *praeceptiva* ex S. R. C. (27 Febr. 1847). Haec bursa deferri potest a clerico, et tunc sacerdos incedit manibus junctis. At ex S. R. C. (2 Sept. 1842) *decet*, ut a sacerdote deferatur; et in eo casu duabus manibus eam tenet ante pectus. 4°) Si necessitas id postulet, communio dari potest a sacerdote *missalibus vestibus* induto, qui in alio altari missam celebravit aut celebraturus est. Ita S. R. C. (12 Mart. 1856). 5°) Grave est ex S. Lig. (VI, 241) eam administrare sine **superpelliceo**; at sine **stola** *coloris officio illius diei convenientis*, aut sine **lumine**, vel omissa solita **confessione**, est leve. 6°) Praeterea ex S. Lig. (VI, 244) *sub gravi* praebenda est **pollice** et **indice**, qui sunt digiti consecrati, non vero probabilius dari potest *aliis digitis*, quamvis minister chiragra laboret, nisi in casu gravissimae necessitatis, ut si secus *populus* communione foret privandus; nec medio aliquo *instrumento*, nisi forte danda sit ei, qui morbo contagioso laborat, aut aliter hostiam deglutire nequit. 7°) Quod numerum attinet **genuflexionum** faciendarum in distributione SS. Euch., servetur decretum S. R. C. (23 Dec. 1862). Quare, sicut antequam communionem administret, genuflectere debet : semel priusquam extrahat e tabernaculo pyxidem, et iterum post discoopertam super altare eamdem pyxidem; ita, rediens ad altare post communionem, genuflectere debet, antequam cooperiat pyxidem; et iterum antequam, pyxide in tabernaculo reposita, ipsius tabernaculi ostiolum claudat. 8°) Communio *prius ministris* **servientibus** est ministranda, non ratione praeeminentiae, sed ministerii. Ita S. R. C. (13 Jul. 1658). 9°) Ubi omnes communicaverint, sacerdos *reversus* ad altare,

et non prius, dicere « *poterit* » : O SACRUM CONVIVIUM, etc. Quod est facultativum. Sed versiculi : « *Panem de coelo*, etc., » « DOMINE, EXAUDI, etc., » « DOMINUS VOBISCUM, etc. » cum oratione *propria*, ut in RIT. ROM. habetur pro diversitate temporis, *dici omnino* **debent** » ex S. R. C. (24 Sept. 1842). Ad **dubium** autem : « *Quum tempore paschali administrandum est SS. Eucharistiae sacramentum ante vel post Missam de Requiem, debentne dici oratio et versiculi de tempore atque* Alleluia? » S. R. C. (26 Nov. 1878) declarare censuit : « *Negative quoad* Alleluia. » Ap. N. R. T. (XIV, 143). **10°)** In communione **monialium**, MISEREATUR, AGNUS DEI, etc. dicenda sunt versus moniales, non versus populum. Uti tamen praescribitur in decreto S. R. C. (15 Sept. 1736) apud S. LIG. (H. A. XV, 88), « *In communione monialium habentium fenestrellam in parte evangelii, sacerdos debet descendere et reverti per gradus anteriores et non laterales altaris.* »

Si vero **secundum** : i. e. si communio danda sit domi *infirmis*, tunc **1°)** Eucharistia deferri debet *regulariter* ex RIT. ROM. : « *manifeste atque honorifice*; » nisi impediant variae circumstantiae, v. g. loca haereticorum vel proximum irreverentiae periculum in locis etiam catholicorum, etc. Quo casu observetur quod legitur in Supplemento ad RIT. ROM. ex BENED. XIV, Const. : « *Inter omnigenas* » (2 Feb. 1744) : « *Ubi Turcarum vis praevalet et iniquitas, sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus; in sacculo seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensum in sinu reponat, et nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur.* » Quoties autem Eucharistia defertur ad *aegrotos*, stola sit *albi* coloris. **2°)** Deinde videndum est : utrum infirmus **ex devotione** communicet; an **ex praecepto**; an jam-jam **moriturus**. In **1**^{mo} casu, cetera omnia observari debent quae in *sanis*. In **2**^{do} casu, si infirmus longe abest, sacerdos permittitur *ire equo*, non tamen ex S. R. C. (23 Jan. 1740 et 23 Maii 1846) inconsulto episcopo, si consuli possit; et, propter aeris inclementiam, *operto capite;* non tamen intra civitatem vel oppidum absque dispensatione Sedis Apost., qualem dispensationem concessit pro dioecesi Coloniensi, tempore praesertim hiemali, die 13 Nov. 1862. Praeterea servari debent, quae in RIT. ROM. ob reverentiam tanti sacramenti constituta sunt In **3**^{tio} casu, licet deferre viaticum etiam

in feria VI *Parasceres*, sed quasi privatim; etiam *noctu*, sine *luminibus*, sine *sacris vestibus*, immo et *currendo;* et ministrari poterit, si nequeat indice et pollice, etiam *posterioribus digitis;* item mediante *instrumento*. Ratio horum omnium est ex S. Lig. (VI, 241) : « Quia non rationabiliter praesumitur quod Christus qui hoc sacramentum ad subsidium animarum instituit, et Ecclesia, quae tam benigna est mater, voluerint moribundos tanto bono privari, ne praescriptae caeremoniae omittantur. »

At vero, sive *sanis* detur, sive *infirmis*, numquam licet eam ministrare sub specie **vini**, ne morituris quidem, qui alias communicare non possent; et est grave, ut teste S. Lig. (VI, 245), *communissime* dicunt DD. Similiter ex decreto Innoc. XI (12 Febr. 1679) non licet **plures** particulas vel **grandiores** tradere, ut satisfaciat devotioni; sed hoc est leve ex S. Lig. (*ibid.*).

Q. 41. *Quid* facto opus, si, infra distributionem, hostia vel ejus particula *decidat?*

R. Variae hypotheses distingui possunt.

Explanatur. 1°) Si ceciderit super *linteum* vel *terram*, reverenter accipiatur, locus tegatur aliqua re munda et postea abluatur, ac demum ablutio mittatur in sacrarium. 2°) Si decidat in *cultum*, *barbam* aut *vestes* communicantis, non est opus lotione : quia melius est vitare admirationem et perturbationem populi, quam servare hanc Rubricam, quae ceteroquin ex S. Lig. (VI, 250) sub levi tantum obligat. Graviter tamen obligaret ad abluendum locum in quem decedissent sacrae species vini, quippe ipsae imbibuntur. 3°) Si ceciderit *intra vestes* vel supra *pectus nudum feminae*, non ipse sacerdos, « *sed ipsa femina particulam vel fragmentum quaerat et suis ipsa manibus sibi in os injiciat.* » Ita Bened. XIV (*de sacrif. miss.* s. 2, n. 176). Quod si facile eam reperire nequeat, seorsim recedat, v. g. in aliquod sacellum, vel in sacristiam, etc. 4°) Si *minima* pars, te solo advertente, decidat, nec sine turbatione populi quaeri et reperiri possit, rem Deo et angelis commenda.

Q. 42. *Quid* faciendum, si *communicans*, a mensa discedens, mox hostiam ex ore in *strophium* aut *librum* immittat?

R. Caute omnino est procedendum.

Explanatur. 1°) Non facile credendum est oculis : forte phlegma emittitur. 2°) Si *certo* constet de facto, servetur principium de peccatore occulto publice petenti (tom. 2, pag. 410), Hinc : **A**) si publice, sine perturbatione aut diffamatione communicantis, sacerdos nequeat reclamare, nihil faciat. **B**) Si scire potest quo tendat profanator, hostiam reclamet. **C**) Si nec hoc fieri potest sine gravi incommodo, rem Deo committat. **D**) Si vero in loco privato res acciderit, ubi diffamatio non timetur, statim hostiam reclamet.

Q. 43. *Quomodo* agendum sacerdoti, si ad *infirmum* cum VIATICO adveniens ejusque confessionem excipiens, eum *indispositum* inveniat?

R. 1°) Eum omni modo disponere conetur. 2°) Si *certo* maneat indispositus, quia v. g. occasionem proximam nolit relinquere, vel restitutionem gravem et certo debitam promittere non velit, non licet eum absolvere. 3°) Quod communionem spectat, enixe inducendus est, ut, peracta confessione, declaret *publice* se nolle jam Eucharistiam suscipere. 4°) Si hoc declarare deneget ac communicare velit, Eucharistia ei, licet indisposito, ministranda est, ne violetur secretum confessionis.

Q. 44. *Quid* faciendum, si Eucharistia *evomatur?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. EX RUBR. MISS. (*de defect.* tit. X, n. 14) : « *Si species integrae* **appareant,** *reverenter sumantur,* [sive ab illo qui evomit; sive, si ille non possit sine novo periculo vomitus, ab alio, qui est jejunus et dispositus,] *nisi nausea fiat; tunc enim species consecratae caute separentur, et in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur et postea in sacrarium projiciantur. Quod si species* **non appareant,** *comburatur vomitus* [cum stuppa aut alia materia], *et cineres in sacrarium mittantur.* »

Q. 45. *Quid* si, sumpto VIATICO, infirmus *statim moriatur*?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Si hostia adhuc **appareat** in ore, modeste extrahatur, et reverenter servetur, donec species corrumpantur. Si **non appareat,** nihil faciendum, quamvis nesciatur, an defunctus eam deglutierit,

CAP. 9. De modo SS. Eucharistiam asservandi et exponendi.

Q. 46. *Quae* observanda sint in SS. Euch. *asservatione?*
R. Ex RIT. ROM. serventur sequentia.

Explanatur. 1°) « *Curare porro debet* [parochus], ut **perpetuo** *aliquot particulae consecratae eo numero, qui usui infirmorum et aliorum fidelium communioni satis esse possit,* **conserventur.** » Non tamen in qualibet ecclesia Eucharistia servari potest; sed tantum in ecclesia *cathedrali* et *parochiali* aut in illis quae paroeciae rationem prae se ferunt. Potest etiam asservari de jure communi in ecclesiis *Regularium* vota solemnia emittentium necnon *Monialium* sub clausura stricta viventium. In aliis autem ecclesiis asservari nequit absque speciali Papae licentia. Hujusmodo indultum apostolicum recens concessum (17 Febr. 1883) episcopo Fuldensi, reperire licet ap. N. R. T. (XV. 225 seqq.).

2°) Asservanda est « **in pyxide** *ex solida decentique materia*; » [qualis ea esse materia debeat, de jure communi non statuitur; interim non potest esse ex aere, ligno, vitro; et si vasa sacra non sint ex auro, intus deaurari debent] « *eaque munda et suo operculo bene clausa,* **albo velo** *cooperta, et quantum res feret, ornato in tabernaculo clave observato.* » Non est necesse, ut pyxis sit consecrata, sed sufficit, ut sit benedicta. Clavis autem in sacristia non relinquatur, non aedituo vel laico detur, sed eam sibi parochus reservet, diligentissime custodiat, et non appendat, ubi cuivis ad manus esse possit.

3°) Tabernaculum, ut dictum est, « *quantum res feret,* » debet esse « *ornatum.* » Porro ad **dubia** : « VII. *Utrum sit de necessitate interiora tabernaculorum panno serico albo contegere; an aequivaleat et sufficiat simplex auratura?* » « VIII. *Quum plurima tabernacula hujus dioecesis intus deaurata tantum exsistunt, possuntne saltem tolerari quae ita fabricata reperiuntur?* » S. R. C. (16 Maii 1871) ita **respondit** : « Ad VII. *Non esse necessarium.* » « Ad VIII. *Provisum in antecedenti.* » Ap. N. R. T. (XII, 83 seq.). Neque requiritur, quod intus velo pulchriori serico ornetur; tamen « *usum praedicti veli tolerari posse,* » declaravit

S. R. C. (28 April. 1886) ap. N. R. T. (XIII, 174). Praeterea, ut refert Rit. Rom. et constat ex S. R. C. (21 Jul. 1855) ap. N. R. T. (XIII, 174), tabernaculum debet esse « **Conopeo** *decenter ornatum*, » ex serico vel saltem, ut declaravit S. R. C. (21 Jul. 1855) ap. N. R. T. (XIII, 175), « *ex panno, sive gossipio, sive lana, sive cannabe confecto*, » cujus color aut albus sit, aut officio diei conveniens, ita tamen, ut loco nigri coloris, si occurrat pro tempore, violaceus ex S. R. C. (21 Jul. 1855) sit adhibendus. — Insuper tabernaculum debet esse « *ab omni alia re* **vacuum**, » ita ut nec reliquiae, nec chrisma nec oleum infirmorum in eo reponi possint, uti constat ex S. C. Ep. et Reg. (3 Maii 1693), ac tandem « *in* **altari majori** *vel* **in alio**, *quod venerationi et cultui tanti sacramenti commodius ac decentius videatur, sit collocatum : ita ut nullum aliis sacris functionibus aut ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur.* » Quod si tabernaculum, non *in altari* collocetur, sed per se in loco patenti seorsim subsistat, velut in formam altaris splendide constructum, cujusmodi quandoque reperire est, v. g. in antiquis Collegialibus D. Petri et D. Jacobi Lovanii et alibi; id quidem, licet litteram, non tamen spiritum Rit. Rom. offendere existimaverim, modo ita sit positum, « *ut nullum aliis sacris functionibus aut ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur.* » Quare tabernacula hujusmodi posse tolerari putaverim, saltem si diuturna consuetudo alicubi morem illum probaverit. Quia tamen consuetudo asservandi Eucharistiam non in medio altari, sed sive ad latus in pariete, quem morem Bened. XIV Const. « *Accepimus* » (16 Jul. 1746) antiquitus usitatum fuisse testatur; sive in turricula, ad id constructa, reprobata fuit a S. R. C. (21 Aug. 1863) : ideo ab illo usu de novo introducendo omnino abstineatur. (1)

(1) Ad **dubium** autem « *An toleranda vel eliminanda sit consuetudo, quae in dies invalescit, superimponendi Sanctorum reliquias pictasque imagines Tabernaculo, in quo augustissimum sacramentum asservatur, ita ut idem Tabernaculum pro basi inserviat?* » S. C. R. **respondendum** censuit (31 Mart. 1821) : « *Assertam consuetudinem tanquam abusum eliminandam omnino esse.* » Quod responsum Pius VII approbavit confirmavitque atque, ut cunctis pateat, decretum generale desuper expediri typisque evulgari mandavit (3 April. 1821). Et merito quidem :

4°) « **Lampades** *coram eo plures, vel saltem una, die noctuque perpetuo colluceat.* » Hinc, si ob graviter culpabilem negligentiam parochi aut illius cui cura commissa est, hoc per *notabile tempus* negligeretur, mortaliter peccaretur; puta, juxta plures apud S. Lig. (VI, 248) : « *Si integro die, vel aliquot integris noctibus lumen non ardeat.* » Constat autem ex decreto S. R. C. (9 Jul. 1864) ap. N. R. T. (XI, 39), a Pio IX (14 Jul. 1864) approbato et in *app.* ad Rit. Rom. translato : « *Generatim utendum esse* **oleo olivarum** [est enim symbolum pacis et misericordiae et repraesentat Christum, de quo dicitur : Ego quasi oliva speciosa in campis]; *ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiae episcoporum, ut lampades nutriantur ex aliis oleis quantum fieri possit vegetalibus.* » Ex qua responsione sequitur, etiam **petrolium,** *urgente necessitate*, ab episcopo permitti posse. Quod confirmatur ex decreto S. R. C. (20 Mart. 1869) ap. N. R. T. (XI, 39 seq.).

5°) « **Particulae consecratae** ex Rit. Rom. **frequenter** » sunt renovandae; i. e. ex S. R. C. (7 Sept. 1850) apud *Corresp. de Rome* (tom. 2, pag. 590) « **qualibet hebdomada.** » Quod conforme est Rubricae *Caerem. Episc.*, necnon *praxi* quae Romae observatur, ubi *octidua* renovatio praescribitur. Verum ex Be-

si enim, ut dicit Gavantus (*Thes. SS. Rituum*, I, p. I, tit. XX) decet sedere Dominum in altiori loco supra servos suos, dicendum est dedecere quam maxime Sanctorum Dominum custodiri in basi quae est scabellum pedum servorum. Notat autem Gardellini ad praesens decretum n. 4578 quod, si apponatur aliqua imago, oportet ut sit imago ipsius Christi aut resurgentis aut vulnera sua exhibentis. — Praeterea ad **dubium** : « *Utrum approbanda tolerandave sit effigies satis late vulgata, duorum cordium ejusdem magnitudinis, ejusdem decoris et in eodem quasi gradu consistentium, quorum unum refert Cor adorandum Verbi incarnati, iisdem ornatum insignibus quibus pia B. Margaritae Mariae Alacoque revelatione depingendum exhibetur; alterum autem immaculatum Cor Beatae Mariae Virginis exprimit rosea corona redimitum et gladio perforatum; utroque interdum radiis ejusdem, ut aiunt, gloriae circumcincto?* » S. R. C. Sic **respondendum** censuit « *Ejusmodi emblemata privata ex devotione permitti posse, dummodo altaribus non apponantur.* » (5 April. 1879 n. 5780).)

NED. XIV Instr. pro Italo-Graecis « *Etsi pastoralis* » § VI (26 Maii 1742), « *SS. Euch. Sacramentum, quod pro infirmis asservatur,* **singulis octo diebus aut saltem quindecim** *renovetur.* » Et haec est praxis in his locis communis. Hinc habent STATUTA DIOEC. MECHL. (n. 244) : « *Octava quoque die, maxime ubi loci vel aeris humiditas id requirit, aut saltem singulis quindenis substituantur hostiae novae ipsa pyxide prius debite purificata ; atque idem de hostia ostensorii dictum esto. Hostiae novae cum veteribus non commisceantur.* »

Scholion. Circa **expositionem** SS. SACRAMENTI, placeat sequentia adnotare : 1°) Expositio *duplex* distinguitur : **publica**, quae fit in ostensorio *detecto;* **privata,** quae fit in ostensorio *velato* vel communiter in pyxide *velata,* quae e tabernaculo *non extrahitur.* Unde ad expositionem *privatam* duplex conditio requiritur ex S. R. C. (17 Aug. 1630) scilicet : « *Dummodo SS. Sacramentum e tabernaculo* NON EXTRAHATUR *et sit* VELATUM, *ita ut ipsa sacra hostia videri non possit.* » — 2°) Uti declarat BENED. XIV, Const. « *Accepimus* » (16 April. 1746) : « *Certissimum est huic Sedi Apostolicae, in quibuscumque ecclesiis etiam privilegio immunibus sive saecularibus sive regularibus, non licere exponi* **publice** *divinam Eucharistiam, nisi* CAUSA PUBLICA *et* EPISCOPI FACULTAS *intervenerint.* » Excipiendum tamen est, si speciale a Sede Apostolica concessum fuerit privilegium SS. Sacramentum publice exponendi absque Ordinarii licentia, sicut INNOC. XI (20 Maii 1682) regularibus dioecesis Mechl. plures publicas expositiones permisit absque Archiepiscopi Mechl. licentia. Contra expositio **privata** fieri potest sine Ordinarii facultate, interveniente SOLO CONSENSU SUPERIORIS vel RECTORIS ecclesiae, etiam EX CAUSA PRIVATA, v. g. ex BENED. XIV (*Instit.* XXX, n. 16) : « *Pro alicujus aegritudine levanda, vel pro necessitate ac desiderio alicujus religiosi viri.* » Interim, ut declaravit S. R. C. (20 Nov. 1895) ap. N. R. T. (XXVIII, 95), « *utraque* expositio, solemnis scilicet et privata, *instituta est ad bonum publicum, nullo pacto privatae personae.* » Unde, licet causa sufficiens pro *privata* expositione esse possit, exempli gratia, privatae alicujus personae infirmitas, eadem nihilominus expositio in utilitatem tantum illius fieri non potest, sed in bonum commune, ut adeo si nullus esset in Ecclesia populus, fieri non posset expositio neque cum ostensorio, neque etiam cum pyxide. — Et quamvis in expositione *pri-*

vata, ex S. R. C. (31 Mart. 1642) vetitum sit e tabernaculo sacram pyxidem educere atque cum illa populo benedicere; si tamen alicubi contraria vigeat consuetudo, quemadmodum fieri solet certis diebus in pluribus ecclesiis Regularium, hujusmodi consuetudo servari poterit ex S. R. C. (16 Jan. 1886) ap. N. R. T. (XVIII, 524); imo id facere permisit illis religiosis familiis, « *quae etiam alibi ita facere consueverunt*, » fecitque potestatem Ordinariis idem concedendi « *etiam aliis Congregationibus id petentibus.* » — 3°) Nequit exponi Eucharistia sive **publice**, sive **privatim**, nisi **sex** saltem **cerei** in altari ardeant ex S. R. C. (15 Mart. 1698). At *viginti* saltem lumina praescribuntur pro precibus 40 horarum in *Instr. Clem.*, quae tamen extra Romam non obligat, ut constat ex decreto S. C. Rit. (12 Jul. 1749) ap. N. R. T. (XXIX, III seq.). Porro ex S. R. C. (12 Mart. 1821), candelae, quae lucere debent coram SS., sint **ex pura cera** confectae; et non tantum illae, sed etiam omnes, quotquot fuerint, quae supra mensam altaris vel eidem quomodocumque imminentes adhibentur. Ap. N. R. T. (IX, 401 seq.). Quae vero *ex sebo* aliisve materiis conficiuntur, adhiberi quidem possunt ad majorem lucem et solemnitatem procurandum, sed tantum extra mensam altaris. Cfr. N. R. T. (XIV, 110 seq. et XXVII, 503 seqq.). Ad **dubium** autem : « *An super altare, praeter candelas ex cera, tolerari possit, ut habeatur etiam illuminatio ex* **gaz**, *vel an usus praedictus prohiberi debeat?* » S. R. C. (8 Mart. 1879) **respondit** : « *Negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam. » Ap. N. R. T. (XIV, 598). Pariter ad **dubium** : « *Utrum* **lux electrica** *adhiberi possit in Ecclesia?* S. R. C. (4 Jun. 1895) **respondit** : « *Ad cultum*, NEGATIVE. *Ad depellendas autem tenebras Ecclesiasque splendidius illuminandas* AFFIRMATIVE; caute tamen, ne modus speciem praeseferat theatralem. » Ap. N. R. T. (XXVII, 503) — 4°) Durante expositione **publica** nullae esse debent in altari sive *reliquiae*, sive *imagines Sanctorum*, praeter angelorum adorantium; *crux* vero relinqui vel removeri potest pro locorum consuetudine. Ita S. R. C. (2 Sept. 1741). Nec certo in precibus 40 horarum collocari possunt statuae aut imagines Sanctorum *ante* altare expositionis, ut constat ex S. R. C. (27 Sept. 1828). Idemque censendum est de adoratione perpetua. Praeterea ad altare in quo expositum est Sacramentum

non licet, nisi necessitas urgeat, Missas celebrare vel cantare, nisi pro eo reponendo. Constat ex S. R. C. (9 Aug. 1670 et 13 Jun. 1671). Consuetudo tamen contraria tolli non debet, si fideles exinde moerore afficerentur, vel si agatur de consuetudine immemoriali. Ita Gard. in *Instr. Clem.* § 12, n. 6, et S. R. C. (22 Maii 1883) ap. N. R. T. (XV, 138 seq.). Nec ad idem altare distribui debet communio ex S. R. C. (12 Nov. 1831), nisi detur necessitas. Cfr. Bened. XIV (*Cas. consc.* mensis Julii 1779, cas. III).

Q. 47. *Quomodo* pyxis sit *purificanda?*

R. Plures modi assignantur.

Explanatur. Quarti omnibus praefert modum, quo reliquiae indice ex pyxide mittantur in calicem ante sumpsionem S. Sanguinis, una cum eo sumantur, et deinde pyxis purificetur et abluatur a celebrante, sequenti modo : 1°) accipiat primam purificationem in pyxide, circumagat vinum in ea, illudque infundat in calice et sumat ; 2°) digitorum ablutionem ad majorem cautelam etiam in pyxide accipiat, eamque iterum infundat in calicem et sumat.

CAP. 10, De subjecto Eucharistiae et necessitate eam suscipiendi.

Q. 48. *Quis* sit subjectum *capax* Euch. *suscipiendae?*

R. Subjectum capax Euch. *sacramentaliter* suscipiendae est solus homo viator baptizatus; et, si sit adultus, habens praeterea intentionem eam suscipiendi saltem in confusa ratione sacramenti. Cfr. tom. 2, pag. 416.

Explanatur. Dixi : *sacramentaliter*; quocirca notandum est, *quadruplici* modo Euch. recipi posse : 1°) **Materialiter tantam**, et non sacramentaliter, ut si eam reciperet non baptizatus, vel baptizatus, si, absque ulla intentione sacramenti, sumeret hostiam consecratam, putans non esse consecratam. 2°) **Sacramentaliter tantum**, et non spiritualiter, quo modo eam suscipit homo baptizatus, sed sine fructu ob obicem peccati mortalis. 3°) **Sacramentaliter et spiritualiter,** si sumatur a baptizato cum debitis conditionibus. 4°) **Spiritualiter tantum,** ut dum

justi, cum voto et desiderio Christum reipsa in sacramento recipiendi, percipiunt fructum hujus sacramenti, nempe gratiam, licet sacramentum non suscipiant. Gratiam tamen sacramentalem proprie dictam non percipiunt, i. e. *ex opere operato;* sed aliam, quae respondet eorum operi et devotioni.

Q. 49. *An* et *qualiter* sit NECESSARIA Eucharistiae *sumptio?*
R. Sub variis distinctionibus.

Explanatur. 1°) Eucharistia **in re** suscepta nemini necessaria est *necessitate* **medii.** Quod dictum sit contra GRAECOS schismaticos contrarium edocentes; quibus suffragantur plures CALVINISTAE contendentes eam fuisse sententiam veterum Patrum, praesertim S. AUG., eaque de causa morem antiquitus viguisse, Eucharistiam infantibus statim post baptismum administrandi. Estque de fide pro *parvulis* ex TRID. (sess. 21, can. 4) : « *Si quis dixerit,* PARVULIS, *antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem, anathema sit.* » Et quoad *adultos*, si non de fide, quod tamen contendit PERRONE cum aliis quibusdam, ita saltem certum est, ut sine temeritate negari non possit. Ratio : quia est sacramentum vivorum supponens hominem esse in gratia; ergo independenter ab ejus sumptione potest homo habere statum gratiae, qui ad salutem obtinendam sufficit. Hinc si quis immediate post baptismum aut sacramentum poenitentiae fructuose susceptum moriatur, non est de ejus salute dubitandum.—**2°)** Imo, nequidem **in voto** est necessaria *necessitate* **medii,** si *votum* proprie et stricte sumatur : quod enim sic est necessarium, debet in re susceptum per se causare gratiam primam; alias impletio cujuscumque praecepti diceretur necessaria *in re* vel *in voto;* atqui Eucharistia non causat per se gratiam primam, sed justificationem seu statum gratiae supponit, ut dictum est; ergo. Dixi : *si votum proprie et stricte sumatur;* nam multi dicunt cum S. THOM. (p. 3, q. 80. a, 11 in corp.), Eucharistiam tum infantibus tum adultis necessariam esse *necessitate medii in voto*, sumendo votum in *latiori* sensu, pro habituali quadam dispositione aut inclinatione : vel quatenus, cum Eucharistia sit finis omnium sacramentorum (tom. 2, pag. 362), et omnis res inclinatione quadam seu desiderio propendeat in finem suum, is qui baptizatur, quasi ipso pondere et inclinatione gratiae baptismalis, propendet in perfectam unionem cum Christo, quae

habetur per Eucharistiam; vel quatenus omnis justus, ratione gratiae habitualis inclinantis voluntatem in praeceptorum observantiam, saltem habitualiter dispositus est ad omnia divina praecepta observanda, ac proinde etiam ad praeceptum de sumenda Eucharistia suo tempore implendum.—3°) Est tamen **adultis** necessaria *necessitate* **praecepti**, tam *divini*, quam *ecclesiastici*, modo ad annos discretionis pervenerint, illamque reverenter suscipere possint. Et quidem **divinum** sub gravi obligat omnes adultos, tam *fideles* quam *infideles* : fideles *directe* seu *immediate;* infideles vero *indirecte* seu *mediate* scilicet, ut prius fidem amplectantur, ac deinde communicent. **Ecclesiasticum** tantum obligat baptizatos. Latum fuit in Conc. Lateran. IV et confirmatum a Trid. (sess. XIII, *de Euch.* can. 9) his verbis : « *Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in paschate, ad communicandum juxta praeceptum S. Matris Ecclesiae, anathema sit.* » De praecepto *ecclesiastico* jam egimus (tom. I, pag. 522 seqq.).—4°) Eucharistia non est necessaria sub **utraque specie** omnibus fidelibus. Est de fide ex Trid. (sess. XXI, can. 1) : « *Si quis dixerit ex Dei praecepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem SS*mi *Euch. Sacramenti sumere debere, anathema sit.* » **Nec objicias,** Christum (Joan. VI, 54) dixisse : « *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* » **Nam,** ut argumentatur Conc. Trid. (sess. XXI, cap. 1) : « *Qui dixit :* Nisi manducaveritis etc.; *dixit quoque :* Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. » Itaque Christus non praecipit modum communicandi, sed praecipit sumere rem ipsam, aeque sub una ac sub utraque specie contentam, scilicet corpus et sanguinem suum. Aliunde quod particula « *et,* » licet de se sit copulativa, saepe tamen in Scripturis sumatur disjunctive, ostendit illud (Exod. XXI, 15) : « *Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur;* » ubi hebraeus textus habet : « *Qui percusserit patrem et matrem, morte moriatur;* » ad quam tamen poenam subeundam sufficit alterutrum occidisse. Et Petrus ad claudum, quem sanavit (Act. III, 6) dixit : *Argentum et aurum non est mihi;* » « ubi illud significare voluit, ait Bened. XIV (*de sacrif. miss.* sect. 1, 359) sibi neque esse aurum, neque argentum. » Denique quod particula « *et* » in verbis quae objiciuntur,

debeat sumi *disjunctive*, praeter allatam Christi sententiam : « *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum ;* » quae falsa foret, si sumeretur *copulative ;* manifeste tradit Paulus (1 Cor. XI, 27) inquiens : « *Itaque quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* » Constat etiam ex universali Ecclesiae praxi, licet prioribus saeculis diversa fuerit. — **Rationes vero cur communio sub specie vini laicis interdicta fuerit,** tradit Catech. Rom. (*de Euch.* n. 71). Praecipuae sunt : **1.** Ne sanguis Christi in terram funderetur, praesertim in magno communicantium concursu. **2.** Cum S. Eucharistia aegrotis praesto esse debeat, timendum erat ne, si diutius vini species asservaretur, acesceret. **3.** Ut servaretur uniformitas in hoc sacramento unitatis. Sunt enim multi abstemii qui a vino abhorrent ; sunt alii quibus repugnat ex eodem calice bibere post sordidos, foetidos, etc. **4.** In pluribus provinciis est maxima vini penuria, nec ad illas sine maximis expensis convehi potest. **5.** Convellenda erat duplex haeresis : *una* eorum qui negabant sub qualibet specie totum Christum contineri ; *altera* Petri Dresdensis, Pragae ludimagistri, et Jacobelli, concionatoris Misnensis, qui saec. XIV damnabant sacrilegii reos qui unam tantum speciem sumebant. Hos secuti sunt initio saec. XV Joan. Huss et Hier. Pragensis, eumdemque errorem subsequenti tempore adoptarunt Lutherani et Calvinistae. Interim notat Bill. : « Certis in casibus licere de facto laicis sumere species vini. 1°) Si sit periculum ne ab haereticis effundantur aut profanentur. 2°) Si, sacerdote post sumptionem corporis defuncto, non adsit alter sacerdos qui species vini remanentes et corrumpendas consumat. 3°) Si sanguinem effusum sacerdos lambere recuset. 4°) Ex privilegio : sic imperatores et reges Galliae, dum inaugurantur, communicant sub utraque specie. Similiter diaconus et subdiaconus summo Pontifici solemniter celebranti assistentes. »

Scholion. Licet proprie et stricte loquendo Eucharistiae communio *in re vel in voto* non sit necessaria *necessitate medii ;* dici tamen potest cum S. Thom. (p. 3, q. 80, a. 11 ad 2) eam adultis esse **moraliter** *necessariam* ad vitam spiritualiter conservandam adeoque ad perseverandum. Ratio ex S. Lig. (VI, 193) : « Quia sicut vita corporalis diu non potest conservari sine cibo materiali,

ita vita animae sine hoc cibo spirituali, saltem in voto, et quidem explicito in eo, qui necessitatem hujus sacramenti advertit.» Praeterea, ut scribunt TT. Mechl. « Hoc quippe sacramentum est quaedam ordinaria via, qua Deus homini confert singulare quoddam auxilium ad perseverandum in via spirituali inter tot pericula: ergo, cum perseverantia sit adeo difficilis humanae imbecillitati, et Deus regulariter in hominum salute procuranda ordinariis mediis uti soleat, moraliter rem aestimando, facile timeri potest, ne in gratia ad terminum viae non perveniat, qui peccandi periculis expositus, illo perseverandi medio opportune uti negligeret. »

Q. 50. *Quandonam* urgeat praeceptum DIVINUM communicandi?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Quandoque urget **per se**; quandoque urget **per accidens.—1°**) Urget **per se** : **A**) Tum in *articulo* et morali *periculo* mortis. Est enim viaticum confortans adversus hostes salutis. Unde tenentur non tantum extreme decumbentes, et capite damnati, sed etiam periculose praeliaturi, navigaturi, periculosam incisionem subituri, et mulieres praegnantes, quae regulariter cum periculo mortis pariunt. **B**) Tum *aliquoties in vita*. Christus enim Euch. instituit in cibum spiritualem animae, qui saepius sumendus est ad vires animae reficiendas; praeterea alia praecepta affirmativa indefinite prolata, v. g. fidei, spei, charitatis, saepe obligant in vita; ergo et hoc. Interim *quoties* determinate obliget, non scitur. Dicendum tamen cum Bill., Daelm., Steyaert et communi DD., quod praecepto *divino* satisfaciant, qui semel in anno communicant : quia cum Ecclesia non plus exigat, non satis saluti fidelium providisset, si praeceptum divinum plus requireret.—**2°**) Urget **per accidens,** quoties superanda foret gravis tentatio, quae aliter superari non posset. Eo tamen casu, omittendo communionem, non peccaretur contra praeceptum communicandi, sed contra virtutem, adversus quam tentatio assurgit. Sed recte advertunt DD. ex Suar., hoc vix unquam fieri, aut ne vix quidem, cum praeter communionem sufficere possint alia media ad tentationem vincendam. Cfr. S. Lig. (VI, 295).

Resolvitur 1. *Moribundus*, in paschate negligens communio-

nem, committit **duo** peccata *specie distincta*, quia est diversus finis utriusque praecepti; in *paschate :* ut cum tota Ecclesia celebret commemorationem ultimae coenae, passionis ac mortis Christi; pro *viatico :* ut se praeparet pro transitu ex hac vita et se muniat contra tentationes daemonis, qui in fine solent esse graviores. **Resol. 2.** Qui omittit communionem in periculo mortis, non tenetur postea supplere, si evadat : quia cessat finis. E contra, si praevideat se *brevi* lapsurum in mortis periculum, nec habiturum tunc occasionem communicandi, tenetur praevenire : quia periculum proxime praevisum moraliter imminet. **Resol. 3.** Non minus admirandum, quam dolendum, multos reperiri, qui, dum graviter decumbunt, de mortis periculo audire nolunt, ne in tristitiam incidant, et interim sine sacramentis moriuntur non sine scandalo aliorum. Excusari forte aliquando possunt, quod periculum mortis non ita apprehendant. Cavendum medicis, ne ex humano respectu vel alio motivo pejore dissimulent periculum et non moneant, ut sacramenta mature suscipiant. Cfr. Sass.

Q. 51. An *obliget* praeceptum DIVINUM communicandi in mortis periculo, si quis *ex devotione* communicasset : 1°) *paucis ante diebus*, v. g. septem vel octo; 2°) ipso *mane?*

R. Ad 1um) *Controvertitur.*

Explanatur. Alii **affirmant** cum Bill., Vasq., C. Palao; et haec sententia vocatur « *probabilior* » a S. Lig. (VI, 285). Alii **negant** cum Laym., Lug., Ronc., Suar. : quia finis praecepti est, ut quis se disponat per Euch. ad vicinam mortem. Quorum sententia « *satis probabilis* » habetur a S. Lig. (*ibid.*), saltem si periculum mortis *naturaliter* accidat : quia tunc in illo brevi tempore antecedente, jam moraliter coepit imminere, quamvis fuerit ignoratum. Secus, si *violenter*, v. g. dum quis vulneratur vel ex alto cadit. — Ast si valeret dicere, quod per illam communionem jam praecepti fini satisfactum sit, sufficeret etiam ad implendum praeceptum paschale, ut quis communicaret aliquot diebus ante quindenam paschalem, quod tamen nemo dixerit.

R. Ad 2um) *Controvertitur.*

Explanatur. *Quadruplex* datur sententia. Ex 1ma) **potest et**

debet iterum communicare. Ita Dian. — Ex 2^da^) **potest**, si velit, sed **non debet**. Ita Ronc. — Ex 3^tia^) **nec potest, nec debet**. Ita Bill., Suar., Laym., Sass. Ratio eorum est : quia duplex una die communio prohibetur ab Ecclesia; et licet praeceptum Viatici sit divinum, Deus tamen reliquit Ecclesiae ordinare, qualiter sumendum pro reverentia sacramenti. Addit Bill. : « Huic resolutioni favet D. Thom. (in 4, d. 12, q. 3, a. 1, q. 4), ubi indefinite et nullo casu excepto dicit : « *Homo non debet pluries in una die communicare.* » « Attamen suadendum est, ait Sass., ut die sequenti communicet. » — Ex 4^ta^) *distinguendum* est inter periculum mortis **naturale** seu intrinsecum, et **violentum** seu extrinsecum et accidentale, juxta modo dicta. Si **primum** : ut si quis post meridiem apoplexia tangeretur, *non potest* iterum communicare, quia jam satisfactum est praecepto : licet enim mane nondum se exterius manifestabat morbus, tamen jam exsistebat interius. Si **secundum** : ut si vulnus lethale acceperit, *potest*, imo *debet* communicare, quia nondum periculum mortis aderat. Ita Lug. Et haec sententia « *probabilior mihi videtur*, » ait S. Lig. (VI, 285).

Resolvitur. In tanta opinionum varietate, **in praxi** pro libertate standum est. Hinc, sicut *morituro*, ita pariter, teste Bened. XIV (*de Syn.* l. 7, c. XI), « *integrum erit* parocho, *eam sententiam amplecti, quae sibi magis arriserit... Neque fas erit episcopo in parochum animadvertere qui praefato aegrotanti Viaticum denegavit.* » Ad me quod attinet, *nollem* in tali circumstantia Viaticum denegare, praesertim illud desiderantibus. Et quis est, qui non desideraret? Imo negare *non auderem*, stante declaratione generali S. C. de P. F. ad Vic. Ap. *Pondicherien.* (26 Jul. 1845) : « *Infirmo ad mortem, qui absolutione peccatorum dignus habitus fuerit, SS. quoque Viaticum* concedendum est. »

Q. 52. An qui, *post* Viaticum sumptum, peccet *mortaliter*, teneatur, stante eodem morbo, denuo *communicare?*

R. *Negative :* quia jam satisfecit et aliter se confortare potest. Secus dicendum, si *sacrilege* suscepisset. Sed tunc non sunt renovandae caeremoniae, et debet dari, salva fama aegroti. Quod si plene morbum et periculum evadat, et postea reincidat, denuo tenetur communicare : quia est novum periculum. Cfr. Sass.

Q. 53. *An* in periculo mortis communio *danda* sit : 1°) PUERIS ; 2°) AMENTIBUS et PHRENETICIS ; 3°) PERFECTE EBRIIS ; 4°) DAMNATIS ULTIMO SUPPLICIO?

R. Ad 1^um^) *Quoad* PUEROS, si usum rationis nondum sint adepti, *negative* : tum quia adest periculum irreverentiae, tum quia hodie talis est usus Ecclesiae latinae. Secus *affirmative*, licet nondum communicaverint, modo sciant *distinguere* Euch. ab alio cibo. Ita BENED. XIV (*de Syn.* l. VII, cap. XIII) cum S. THOM. (p. 3, q. 80, a. 9 ad 3). Ratio ex S. LIG. (VI, 301) est : « Quia ex una parte pueri in tali periculo constituti tenentur ex praecepto divino communicare ; ex alia utilitas Eucharistiae tunc majorem dispositionem non exposcit. »

Resolvitur 1. Licet olim, teste CONC. TRID. (sess. XXI, *de comm.* cap. 4), etiam pueris ante usum rationis Eucharistia dispensaretur, quae praxis in ecclesia *graeca* adhuc hodie subsistit ; peccaret tamen graviter qui in ecclesia *latina* ipsis Viaticum praeberet : quia usus universalis hujus ecclesiae aequivalet prohibitioni. **Resol. 2**. Ut recte notat BILL. : « Graviter culpandi sunt parentes, qui ne solvant majora jura funeralium, non curant, ut communio suis proli-bus moribundis administretur sub praetextu, quod nondum fecerint primam communionem. » « Hoc autem inconveniens, scite addit DENS, facile evitabitur, si parochus, casu quo tales proles moriuntur, non urgeat parentes ad exsequias more adultorum. »

R. Ad 2^um^) *Quoad* AMENTES et PHRENETICOS, si fuerint *perpetuo* tales, *negative*. Ratio est : quia assimilantur pueris usu rationis carentibus, quibus proinde neque in vita, neque in mortis articulo licet communionem administrare. Si vero usum rationis habuerint, nec certo sciuntur amisisse in mortali, quod in dubio non praesumitur, *affirmative*, si absit periculum exspuitionis aut alterius irreverentiae.

Explanatur. Ita S. THOM. (p. 3, q. 80, a. 9 in cor.) et CATECH. ROM. Ratio ex S. LIG. (VI, 302) est : « Quia ex una parte praesumitur is interpretative communionem petere ; ex altera huic Eucharistia adhuc necessaria esse potest, nempe si incidisset in amentiam exsistens in peccato mortali de quo solum attritus fuerit. » « Nec

obest, ait Sass., quod blasphement, renuant, etc.; quia non sunt liberi, et censentur petiisse, dum erant suae mentis. Si dubites, an sint reverenter suscepturi, da semel aut saepius hostiam non consecratam; si hanc reverenter suscipiant, da etiam consecratam. Idem practicandum est, si sit periculum, ne infirmus hostiam per vomitum ejiciat, sed hic monendus, ne primam adoret. » Suffragatur S. Lig. (VI, 292). Quantum vero ad **semifatuos**, seu qui habent debilem usum rationis, attinet : « *Quia tales possunt aliquam devotionem hujus sacramenti concipere, non est eis hoc sacramentum denegandum*, » ait S. Thom. (*l. c.*). Hinc si valeant distinguere hunc coelestem panem ab alio, debet ipsis exhiberi in articulo mortis et in paschate. Imo, juxta Sass. et alios, « communicari etiam possunt *saepius* in anno juxta arbitrium confessarii. » Idem dicendum de **surdis-mutis** a nativitate. « Verum mutis-surdis et simul caecis a nativitate omnino neganda est communio, » ait S. Lig. (VI, 303). Idem docet *Collet*. Interim negare haud auderem, hodiedum eorum instructionem eo usque posse provehi, ut ad eam discretionem perveniant qua cibum istum spiritualem a corporali discernere valeant. Demum **energumenis**, dum sunt sui compotes, exhibenda est communio non solum in articulo mortis et in paschate; sed etiam pluries in anno juxta prudentiam confessarii, cum sit speciale remedium ad daemones arcendos. Hinc ait Cass. apud S. Thom. (*l. c.* ad 2) : « *Eis qui ab immundis vexantur spiritibus communionem sacrosanctam a senioribus nostris nunquam meminimus interdictam.* »

R. Ad 3^{um}) *Quoad* perfecte ebrios, opus est sequenti *distinctione*.

Explanatur. 1°) Si *certo constet* ebrietatem esse **graviter culpabilem**, ut si agatur de illo, qui ex consuetudine ebrius est, licet dari possit absolutio sub conditione, nequit tamen dari Viaticum, quia non est mittendum canibus, ut canit Ecclesia. Teste autem S. Chrys. (*hom.* 5 in Matth.) : « *Est canis ebrio praestantior et asinus melior.* » **2°**) Si certo constet ebrietatem esse **plane inculpabilem**, vel **non graviter culpabilem**, potest et debet, secluso irreverentiae periculo, administrari Viaticum. **3°**) **In dubio**, praesumitur ebrietas esse *involuntaria*, aut saltem non *gra-*

viter culpabilis, ut si agatur de illo, qui nunquam aut vix unquam fuit vino aut cerevisia depositus. Ita GOBAT.

R. Ad 4^um^) *Affirmative*, per se.

Explanatur. Dicitur : **per se** ; nam praxis contraria in quibusdam locis, saltem olim, observatur. Docet autem BENED. XIV (*de Syn.* l. VII, c. XI, n. 3), ex variis locorum consuetudinibus « *eam sequendam esse, quae in unoquoque loco respective obtinere dignoscitur.* » Interim fatetur « *christianae pietati magis conforme esse* », ut Eucharistia praebeatur capitali sententia damnatis, censetque « *Episcoporum partes esse, hanc disciplinam in suis dioecesibus invehendum curare,* » adducta auctoritate S. PII V, qui in epistola ad suum in Hispaniis Nuntium disciplinam contrariam ibidem tunc vigentem aperte improbat, inquiens : « *Id nos* [sacramentum Eucharistiae] *minime esse denegandum censemus ; cum christianae charitati magis conveniat eos, ad resistendum tali tempore fortius diabolicis tentationibus sacra communione muniri, ut perituro corpore, saluti animae, quantum fieri potest, subveniatur.* »

CAP. 11. De dispositionibus ad Euch. digne suscipiendam.

ART. I. De dispositionibus requisitis : 1° ex parte animae.

Q. 54. *Quaenam* sint *dispositiones ex parte* ANIMAE ad Eucharistiam *digne* suscipiendam ?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel loquimur de *dispositionibus* **remotis,** quae quidem efficiunt, ut potius quis *non indigne* accedat ad Eucharistiam ; vel de *dispositionibus* **proximis**, quae faciunt, ut quis assequatur omnes mirabiles illius effectus, de quibus postea.

Si **primum** : *praecipua dispositio* est **probatio,** juxta illud Apostoli (1 COR. XI, 28) : « *Probet autem seipsum homo.* » « *Ecclesiastica autem consuetudo declarat*, ait Conc. TRID. (*Sess.* XIII, cap. 7), *eam probationem esse necessariam,* » ita quidem, ut explicatur *ibidem*, quod volenti communicare vel celebrare, si *peccati mortalis* sibi conscius sit, *per se loquendo*, non sufficiat CONTRITIO ;

sed, ex *speciali praecepto*, necesse sit praemittere **confessionem** sacramentalem. *Per accidens* tamen sufficit CONTRITIO, saltem bona fide existimata, si adsit communicandi seu celebrandi *necessitas* ac simul desit *copia confessoris* Eamdem doctrinam statuit atque declarat TRID. (*ibid.* can. XI) docens : « *Illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario praemittendam esse* **confessionem** *sacramentalem,* » additque : « *Si quis autem contrarium docere, praedicare vel pertinaciter asserere seu etiam publice disputando defendere praesumpsit, eo ipso excommunicatus exsistat.* » Quod si tamen, urgente necessitate, **sacerdos** absque praevia confessione celebraverit, tenetur, ex praecepto ecclesiastico, **quam primum** confiteri (t. 2, p. 405 seq.). Id enim praecipit TRID. (*ibid.* cap. 7) his verbis : « *Quod si, necessitate urgente,* SACERDOS *absque praevia confessione celebraverit,* QUAM PRIMUM *confiteatur.* » Quod Concilii mandatum non de *consilio*, sed de *praecepto* intelligendum esse, constat ex prop. damn. ab ALEX. VII sub. n. 38 : « *Mandatum Trid., factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi* QUAM PRIMUM, *est consilium, non praeceptum.* » Dixi : **praecipua dispositio** ; nam praeter CONFESSIONEM SACRAMENTALEM per se loquendo praemittendam ab eo, qui *sibi conscius est peccati mortalis*, etiam requiritur **sufficiens instructio et discretio**, qua sacra haec mensa a profana discernatur.

Si **secundum** : requiritur ex S. THOM. (p. 3, q. 80, a. 10) in sumente : « *Ut cum* **magna devotione et reverentia** *ad hoc sacramentum accedat.* » Quare CONC. TRID. (sess. XIII, cap. 7) dicit : « *Certe quo magis sanctitas et divinitas hujus sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet,* NE ABSQUE MAGNA REVERENTIA ET SANCTITATE *ad id percipiendum accedat.* » Hanc autem specialem DEVOTIONEM ET REVERENTIAM ostendunt : *fides viva*, quia Euch. est mysterium fidei ; *spes firma*, quia est pignus gloriae ; *amor intensus* Dei et proximi, quia est sacramentum charitatis et unitatis ; *memoria mortis et passionis* D. N., quia jussit id fieri in sui commemorationem ; ac tandem *omnium aliarum virtutum apparatus*, quia omnium virtutum exemplar continet.

Q. 55. An qui *recordatur* peccati mortalis, quod ex *obli-*

rione inculpabili vel saltem non graviter culpabili in confessione non declaravit, TENEATUR illud *ante communionem* vel celebrationem *confiteri?*

R. *Controvertitur.*

Explanatur. Alii **affirmant** cum SUAR., BONAC., SALM., etc.; excipiunt tantum, si quis nequiret sine scandali aut infamiae periculo confessionem praemittere. Alii **negant,** juxta sententiam, quam S. LIG. (*H. A.* XV, 23) vocat : « *valde rationi consonam,* » et quam « *practice esse tutam* » fatetur GOUSSET. Talis enim nequit ex TRID. (sess. XIII, can. 11) accenseri illis « *quos conscientia peccati mortalis gravat.* » Praeterea, qui confessionem praemisit, jam praecepto ante communionem confitendi satisfecit, et confitendo probatus est, ut praecipit Apostolus (1 COR. XI, 28), siquidem per confessionem peccatum oblitum jam indirecte remissum est. Optimum quidem est, actum contritionis de peccato omisso elicere ante communionem; sed ex communi sententia apud S. LIG. (VI, 257) « *nec ullum apparet fundamentum, unde et ad quid haec contritio* REQUIRATUR : *non ex praecepto, quia hoc nullibi invenitur praescriptum; non ad delendum peccatum, quia hoc jam deletum est per confessionem antea factam.* » Imo, juxta plures graves DD. apud GURY, poenitens differre probabilius potest confessionem horum peccatorum ex oblivione omissorum, donec ex vi alterius obligationis iterum confiteri teneatur. Sic ad varios menses et etiam ad tempus annuae confessionis differri posset. Attamen **nulla alia confessio,** iis omissis, interponi potest. Ratio est : quia ad integritatem confessionis pertinet declarare in actuali accusatione omnia peccata mortalia nondum accusata, quae memoriae occurrunt, seu quorum habetur conscientia, ut dicit TRID. (sess. XIV, cap. 5). Porro, juxta SUAREZ, (*de poenit.* disp. XXII, sect. 1, n. 1) ea peccata sunt in praesenti conscientia, quae commissa post baptismum per aliam confessionem non sunt rite clavibus subjecta. Aliunde damnata est (24 Sep. 1665) ab ALEX. VII sequens propositio sub n. XI : « *Peccata in confessione omissa seu oblita, ob instans periculum vitae aut ob aliam causam non tenemur* IN SEQUENTI CONFESSIONE *exprimere.* » Cfr. PRINC. DOGM. MOR. UNIV. THEOL. SACR. p. 351 seq. Item N. R. T. (XXIII, 109 seqq.).

Q. 56. An *dubitans*, utrum *mortaliter* peccaverit *necne*, TENEATUR ante communionem seu celebrationem *confiteri?*

R. *Controvertitur.*

Explanatur. Alii **affirmant** et invocant auctoritatem S. THOM. (in 4, d. 21, q. 1, a. 3 ad 3), ubi sic ait : « *Similiter periculo se immittit qui de hoc, quod dubitat esse mortale, negligit confiteri. Non tamen debet asserere, illud esse mortale, sed cum dubitatione loqui et judicium sacerdotis exspectare, cujus est discernere inter lepram et lepram.* » Alii **negant** cum S. LIG. (*H. A.* XV, 34) : « *Sive dubium sit* NEGATIVUM *sive* POSITIVUM *(sufficiendo sibi ut tutius fructum sacramenti percipiat, ut praemittat contritionem); quia praeceptum Apostoli :* PROBET AUTEM SEIPSUM HOMO, *ratione cujus intelligitur praecepta esse confessio, ut declaravit* TRID., *ligat tantum eos qui sunt* CONSCII, *nempe certe sciunt se mortale commisisse, de quo non sunt adhuc confessi, ut idem* TRID. *declaravit sess. XIII, cap. 7 dicens :* UT NULLUS SIBI CONSCIUS PECCATI MORTALIS AD EUCH. ACCEDERE DEBEAT. *Itaque praeceptum prohibitionis non incipit possidere, nisi postquam homo sit sui peccati conscius.* » « **Nec obstat**, ait S. LIG. (VI, 473), auctoritas D. THOM. allata : ibi enim S. D. revera non loquitur de eo, qui post diligentiam efformat sibi judicium, quod peccatum suum sit dubie mortale, et ideo dubium deponit ex regula... quod non detur certa obligatio, ubi delictum est dubium ; sed loquitur de eo, qui certus est de sua actione mala et nescit discernere, an fuerit vel ne mortalis : hic utique tenetur diligentiam adhibere, ut dubium deponat ; unde cum nescit illud deponere, tenetur stare judicio confessarii, cujus est discernere inter lepram et lepram. » — « Ceterum, ut monet S. LIG. (VI, 476), **in praxi**, ordinarie loquendo, omnino suadenda est poenitentibus confessio mortalium tam negative quam positive dubiorum, cum id ordinarie prosit ad conscientiae tranquillitatem. Dixi : *ordinarie ;* nam scrupulosi omnino eximi debent ab obligatione confitendi peccata dubia... Item eximi debent... qui sunt timoratae conscientiae et non solent deliberate lethaliter peccare. »

Q. 57. An *certus* de mortali commisso, sed *dubitans*, an sit illud confessus, *possit* communicare, priusquam illud declaretur ?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Si dubium sit **negativum** ob defectum rationum, non potest communicare, sed debet illud prius confiteri : quia tale dubium est mera nescientia, sicque dubitans non habet rationem alicujus momenti, quo prudenter judicare possit, se peccatum illud fuisse confessum. 2°) Si vero dubium sit **positivum,** DD. *disputant.* **A**) Juxta alios cum S. Lig. (*H. A.* XV, 34) non potest communicare, priusquam illud declaretur : quia ageret contra praeceptum, quod requirit probationem non solum probabilem, sed etiam certam, sicut fuit certum peccatum. Juxta alios vero, probabiliter potest communicare, nec tenetur illud peccatum confiteri (tom. I, pag. 92). **Practice** loquendo, praescindendo tamen a piis et scrupulosis, confessio est suadenda, ut plurimum conducens ad anxietates deponendas. Cfr. Tract. de Poenit. (Q. 44).

Q. 58. An *praeceptum* confitendi ante communionem, ut obtineatur status gratiae, sit *divinum*, an *ecclesiasticum?*
R. *Disputant* DD.

Explanatur. Juxta S. Lig. (VI, 256 et H. A. XV, 22), « *communis sententia et vera* » docet tale praeceptum non esse ecclesiasticum solummodo, sed etiam **divinum** : 1°) Quia Apost. testatur se illud accepisse a *Domino.* 2°) Quia ex Trid. consuetudo ecclesiastica illud *declaravit*, non vero *introduxit.* 3°) Quia si esset humanum, non apparet, cur Trid. (Sess. XIII, can. 11) deberet condemnare et excommunicare eos, qui negarent talem obligationem : cum omnis lex aut consuetudo *humana* exposita sit inefficaciae in obligando, sive quia in aliqua provincia legitime recepta non esset, aut quia per legitimam consuetudinem contrariam esset contra illam jam praescriptum.— Interim, quia lex *positiva* est, ab ea excusat *quodcumque incommodum grave ;* et quoniam ad *majorem* sacramenti reverentiam pertinet, facile cedit legibus ceteris.

Q. 59. *Qualis* debeat esse necessitas, ut liceat *conscio de peccato mortali* absque confessione communicare aut celebrare?

R. 1°) *In generali* certum est, eam debere esse gravem : quia res gravis est, praetermittere exsecutionem praecepti divini et in materia tam gravi. 2°) *In particulari* vero, diffi-

cile est judicare, quandonam necessitas sit gravis : pendet enim multis ex circumstantiis, et ideo ex prudenti arbitrio.

Resolvitur. Unde *per se* non sufficeret celebritas festi, onus missae dicendae ex beneficio, magna devotio, indulgentia lucranda, sacerdotis paupertas, nisi esset valde gravis. — Communiter inter *necessitates excusantes*, assignantur sequentes : 1°) **Periculum mortis ipsius communicaturi.** Hinc sacerdos in certo mortis periculo constitutus, nec habens copiam confessarii, potest vel celebrare, vel antea consecratam hostiam sumere praemissa contritione. Item laicus in simili periculo constitutus, si non adsit nisi solus diaconus, potest, etsi conscius peccati mortalis, ab eo Viaticum sumere, modo sit contritus. 2°) **Periculum mortis alterius,** ut si oporteat facere sacrum ad communicandum aegrotum. 3°) **Periculum infamiae,** ut si quis in communicantium scamno jam reperiretur, unde discedere non posset, quin ab aliis notetur. Aut si sacerdos jam populum convocaverit, et sub nullo praetextu suspendere possit celebrationem. Idem etiam esset, si, allato Viatico ad infirmum tempus non suppeteret, ut confessio compleretur sine periculo, non tantum mortis, sed etiam infamiae; quo casu sacerdos, audito aliquo peccato, debet moribundum absolvere, imponendo ei, ut deinceps integre confiteatur, eique communionem praebere. Imo, juxta doctissimum P. Van der Velden, adesset necessitas excusans ob periculum infamiae : « *quando poenitenti denegata fuit absolutio et sine nota a communione abstinere nequit, quia v. g. ultima dies est quindenae Paschatis, et praesentes in suspicionem adducerentur absolutionis denegatae.* » Quam singularem sententiam admittere non valeo, nisi forte in casu rarissimo, quo certo constaret, absolutionem *injuste* fuisse denegatam (de quo tamen valde periculosum est simplici fideli judicium relinquere), et aliunde desit *copia* confessoris, i. e. si inveniendi alium, a quo absolvatur, tempus non suppeteret. 4°) **Periculum scandali** quod oriretur ex omissione missae vel communionis, ut si non tantum *parochus* vel *vices ejus gerens,* sed etiam ex Bill. *quilibet alius sacerdos* debeat celebrare, ut *populus* missam audiat die festo, stante funere, pro benedicendis nuptiis. « Non tamen sequitur inde, subjungit Bill., quod idem vel pastor possit celebrare, ne *ipse* privetur missa in die festo : non

enim currunt eaedem rationes; neque etiam, saltem *probabilius*, ut ipse vel parochianus faciat communionem paschalem, quippe quae propter varias alias rationes potest differri. » Hoc tamen posterius *probabile* habet S. Lig. (VI, 261). 5°) **Integritas sacrificii** seu necessitas absolvendi inchoatum sacrificium. Hinc sacerdos in peccato mortali constitutus, dum alius haberi nequit, perficere poterit sacrificium ab alio sacerdote inchoatum, si hic post consecrationem deficiat aut moriatur. Similiter, « si sacerdos committeret mortale in missa, vel antea commissi et non remissi recordetur, potest prosequi, quia vix sine gravi nota infamiae poterit fieri confessio, nisi forte in missa solemni sub cantu vel concione. » Ita Sass. Concinunt, praeter alios, Leonardelli, F. A Victoria, D. Soto, Spor., Gouss. (II, 190). Alii *distinguunt* cum S. Lig. (VI, 262) hoc modo: si recordetur *post* consecrationem, potest prosequi; si vero *ante* consecrationem, et praesertim ante canonem, si non timetur scandalum, debet missam incoeptam deserere. « *Et haec sententia videtur esse juxta Rubricam*, » ait S. Lig. (H. A. XV, 25). At, ut merito observat D'Annibale, « Rubr. Miss. *non habet ea quae* S.D. *ibi descripsit* »; quin potius primae sententiae favet, universaliter inquiens: « *Si* in ipsa celebratione missae *sacerdos recordetur se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi.* » Nec meliori jure provocatur ad auctoritatem S. Thom. (p. 3, q. 83, a. 6 ad 2), ut ostendi in op. Princ. dogm. mor. univ. Theol. Sacr. (p. 356 seq.). Ceterum, *practice* loquendo, *secunda* sententia a *prima* differre non videtur, cum, fatente S. Lig. *(ibid.)*, « *difficulter evenire potest quod sacerdos deserat missam sine infamiae nota.* » 6°) **Periculum profanationis**, v. g. in subita infidelium aut haereticorum irruptione, qui hostias consecratas profanabunt. Imo, in isto casu, non videtur improbabile (tom. 2, pag. 425), quod liceat suscipere Eucharistiam in mortali, si catholicus in peccato exsistens non posset prae temporis angustiis disponere se per contritionem, et occultare Sacramentum. Tunc reflexe non intendit sumere Euch. ut sacramentum, sed vult illam abscondere in corpore suo sicut in pariete ad majorem cavendam injuriam. Cfr. quae de praesenti materia scripsi in op. Princ. dogm. moral. etc. pag. 352-357.

Q. 60. *Quandonam* deesse censeatur *copia confessoris?*

R. DEESSE censetur, non si absit ille, cui soles vel cuperes confiteri, sed in *quatuor* sequentibus casibus.

Explanatur. 1°) Si, urgente necessitate communicandi vel celebrandi, plane **nullus sit praesens sacerdos approbatus cum jurisdictione,** ad absentem vero sine magna difficultate ire nequeas. Quaenam autem *loci distantia* sufficiat et excuset, regula generali determinari non potest, sed decidendum relinquitur a judicio prudente ex circumstantiis, spectando debilitatem et aetatem personae, aeris inclementiam, difficultatem viarum, longitudinem itineris, praesentiam aliorum, occupationem necessariam in audiendis v. g. confessionibus, brevitatem temporis, etc. ; ita quidem, ut interdum vel sola 50 passuum distantia poterit excusare. 2°) Quando **praesens** quidem est sacerdos habens jurisdictionem, sed vel **A) nolit audire,** sive ex malitia, sive ex alio capite; vel **B) non possit audire,** sive facto, quia est surdus aut penitus ignarus idiomatis poenitentis; sive jure, quia est complex in peccato. 3°) Si praesenti confiteri non possis absque prudenti periculo vel violationis sigilli, vel provocationis ad malum, vel alterius gravis nocumenti; uno verbo : si **ex confessione prudenter timeatur grave incommodum confessioni extrinsecum.** Dico : *extrinsecum ;* quia incommodum *intrinsecum,* i. e. natum sequi ex natura ipsius confessionis non excusat, v. g. confusio quam poenitens confitendo subire tenetur, sublatio bonae opinionis apud confessarium, etc. 4°) Quando **habes reservata, a quibus praesens confessarius te non posset absolvere;** sive haec *sola* certa habeas confitenda, quod omnes admittunt ; eo tamen casu, si advertas te non habere nisi attritionem, tunc teneris confiteri aliquod veniale aut mortale jam remissum, ut a reservatis saltem indirecte absolvaris et in gratia communices; sive etiam, juxta sententiam, quam, judice S. LIG. (VI, 265), « *merito probabilem vocat* SUAR., » si praeter reservata, alia mortalia commisisses. Ratio : quia confessio illa apud inferiorem esset invalida, cum fieret judici non competenti, qui ob peccata reservata, quibus gravatur poenitens, caret omni potestate super illo: At, ut docet sententia ex S. LIG. (ibid.) « *probabilior et communissima,* » omnino teneris ad confessionem. Ratio : quia, cum urgeat praeceptum divinum

praemittendi confessionem communioni, debet fieri confessio saltem formaliter integra, si non possit fieri integra materialiter. Sed, in hoc secundo casu, est sententia vere probabilis, imo juxta S. Lig. (ibid.) « *forte probabilior* », quod *per se* sufficiat poenitenti, ut non reservata declaret. Dicitur : *per se;* quia per accidens aliquando etiam reservata declarare tenetur, ut confessarius de dispositione recte possit judicare, puta si sit recidivus in reservatis vel in occasione proxima peccandi. Interim in dioec. Mechl. et alibi haec difficultas pro celebraturo sublata est, quia in eo casu conceditur facultas absolvendi a reservatis. Cfr. Princ. dogm. mor. univ. theol. Sacr. pag. 357-360.

Q. 61. Dic : 1°) *Quisnam* sit *sensus* praecepti Trid. « quamprimum confitendi », et 2°) *quosnam* obliget?

R. Ad 1^um^) Illud quamprimum non intelligitur quando *sacerdos suo tempore confitebitur*, ut patet ex prop. damnata ab Alex. VII sub n. 39 : « *Illa particula* quamprimum *intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.* » Neque etiam intelligitur *stricte et physice*, quasi immediate post missam teneatur confiteri : nulla enim actio moralis sic praecipitur, nisi in praecepto exprimatur : sed intelligitur *moraliter*, seu ut habet Rub. Miss. : « *cum primum poterit*, » ita ut non differatur confessio *ultra tres dies*, etiamsi amplius celebrare noluerit : quod enim *intra triduum* fit, in jure dicitur fieri statim. Attamen talis sacerdos non potest iterum celebrare, antequam fuerit confessus; quia non fuit excusatus a confessione nisi propter instantem necessitatem. Hinc si urgeat eadem necessitas celebrandi die sequenti, et possit confiteri, confessionem ad aliam diem remittere nequit. Si vero eadem necessitas celebrandi urgeat sequenti die, imo et tertia aut etiam quarta etc. die, nec etiam per istas dies adsit copia confessoris, sacerdos non secus ac prius excusabitur. Advertunt tamen DD. apud S. Lig. (VI, 266), quod in aliquo casu possit sacerdos teneri ad confitendum *eodem* die, et forte *eadem hora*, v. g. si confessarius cito longe profecturus esset, aut si sacerdos in eadem esset celebrandi necessitate die sequenti, in quo etiam confessarius defuturus esset.

R. Ad 2^um^) Obligat, et quidem sub *gravi*, SACERDOTES, qui, conscii peccati mortalis, ex necessitate et deficiente confessario, absque praevia confessione celebraverint.

Resolvitur. Hinc non tenet : 1°) **Laicos** et **sacerdotes communicantes,** quippe quasi laici communicant. 2°) Sacerdotem, qui in **confessione invincibiliter aut saltem sine gravi culpa oblitus est mortalis,** cujus ante missae-celebrationem recordatur : quia hic revera dici nequit celebrasse conscius lethalis sine praevia confessione. 3°) Sacerdotem, qui **bona fide putavit se esse in gratia,** et post sumptionem recordatur peccati mortalis nondum confessi ; imo probabilius ex Sass., si inter celebrandum, sive ante sive post consecrationem, illius mortalis recordetur : quia Trid. loquitur de illo, qui conscius est ante celebrationem, ut indicant verba : *absque praevia confessione* » scilicet *praevia* ad actum celebrandi. Idem dic, ob eamdem rationem, si mortale admiserit post consecrationem ; immo verius ex D'Annib., si vix post missam incoeptam. 4°) Sacerdotes **sacrilege celebrantes,** qui scilicet poterant confiteri, vel a celebrando abstinere : tum quia in praeceptis positivis non valet argumentatio *a fortiori* : tum quia praeceptum Trid. eos tantum respicit, qui bona fide sic celebrant, ne scilicet vano praetextu confiteri differant ; non vero sacrilegos, cum tale praeceptum eis vix unquam profuturum foret : illi enim qui, contemptu praecepto divino, sacrilege celebrare audent, facile sane contemnent ecclesiasticum, quod proin eis occasio fieret novi peccati. Ita DD. « *communissime et verius* » ex S. Lig. (VI, 266). « Attamen **in praxi** tenendum est oppositum, ait Sass. : quia Concilium non supposuit tantam esse sacerdotum malitiam, alias et hoc expressisset. » Imo, est haec sententia ex TT. Mechl. « omnino urgenda, si tali incumbat ex officio celebrare : quia secus exponeret se periculo in illo statu iterum celebrandi. » Utrum 5°) teneat eum, qui **celebrat in feria VI maj. hebd.,** vel eum qui **perficit missam alterius** post consecrationem utriusque speciei, DD. *disputant*. Alii *affirmant* cum Bill., Sass., S. Lig. (VI, 268) : quia utraque actio dicitur communiter et moraliter *celebratio*. Alii ut *dubium* ad minimum putant apud Croix (VI, I, 549). « Et recte quidem, ait D'Annib. : non enim debet aptari jus *ad ea quae perraro eveniunt*. »

ART. II. De dispositionibus requisitis : 2° ex parte corporis.

Q. 62. *Quaenam* sint DISPOSITIONES requisitae ad digne communicandum *ex parte corporis?*

R. Sunt *jejunium* et *decentia.*

Q 63. *Quale* requiratur JEJUNIUM ad communionem?

R. Non sufficit JEJUNIUM *ecclesiasticum*. quod stat cum sumptione medicinae, potus et cibi in modica quantitate; sed requiritur JEJUNIUM *naturale*, i. e. tale, ut a media nocte praecedenti nihil omnino sumatur per modum cibi aut potus, sive usualis, sive medicinalis.

Q. 64. *Quale* 1°) sit praeceptum hujus JEJUNII; 2°) quo *jure;* 3°) *quosnam* et 4°) *quomodo* obliget?

R. Ad 1^{um}) Est praeceptum *negativum*, hoc modo exponendum : *post fractum naturale jejunium non communicato.*

Resolvitur. Quoties ergo fractio jejunii non est certa, possidet jus ad communicandum. Quare dubitans, an dum comedit esset duodecima, vel an post duodecimam aliquid trajecerit, communicare poterit; item si quis decumbens aliquid sacchari vel quid simile, quod sensim liquescit, in os immiserit, et post somnum nesciat, an aliquid post duodecimam trajecerit. Ita TABERN. Cfr. S. LIG. (I, 38 seq. et VI, 282).

R. Ad 2^{um}) Obligat *jure ecclesiastico*, a tempore Apostolorum introducto, et universali Ecclesiae consuetudine ac traditione et conciliis confirmato, praesertim CONSTANTIEN. sess. XIII. Cfr. BILL.

R. Ad 3^{um}) *Per se loquendo* obligat *omnes communicaturos*. Dicitur : *per se;* quia dantur causae excusantes.

R. Ad 4^{um}) Obligat 1°) *sub gravi*, quia latum fuit ob gravem finem, scilicet ex S. THOM. (p. 3, q. 80, a. 8) : tum ob reverentiam Eucharistiae debitam; tum ad indicandum quod Christus primum debet locum occupare in cordibus nostris; tum propter periculum vomitus et ebrietatis. Nec 2°) admittit *parvitatem* materiae, sive ex parte *temporis*, sive ex parte *rei sumptae:*

non enim prohibetur cibus et potus, sed prohibetur communio post cibum et potum, quod semper est quid grave.

Resolvitur. 1°) Allatae doctrinae non obstat **factum Christi,** qui post coenam hoc sacramentum instituit suisque discipulis tradidit. Christus enim, ut docet Bill. ad mentem S. Thom. (*ibid.* ad 1), habuit speciales rationes sic faciendi : **A)** Ut vehementius commendaret mysterii hujus altitudinem, ultimum hoc voluit arctius infigere cordibus et memoriae discipulorum. **B)** Voluit ut desineret vetus Pascha, incipiente novo. **C)** Voluit ut memoriale passionis cum ipsa passione conjungeretur. Quapropter non praecepit quod deinceps tali ordine sumeretur; sed Apostolorum et Ecclesiae dispositioni reliquit modum dispensandi. Unde ejus factum non potest trahi in exemplum. **Resol. 2°)** Illud **a media nocte**, ex communi DD. apud S. Lig. (VI, 283) intelligendum est non quidem moraliter, sed *physice* seu *stricte*, i. e. ab ipso initio praeludii seu tintinnabuli (carillon) horae duodecimae, aut a primo horae pulsu, si tintinnabulo careat : nam ab ultimo vel medio ictu non est amplius integra hora ad primam. Quum tamen Ecclesia non procedat more pharisaico, non videtur velle obligare aliquem ad ejiciendum cibum aut potum, nondum audito primo ictu in os sumptum : esset enim rusticitas et inhumanum quid. Praeterea, licet inter multa horologia dissonantia sequi ultimum quod signat mediam noctem; modo non constet de errore, et hoc ultimum non sit tale, ut plerumque erret, quia tunc praesumptio est, quod semper erret. Uti autem jam notatum fuit (tom. 2, pag. 290), cuique liberum est ex S. Poenit., tam in jejunio naturali servando, quam in officio divino, sequi vel tempus *verum*, vel tempus *medium*. **Resol. 3°)** Si quis a media nocte vel minimum quid sumpserit, quamvis per modum medicinae, sive voluntarie sive non, sub gravi prohibetur communicare, ut constat ex Rubr. Miss.

Q. 65. *Quaenam* requiruntur, ut jejunium *frangi* censeatur?

R. Ex communi DD. tria requiruntur : 1°) Ut res sumatur ab *exstrinseco* et in stomachum *trajiciatur*. 2°) Ut habeat *vim cibi aut potus*. 3°) Ut sumatur ad *instar cibi vel potus*, seu *per modum comestionis aut potationis*.

Resolvitur 1. Ex *primo* capite, **non solvitur jejunium naturale** : 1°) Quando aliquid, etiam ex proposito, deglutitur non sumptum ab extrinseco, sed proveniens **ab intrinseco,** ut sanguis vel pituita ex capite, ore vel dentibus defluens. His accensentur a gravissimis DD., quos inter Suar., Elbel, Quarti, reliquiae ciborum dentibus adhaerentes : quia non sumuntur ab extrinseco die communionis, nec per modum cibi, sed per modum salivae. Et huic sententiae, quae teste S. Lig. (VI, 279) « *non improbabilis* » est, suffragari videtur Rubr. Miss. (*de defect.* IX, 3) ubi sic dicitur : « *Si reliquiae cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivae.* » Quare, stante probabilitate hujus opinionis, nulla datur obligatio eas exspuendi. Quia tamen S. Thom. (p. 3, q. 80, a. 8 ad 4) cum Bill. et aliis multis putat has solvere jejunium naturale, si *advertenter* deglutiantur, hinc laudabile et tutius est eas exspuere, cum potest, sed sine anxietate. Secus dicendum, ob rationem contrariam, si sanguinem sumas ex digito vulnerato, vel humorem descendentem ex naribus. 2°) Quando aliquid sumitur quidem ab extrinseco, sed **non trajicitur** in stomachum, ut si sacerdos vinum in os sumat, ut probet an sit sufficiens ad consecrandum ; aut si coquus aliquid jusculi in os immittat, ut probet an sapiat, modo illud statim exspuat. Quod etiam verum est, licet aliquid permixtum salivae ab ea discerni non possit, et per modum salivae trajiciatur. **Resol. 2.** Ex *secundo* capite, non violant jejunium, quae **digestibilia non sunt,** veluti metallum, frustum ligni solidi, ungues, capilli, vitrum, filum ex serico aut lana, ossicula fructuum et similia, quia nullo modo alterantur in stomacho, sed omnino integra egrediuntur. Neque huic sententiae adversatur S. Thom. (ibid)., uti ostendit S. Lig. (VI, 281). Econtra solvunt charta, filum ex lino, terra, carbones, creta, pulveres ex ossibus et lapidibus, quia sunt aliquo modo digestibilia, et magis adhuc cera, cum sit aliquibus partibus mellis immixta. **Resol. 3.** Ex *tertio* capite, non solvit jejunium : 1°) Id quod sumitur per modum simplicis **gustationis** in lingua et dein exspuitur, quia in stomachum non descendit. 2°) Id quod sumitur per modum **respirationis,** ut si quis respirando inspirat fumum ciborum in culina, fumum tabaci, pulverem in aere versantem, vel pulverem

tabaci per nasum, muscam, floccum nivis, etc., etiamsi quid per accidens in stomachum descenderet : quia respirare nunquam reputari potest edere vel bibere. 3°) Id quod vere deglutitur et in stomachum transit sed per modum **salivae**, ut si quis, praeter intentionem, cum saliva deglutiat guttulas aquae, lavando os, ut constat ex Rub. Miss. ; aut modicum quid proveniens ex gustatione alicujus cibi vel potus ; vel modicum succi tabaci ex fumigatione vel etiam ex masticatione. Interim ante communionem a *tabaco*, praesertim *fumigato* aut *masticato*, nisi detur aliqua ratio, convenit abstinere. Dixi : *praesertim ;* nam ad tabacum **nasalem** quod attinet, illius usus ex universali consuetudine cohonestatur. Hinc, licet olim, uti refert Bened. XIV (*de Syn.* l. X, cap. III, n. 2), Urbanus VIII Const. « *Cum Ecclesia* » (30 Jan. 1642) sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda tabaci nasalis usum vetuerit *in ecclesiis* civitatis et dioecesis Hispalensis, quia ejusdem dioecesis sacerdotes non verebantur tabacum sumere in altari, ex quo sacra lintea indecenter foedabantur et fideles nondum assueti tabaci graveolentiae, illius foetorem abhorrentes, ab ecclesiis se subducebant ; eademque de causa Innoc. X et Innoc. XI sub eadem poena ejusdem tabaci usum interdixerint intra Vaticanam Basilicam ; quam deinde prohibitionem sustulit Bened. XIII ; concludit Bened. XIV (ibid. l. XI, cap. XIII, n. 3) : « *Hodie tamen,* cum a communi consuetudine sit adeo cohonestatus, *ut nulli prorsus scandalum praebeat aut admirationem causet,... nimium profecto severum se praeberet episcopus, si... aut omnibus ante S. Euch. perceptionem, aut solis sacerdotibus ante missae celebrationem tabacum interdiceret, adjecta praesertim in transgressores censurarum poena.* »

Q. 66. In *quibusnam* casibus liceat *non jejuno* communicare ?

R. Praesertim in his *quatuor* sequentibus.

Explanatur. 1°) In **periculo mortis**, sive sit ex morbo, vulnere, veneno ; sive ex sententia judicis. Immo, perseverante eodem mortis periculo, licet infirmis non jejunis *saepius* communicare per modum Viatici. Et merito Bened. XIV (*de Syn.* l. VII, c. XII, n. 5) adhortatur episcopum, ut « *poenam etiam in parochos decernat, qui post plurimum temporis Eucharistiam ad eumdem*

infirmum, eam devote efflagitantem, falsis quibusdam et emendicatis praetextibus denuo deferre detrectent. » Immo, juxta multos, *quolibet die*, quorum sententiam non improbabilem putat S. Lig. (II. A. XV, 47), sublata distinctione inter assuetos et non assuetos saepius communicare, qua antea usus fuerat (VI, 285). 2°) Si id exigat **reverentia Sacramenti** : tum ad vitandam ejus profanationem a parte hostium ; tum ad perficiendum post consecrationem sacrificium *ab alio sacerdote* deficiente incoeptum ; tum ad perficiendum sacrificium *a se* incoeptum, si in communione advertat, se aquam loco vini sumpsisse ; vel si post consecrationem recordetur se non esse jejunum ; vel si, ante consecrationem id quidem advertens, recedere non valet absque gravi incommodo, item si post ablutionem missae vel immediate post missam, sacerdos inveniat particulas *proprii* sui sacrificii. 3°) Si alias **periculum sit gravis scandali vel infamiae**, ut si parochus die dominico vel festo, aut stante funere vel benedictione nuptiarum, non esset jejunus (quod tamen ab aliis ignoratur), et sacrum omittere non possit sine gravi obmurmuratione populi, sine dicteriis et sinistris suspicionibus. Idem dicendum de laico, qui in scamno communicantium recordaretur se non esse jejunum, si inde absque infamia recedere non posset. Quod si parochus, in die Natalis Domini, in prima missa imprudenter ablutionem sumpsisset, non posset, *per se loquendo*, duas reliquas celebrare quia vix scandalum oriri potest, si factum candide fateatur. Circumstantiae tamen forent inspiciendae, et ideo dixi : *per se*. 4°) Si secus **in baptismo adultorum** ritus ab Ecclesia praescripti perturbari deberent. Et ita, ut constat ex S. C. de Prop. Fid. (13 Febr. 1806 , « *Sale a catechumenis in collatione* baptismi adultorum *praegustato, etsi jejunium frangi videatur, adhuc tamen nullum dubium est, quin ad S. Communionem, suscepto baptismate, admitti possint, imo vero debeant.* »

Q, 67. An *liceat* sacerdoti *non jejuno* celebrare ad dandum *Viaticum?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel **ipsemet** Viatico indiget, vel **alius.** — Si **primum** : *affirmative ;* quia tunc in eadem persona concurrunt praeceptum *ecclesiasticum* et *divinum ;* hoc vero praeferendum est. Ita

DD. communiter.— Si **secundum** : *disputant* DD. Alii *affirmant ;* quia praeferendum est praeceptum *divinum* de dando et recipiendo Viatico, praecepto *ecclesiastico* de servando jejunio. Alii *negant* : quia praeceptum non celebrandi post cibi sumptionem est etiam *divinum* quoad substantiam, ratione scilicet reverentiae quae sacramento debetur. Cessat vero praeceptum ministrandi Viaticum, quando rite ministrari nequit. Primam sententiam *probabilem* putat S. Lig. (VI, 286 ; secundam vero *probabiliorem* aestimat, nisi moribundus non posset sacramento Poenitentiae vel Extr. Unct. muniri : nam eo casu Euch. poterit esse sacramentum necessitatis, ut ille ex attrito fiat contritus.

Q. 68. An *liceat* aliquando dare communionem infirmis *non jejunis*, nec periculose *decumbentibus*, si morbus sit *diuturnus?*

R. *Negative*, si *ob solam devotionem* communicent, nisi obtenta fuerit dispensatio quae, docente Bened. XIV, Epist. « *Quadam de more* » (24 Mart. 1756 § 4), « *a nemine, praeter Romanum Pontificem, potest indulgeri.* » Haec autem apostolica dispensatio hodie sat facile conceditur in ordine ad aliquid sumendum *per modum potus* (1).

Explanatur. Dixi : **ob solam devotionem** ; nam utrum infirmis non jejunis liceat absque indulto communicare ad satisfaciendum **praecepto Paschali**, quaestio est. **Negat** quidem *communis* sententia. **Affirmant** tamen plures, quos inter D'Annibale, Gaspari, alii. Nec obstat Rit. Rom. : postquam enim tradiderat, posse Viaticum dari *morituris* non jejunis, simpliciter dicit : « *Ceteris autem infirmis*, inquit, *qui* **ob devotionem** *in aegritudine communicant, danda est Euch. ante omnem cibum et potum.* » Unde communio paschalis hisce verbis Rit. Rom. non videtur

(1) Ut declaravit S. C. Inq. (4 Jun. 1893 et 7 Sept. 1897), « *Mens est n., ubi dicitur* per modum potus, *intelligatur etiam permissus usus jusculi, caffei, vel alterius cibi liquidi, cui misceatur aliqua substantia, uti pastae* (de la semoule), *friatus panis* (du pain rapé), etc., *dummodo ex mixtione non amittatur natura cibi liquidi.* » Ap. R. T. Franc. (I I, 403) et N. R. T. (XXX, 302).

comprehendi. Cui DD. sententiae accedit quod communio annua seu paschalis non mero jure *ecclesiastico*, sed etiam *divino* praecipiatur; mandatum autem divinum humano est praestantius. — Haec breviter dicta sint de controversia quam dirimere ad me non pertinet. Si amplectaris communem sententiam, quae caeteroquin praxi Ecclesiae conformior videtur, vel dicas infirmum in casu excusari a praecepto paschali, vel recurras ad dispensationem pontificiam quae, hodie juxta dicta, sat facile conceditur in ordine ad aliquid sumendum per modum potus. Praeterea in hoc DD. conveniunt, quod infirmis, sive ex sola devotione communicent, sive ad satisfaciendum praecepto paschali, liceat post mediam noctem, quando adhuc jejuni sunt, communionem administrare : quia lex Eucharistiam *non noctu* administrandi ecclesiastica est, quae non censetur fideles aegrotantes adeo adstringere, ut potius non recipiant sacramentum, quam ut noctu aliquoties in anno et praesertim tempore paschali tam salutari remedio recreentur. Imo, de hac re « juxta doctissimos theologos Romae interrogatos nullum dubium est quoad casum communionis annuae seu paschalis (1). » Ap. GURY (II, n. 334).

Q. 69. *In quo* consistat *decentia corporis* ad communionem requisita?

R. In hoc consistit, quod communicaturus, sive in exteriori habitu, sive in corporis compositione nihil prae se ferat, quod SS. Sacramentum dedeceat.

Explanatur. Dixi : **A) in exteriori habitu**; i. e. in oculis, in incessu, in vestibus, etc. Hinc **1°) mulieres** accedere debent in habitu sancto et modesto, pectore cooperto; secus enim, eis quandoque et prudenter communio esset deneganda. **2°) Sacerdotes,** more laicorum communicantes, ex RIT. ROM. stolam induere debent, quod tamen omittere est tantum leve ex S. LIG. (H. A. XV, 58), imo nullum peccatum, si justa causa excuset. **3°) Milites**, etsi nulla lege ad id teneantur, ex decentia deponant arma, sicut et laici chirotecas (*gants*). — Dixi : **B) in corporis composi-**

(1) Haec verba, in 3ª edit. hujus operis, ex incuria revisoris, posita fuerunt in initio, dum e contra poni debuissent in fine.

tione. Hinc 1°) quoad **sordes** et **maculas**, lavandae seu auferendae sunt, si fieri possit. 2°) Quoad **fluxum menstruum, lepram** aut similia, de se communionem non impediunt : cum hujusmodi corporis defectus sint morbi naturales, qui non magis quam alii impediunt devotionem. Unde si usus contrarius aliquando invaluit jam abrogatus est. 3°) Quoad **pollutionem** nocte vel eodem die praehabitam, *distinguendum* est cum S. Thom. (p. 3, q. 80, a. 7). **a**) Si pollutio fuerit **mortaliter mala**, sive in se, sive in sua causa, quamvis fuerit per poenitentiam remissa, ex communi DD. impedit communionem *per se* eodem die, sed *sub levi* tantum. Dixi : *per se;* nam si detur aliqua justa causa, poterit pollutus absque ullo peccato communicare vel celebrare eodem die, v. g. ad vitandum scandalum, ob festum extraordinarium, etc. **b**) Si ista miseria fuerit **involuntaria**, vel non provenerit nisi a causa **venialiter culpabili**, *per se* non impedit communionem. Dicitur : *per se*; nam si in phantasia relinqueret foedum vestigium, *per se* sub veniali impediret. Dico iterum : *per se*; nam si detur justa causa, non obstante foedo vestigio, posset communicare; v. g. si frequenter hoc accideret, nam *afflicto afflictio non est addenda*; item si sit magnum festum; vel ut communicet ipso die quo communitas, cujus est membrum, solet communicare; vel si habeat specialem devotionem; vel si ex astutia daemonis hoc proveniret, ut si ordinarie eveniat nocte ante communionem. « *Unde legitur*, ait S. Thom. (ibid.), *in Collationibus Patrum, quod cum quidam frater pateretur pollutionem semper in festis in quibus erat communicandum, seniores comperto quod nulla causa ab ipso praecesserat, decreverunt quod propter hoc a communione non cessaret, et ita cessavit illusio daemonum.* » Immo ex S. Lig. (VI, 272) hoc liceret, quoties communicans conetur resistere foedae imaginationi, « faciens quantum in se est, ut devote accedat. » 4°) Quod **actum conjugalem** attinet, *disputant* DD. « *Dicendum*, ait S. Lig. (VI, 273) *cum communi* DD. *esse veniale accedere ad communionem eodem die, quo habita est copula*, CAUSA VOLUPTATIS, *quia id excusari non potest absque aliqua indecentia.* » In quam sententiam adducit auctoritatem S. Thom. (p. 3, q. 80, a. 7 ad 2), additque : « Quod a praedicta indecentia excusare valeat quaevis honesta causa : puta solemnitas occurrens, scandalum vitandum, periculum notae, jubi-

lacum sive indulgentia lucranda, specialis devotio, etc. » Ast *probabilius* existimo cum Castro Palao et Ballerini, nullam reperiri inordinationem in exercendo actum conjugalem *causa voluptatis*, modo fines huic operi *intrinseci*, scilicet procreatio prolis, redditio debiti, remedium concupiscentiae, positive non excludantur. Nec obstat propositio damnata ab Innoc. XI sub n. 9 : « *Opus conjugii ob* solam *voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.* » Intrinseco enim vitio laborat ob particulam *solam*, quae positive excludit alios quosvis fines, in quos opus conjugii ordinatur (tom. I, pag. 62 seq.). Nec putaverim huic resolutioni adversari auctoritatem allatam D. Thomae, cum ipse loqui videatur de copula conjugali *ex* sola *voluptate* habita. Dicit enim (*l. c.*) : « *Si vero* non *amor procreandae sobolis*, sed *voluptas* dominatur *in opere commixtionis,... tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc sacramentum* » Quod vero nulla habeatur inordinatio in exercendo actum conjugalem *causa voluptatis*, aperte sequitur ex doctrina S. Thom. Dicit enim (1. 2. q. 4, a. 2) : « *Divinus intellectus, qui est institutor naturae, delectationes apposuit propter operationes,* » ut adeo ad operandum quis moveatur appetitu delectationum; porro, ut docet (2. 2. q. 141, a. 1 ad 1), a delectationibus quae sunt secundum rationem « *non retrahit* temperantia, *sed potius ab his quae sunt contra rationem.* »

CAP. 12. De frequenti communione et communione spirituali.

Q. 70. *Quid* dicendum de *frequenti* communione?

R. 1°) Per communionem frequentem, attenta hodierna Ecclesiae consuetudine, *proprie* et *stricte* loquendo, non intelligitur communio *hebdomadalis* seu *octidua*, multo minus *menstrua*; sed quae, etiam sine praevia confessione, *quotidie* fit, vel saltem *pluries* in hebdomada. De ea agit Bened. XIV (*De Syn.* lib. VII, cap. XII, n. VI-IX); S. Lig. (Praxis *Conf.* n. 149 seqq.); alii.

R. 2°) In hac re vitandae sunt propositiones damnatae, tum **rigoristarum** ab Alex. VIII sub nn. 22 et 23 : « *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam*

praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint. » « *Similiter arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers.* » Tum etiam **laxistarum** ab INNOC. XI sub n. 56 : « *Frequens confessio et communio, etiam in iis qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis.* »

R. 3°) Quod communionem A) **menstruam** attinet, ex communi DD., ea omnibus summopere est commendanda, et nemini, communi modo disposito, deneganda.— Quod spectat B) **hebdomadalem** seu **octiduam**, alii aliter sentiunt. Existimaverim cum STAPLETON et SCARAMELLI, idque ex communi Asceticorum sensu et Ecclesiae praxi, illam non tantum commendandam, sed etiam *per se* concedendam esse illis omnibus, quibus conceditur absolutio, ut adeo non alia probatio requiratur, quam quae consistit in non communicando cum peccato mortali. Unde quoque ex S. LIG. (*Praxis Conf.* n. 149) affectus ad peccata venialia non obstat communioni hebdomadariae, eaque permitti potest etiam iis qui ordinarie hujusmodi peccata committunt. Dixi : *per se;* i. e. nisi forte, ex peculiari aliqua causa, aliud confessori videatur, puta, ex S. LIG. (*l. c.*) « ut majorem concipiant horrorem in suos defectus, et majorem erga sacramentum hoc reverentiam... Tanto magis quod sententia communior teneat recipere Eucharistiam cum peccato levi actuali aut cum affectu ad ipsum, novam esse culpam ratione irreverentiae, quae irrogatur sacramento. » — Quod tandem C) communionem proprie **frequentem** attinet, sive **pluries** in hebdomada, sive **quotidie** habitam, quamvis ex decreto INNOC. XI, « *de sacrae communionis usu* » (12 Feb. 1679) quod integre reperitur ap. CROIX (VI, part. I, n. 665) redarguendi sint asserentes « *communionem* QUOTIDIANAM *esse de jure divino;* » negari tamen non potest, quod *frequens* communio *per se* seu « *ex parte ipsius sacramenti,* » ut loquitur S. THOM. (p. 3, q. 80, a. 10), sit *utilis, laudabilis* et *salutaris.*

Explanatur. Constat : 1°) **Ex praxi primitivae Ecclesiae**, de qua testantur : tum *Act. Apost.* (II, 46), tum *SS. Patres,*

apud Fénélon (in epist. *de freq. comm.*). 2°) **Ex mente Ecclesiae,** ut eruitur tum ex Trid. (Sess. XIII, cap. 8), ubi paterno affectu « *admonet, hortatur, rogat et obsecrat,* » ut omnes christiani ita se gerant, « *ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint;* » et (Sess. XXII, cap. 6) ubi « *optaret, ut in singulis missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent; quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret;* » tum ex declaratione S. R. C. (2 Dec. 1885) ap. N. R. T. (XIX, 58) : « *Consuetudinem laudandam esse ac promovendum usum frequenter accipiendi SS. Eucharistiam, juxta Conc. Trid.* (Sess. XIII, cap. 8) *dispositionem.* » Cui praeiverat declaratio S. Poenit. (19 Nov. 1885) ap. N. R. T. (XIX, 36) : « *Laudabilem esse consuetudinem moniales quotidie ad sacram communionem accedendi.* » 3°) **Ex natura hujus sacramenti.** Nam traditur per modum cibi spiritualis, ut in anima operetur quod cibus materialis in corpore; atqui hic quotidie sumitur. Praeterea manna, quae Euch. praefigurabat, quotidie dabatur populo in deserto; ergo et hoc sacramentum etiam quotidie sumi convenit, et ideo ab ipso Christo *panis quotidianus* appellatur.—Dixi : **per se** seu « **ex parte ipsius sacramenti;** » quia **per accidens,** seu « **ex parte sumentis,** » ut loquitur S. Thom. (l. c.), propter multa impedimenta, saepe « *non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud homo invenerit praeparatum.* »

R. 4°) Itaque, licet ex S. Thom. (l. c.) communio *secundum se* seu « *ex parte ipsius sacramenti* » debeat esse frequentissima propter effectus quos producit, *respective tamen ad suscipientem* debet esse *frequentior* vel *rarior*, juxta majorem vel minorem dispositionem suscipientis. Quare, utrum huic vel illi expediat **saepius in hebdomada** vel etiam **quotidie** communicare, nulla generali regula determinari potest, sed ex citato decreto Innoc. XI « *frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus... confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus* » qui, attenta personarum conditione, « *ex conscientiarum puritate, et frequentiae fructu, et ad pietatem processu,* »

regulam sumere debent augendi vel minuendi usum communionis (1).

Explanatur. Dixi : **attenta personarum conditione** : nam si agatur de *religiosis*, sive sint viri, sive feminae, confessarius regulis cujusque Ordinis ab auctoritate competenti approbatis, *regulariter* stare debet, ut constat ex eodem decreto Innoc. XI : « *Moniales*, QUOTIDIE *sacram communionem petentes, admonendae erunt, ut in* DIEBUS EX EARUM ORDINIS INSTITUTO PRAESTITUTIS *communicent.* » Dicitur : **regulariter** ; nam 1°) si, ex confessione poenitentis, confessarius judicet opportunum, *privare* talem vel talem religiosum aut monialem aliqua communione instituto Ordinis permissa aut praescripta, id utique poterit ; sicut e contra 2°) ob fervorem et specialem alicujus profectum *permittere* poterit, ut *frequentius* aut *quotidie* accedat, prout jam pridem in eodem decreto Innoc. XI hisce verbis immediate subsequentibus statuebatur : « *Si quae vero puritate mentis eniteant et fervore spiritus ita incaluerint, ut dignae* FREQUENTIORI *aut* QUOTIDIANA *sanctissimi sacramenti perceptione videri possint, id illis a superioribus permittatur.* »

R. 5°) Ut confessarius communionem **frequentem**, maxime **quotidianam**, alicui permittat, ex communi DD., *per se* requiritur, ut *sedulo evitet venialia saltem deliberata, et affectum ad illa deposuerit ;* ita ut, si subinde ex infirmitate humana in venialia labatur, mox tamen dolere, ac relapsum praecavere soleat. Quod aliqui addunt, nimirum : *ut orationi mentali incumbat*, non est indiscriminatim ab omnibus exigendum, sive ob occupationes, quibus distinentur;

(1) Quoad regulas traditas a Lehmkuhl circa communionem *menstruam, hebdomadariam, frequentem* et *quotidianam*, quum **petitum** fuerit : « *Utrum tuto ac fructuose suaderi et in praxi teneri possint?* » S. C. de Prop. Fide ita **respondit** (25 Maii 1892) : «*Schema ab Amplitudine tua propositum* (*exceptis in Reg. III verbis :* etiam indeliberatis, *quae excessiva videntur*) *dignum quod in* SUBSTANTIALIBUS *approbetur*, MINIME *tamen ut* LEX ABSOLUTA *et taxativa, sed veluti* NORMA *confessariis tradenda.* » Ap. R. T. Franc. (III, 255) ubi legitur : « Les quatre règles données par le P. Lehmkuhl sont dignes d'être approuvées *en substance ;* mais on n'en doit pas faire *une règle absolue ;* il faut les considérer seulement comme *une direction donnée aux confesseurs.* »

sive quia Deus, mirabilis in sanctis suis, non omnes eadem via ad se animas attrahit.

Explanatur. Dixi : **per se**; nam **per accidens,** sicut expedit, si causa subsit, interdum *semel* et aliquando etiam *pluries* in hebdomada communionem subtrahere; ita quoque expedit aliquando, *frequentem* communionem concedere *aliquibus*, etiam *affectu ad veniale laborantibus*, si essent in periculo labendi in peccata lethalia, ut vires recipiant ad resistendum ; et sic S. Philippus Nerius ex juvene libidinoso brevi tempore fecit castitatis angelum. Neque principio allato **obstat** : 1°) quod sacerdotes *quotidie* celebrent, quamvis non polleant conditionibus ad communionem quotidianam a DD. requisitis. Nam praeterquam quod non excusentur, si non conforment mores suos ad tanti sacramenti dignitatem, alia urget ratio. Nimirum ipsi *ex officio* constituti sunt mediatores inter Deum et homines, sicque aliquo modo sanctitate Ecclesiae vestiuntur; ac praeterea ministri sunt *sacrificii*, quod prodest toti Ecclesiae ex *opere operato*. Nec **obstat 2°**) quod ex S. Thom. (p. 3, q. 79, a. 8) peccata venialia affectu retenta, aut actu exercita in actuali sumptione hujus sacramenti, ut distractio voluntaria, non impediant effectum ejus *primarium*, scilicet augmentum gratiae habitualis, ad quod sufficit status gratiae. Nam, licet hoc verum sit, cum tamen huic sacramento, totum Christum continenti, debeatur prae ceteris maxima reverentia, negari non potest, quod *frequenter* aut *quotidie* ad ipsum accedere scienter cum affectu ad venialia, aut actu ea committendo, sit saltem irreverentia venialis. Cfr. Bill.

Scholion. Circa **communionem, conscientiae manifestationem** et **confessionem** in institutis religiosis, sive *mulierum* quae vota simplicia aut solemnia nuncupant, sive *virorum omnimode laicorum*, nuper ex Secretaria S. C. Episc. et Reg. (17 Dec. 1890) ap. N. R. T. (XXIII, 131 seqq.) decretum prodiit Leonis PP. XIII, ubi statuitur sub n. V : « *Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad Sacram Synaxim accedendi, Eadem Sanctitas sua decernit, hujusmodi permissiones vel prohibitiones* **dumtaxat** *ad confessarium* **ordinarium** vel **extraordinarium** *spectare, quin superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi,* **excepto casu** *quo aliquis ex eorum subditis post ultimam sacramentalem confessionem communitati scan-*

dolo fuerit, aut gravem externam culpam patraverit, donec ad Poenitentiae Sacramentum denuo accesserit. » De qua **unica** *exceptione* jam constabat ex declaratione ejusdem S. C. Episc. et Reg. a Pio IX approbata (28 April. 1876). Tum additur sub n. VI : « *Monentur hinc omnes, ut ad Sacram Synaxim curent diligenter se praeparare et accedere diebus* **in propriis Regulis statutis** ; *et quoties ob* **fervorem** *et* **spiritualem alicujus profectum** *confessarius expedire judicaverit ut* **frequentius** *accedat, id ei ab ipso* **confessario** *permitti poterit. Verum qui licentiam a confessario* obtinuerit *frequentioris ac etiam quotidianae communionis de hac certiorem reddere* **superiorem teneatur** ; *quod si hic justas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores hujusmodi communiones, eas* **confessario** *manifestare teneatur,* cujus judicio acquiescendum omnino erit. » Unde « *quod frequentiorem ad S. Synaxim accessum quam diebus statutis in propriis regulis respicit,* abrogandas *esse* Constitutiones, *quibus vetatur, ne Moniales sive Religiosi Sacram Eucharistiam recipiant ultra certos et statutos dies,* » declaravit S. C. Episc. et Reg. (17 Aug. 1891) ap. N. R. T. (XXIV, 261 seq.). — Praeterea in eodem celebri decreto Leo XIII **duo** alia praestitit : unum spectans intolerabilem abusum qui « **cordis et conscientiae intimam manifestationem** *quovis modo et nomine* » invexerat; alterum respiciens confessarium « **extraordinarium** » concedendum. Scilicet, quod **primum** seu *conscientiae manifestationem* attinet, sequentia statuuntur : sub n. I. « *Sanctitas sua irritat, abrogat et nullius in posterum roboris declarat quascumque dispositiones Constitutionum piarum Societatum, Institutorum* mulierum *sive votorum simplicium sive solemnium, nec non virorum omnimode* laicorum, (1) *etsi dictae Constitutiones approbationem ab Apostolica Sede retulerint in forma quacumque etiam quam aiunt specialissimam, in eo scilicet, quod* **cordis et conscientiae intimam manifestationem** *quovis modo ac nomine respiciunt. Ita propterea serio injungit*

(1) Unde eo comprehenduntur Fratres Scholarum Christianarum, B. M. V. de Misericordia, etc.; non vero Salesiani, Lazaristae aliique similes, in quorum congregationibus, praeter sacerdotes multi quidem reperiuntur fratres laici, sed qui sacerdotem ut moderatorem seu superiorem habent. Ap. N. R. T. (XXIII, 136, 280, 282.)

Moderatoribus ac Moderatricibus hujusmodi Institutorum, Congregationum ac Societatum, ut ex propriis Constitutionibus, Directoriis ac Manualibus praefatae dispositiones omnino deleantur penitusque expungantur. Irritat pariter ac delet quoslibet ea de re usus et consuetudines etiam immemorabiles. » Deinde sub n. II : « *Districte insuper prohibet memoratis Superioribus ac Superiorissis,* CUJUSCUMQUE GRADUS ET PRAEEMINENTIAE SINT, *ne personas* SIBI SUBDITAS (1) *inducere pertentent directe aut indirecte, praecepto, consilio, timore, minis, aut blanditiis ad hujusmodi* **manifestationem conscientiae** *sibi peragendam ; subditisque e converso praecipit, ut superioribus majoribus denuntient superiores minores, qui eos ad id inducere audeant ; et si agatur de Moderatore vel Moderatrice Generali, denunciatio huic S. Congregationi ab iis fieri debeat.* » Addit denique sub n. III : « *Hoc autem minime impedit, quominus subditi libere ac ultro aperire suum animum superioribus valeant, ad effectum ab illorum prudentia in dubiis ac anxietatibus consilium et directionem obtinendi pro* VIRTUTUM ACQUISITIONE AC PERFECTIONIS PROGRESSU. » Unde, ut patet, haec animi aperitio quae subditis libera manet, nullo modo confundi potest cum ea intima conscientiae scrutatione, « *quae*, ut dicitur in prooemio decreti, *unice sacramento Poenitentiae reservata est.* » — Quod vero **secundum** seu confessarium « *extraordinarium* » concedendum attinet, STATUITUR sub n. IV : « *Praeterea, firmo remanente quoad confessarios ordinarios et extraordinarios Communitatum quod a Sacrosancto Concilio Tridentino praescribitur* in sess. 25, cap. 10 de Regul., *et a S. M. Benedicti XIV statuitur in Const. quae incipit* « Pastoralis curae» ; *Sanctitas Sua Praesules superioresque admonet, ne* **extraordinarium** *denegent subditis confessarium, quoties ut propriae conscientiae consulant ad id subditi adigantur, quin iidem superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre id ferre demonstrent ac ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriae dioeceseos, in quibus mulierum Communitates exsistunt, idoneos sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro sacramento Poenitentiae recurrere eae facile queant.* » Et hinc SUPERIOR domus, quicumque sit, « *tenetur*

(1) Unde manifestatio conscientiae a nemine exigi potest, sive sint *professi*, sive sint *novitii* Cfr. REV. THEOL. FRANC. (III, 421 seqq.)

subditi precibus SEMPER *indulgere, quamvis plane videat necessitatem esse fictam, et vel scrupulo vel alio mentis defectu, ut veram ab ipso petenti apprehensam ;* » sed SUBDITI « *moneantur non posse extraordinarios confessarios petere, nisi ad id adigantur ut propriae conscientiae consulant* », ut constat ex S. C. EPISC. et REG. 17 Aug. 1891 ap. N. R. T. (XXIV, 261), et 1 Febr. 1892 (*ibid.* p. 369). — Cfr. N. R. T. (XXIX, 52 seqq.).

Et quidem omnes hujus decreti dispositiones observandae sunt, ut STATUITUR sub n. VII, « *sub* **poenis** *contra superiores Apostolicae Sedis mandata violantes ipso facto incurrendis.* » Quae poenae sunt sequentes : « Poena **1°** privationis omnium officiorum ; **2°** vocisque activae, et **3°** perpetuae inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda... a qua nonnisi ab Apostolica Sede poterit dispensari. » Ita in Decreto « *Romani Pontifices,* » quod prodiit ex S. C. SUPER STATU REGULARIUM (25 Jan. 1848). Praeterea ad efficaciorem decreti, quod tulit LEO XIII, observantiam, STATUITUR sub n. VIII : « *Denique mandat, ut praesentis decreti exemplaria in vernaculum sermonem versa inserantur Constitutionibus praedictorum piorum Institutorum, et saltem* **semel in anno,** *stato tempore in unaquaque Domo, sive in publica mensa sive in Capitulo ad hoc specialiter convocato,* **alta et intelligibili voce legantur.** »

Q. 71. *Quid* dicendum de communione *spirituali?*

R. 1°) Communio *spiritualis*, quae Sanctis in deliciis fuit, et a TRID. (Sess. XIII *de Euch.* cap. 8) commendatur, ex eodem Conc. est « *votum* » seu pium desiderium, ex « *fide viva, quae per dilectionem operatur*, » conceptum, Eucharistiae sacramentum suscipiendi, cum realiter suscipi non potest. R. 2°) Itaque *tribus* actibus *conficitur :* A) actu *fidei vivae*, quo spiritualiter communicaturus Christum vere in Eucharistia praesentem exhibeat ; B) actu *charitatis*, cui adjungatur peccatorum *contritio ;* C) actu *desiderii*, quo exoptet, Christum in sacramento suscipere, et cum ipso toto corde uniri. R. 3°) Ubique locorum et quavis hora fieri potest, immo saepius in die ; opportunius tamen sub missae sacrificio, quum sacerdos communicat. R. 4°) Qui, in debito statu, spiritualiter communicant, ex eodem TRID. (l. c.) « *fructum* »

hujus sacramenti et « *utilitatem* » percipiunt, nempe gratiam, eamque uberrimam.

Explanatur. Si enim Deus cujuscumque virtutis desiderium praemio afficit, quanto magis desiderium ipsiusmet Dei? Hinc « *spiritualiter communicare est valde utile*, inquit D. Theresia, *nolite id praetermittere.* » Gratiam tamen sacramentalem proprie dictam non percipiunt, i. e. *ex opere operato*, sed aliam, quae respondet eorum *operi* et devotioni (pag. 55 seq.). — Dixi : **in debito statu**, i. e. ex Trid. cum « *fide viva, quae per dilectionem operatur.* » Quare exsistens in peccato mortali, quamdiu de hoc non conteratur, non tantum nullum fructum recipit, sed nequidem potest communicare spiritualiter, cum hoc esset velle sociare Deum cum Belial; potest tamen sacramentalem susceptionem desiderare pro futuro, dum nempe peccatum remissum fuerit.

CAP. 13. De effectibus Eucharistiae.

Q. 72. *Quinam* sint *effectus* Eucharistiae?

R. Sunt potissimum *duo* sequentes, ex quibus veluti e fontibus reliqui profluunt.

Explanatur. Nimirum : 1°) Gratia **sanctificans** per se *secunda*, et quidem *major* et *copiosior* quam confertur in aliis sacramentis, utpote Eucharistia minus excellentibus; per accidens *prima*, cum nempe quis inscius peccati mortalis aut putans bona fide se habere contritionem, accedit ad communionem cum sola attritione (tom. 2, pag. 369 seq.). 2°) Gratia **sacramentalis**, seu gratiae habitualis modus distinctus et specialis vigor, quatenus scilicet animam nutrit spiritualiter, dicente Christo (Joan. VI, 56) : « *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* » Itaque Eucharistiae sacramentum ex S. Thom. (p. 3, q. 79, a. 1) facit spiritualiter in anima, id quod cibus et potus corporalis in corpore, nempe : « *sustentat, auget, reparat et delectat.* »

Resolvitur. Hinc 1°) **delet venialia**, quoad culpam, non solum *mediate* et *ex opere operantis*, excitando nos ad actum charitatis et contritionis; sed etiam, juxta *probabilem* sententiam gravissimorum DD., quos inter Bill., *immediate* ex ipsa ratione

gratiae cibantis, seu quatenus est cibus animae, adeoque *ex opere operato*, dummodo tamen suscipiens non ponat obicem, retinendo affectum ad peccata venialia. Sicut enim cibus corporalis restaurat vires, quae quotidie deperduntur per calorem naturalem, ita cibus spiritualis restaurat vires spirituales, quae quotidie deperduntur per calorem concupiscentiae. Unde Trid. (Sess. XIII *de Euch.* cap. 2) vocat illud sacramentum : « *Antidotum quo liberamur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservamur.* » Hinc 2°) **praeservat a mortalibus** : tum, quatenus aucta charitate et unione cum Christo per hunc cibum, anima fit robustior contra interiora corruptiva; tum, quatenus, cum sit signum passionis Christi, per quam victi sunt daemones, ad eam expavescunt, nec tantum impugnant quantum impugnare vellent. Hinc 3°) **remittit poenam temporalem** pro peccatis quoad culpam remissis debitam, non quidem *directe* cum Eucharistia, ut est sacramentum, non est instituta ad satisfaciendum, sed ad nutriendum; sed *indirecte*, mediantibus charitatis actibus, quos in anima excitat. Hinc 4°) **unit cum Christo et membris ejus**, i. e. fidelibus, augendo charitatem Dei et proximi, juxta illud (Joan. VI, 57) : « *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem... in me manet, et ego in illo.* » Hinc 5°) **confert spiritualem dulcedinem et delectationem**, quatenus est cibus delectans; quae tamen dulcedo saepe impeditur per nostram negligentiam, distractiones, affectum ad terrena, vel in Sanctis ad humiliationem. Hinc 6°) **minuit fomitem concupiscentiae**, tum augendo charitatem, per quam homo magis delectatur bonis coelestibus quam mundanis; tum excitando pios motus contrarios motibus concupiscentiae, pravis inclinationibus et affectibus; tum etiam dando animae dulcedinem, quae in ipsum corpus redundet, unde a carnalibus abhorreat. Hinc 7°) **dat gloriam**, quatenus Christus, qui est gloriae largitor, in eo continetur ut cibus nutriens et confortans animam in bono, quo possit perseverare usque ad tempus quo gloria donabitur. Unde vocatur a Trid. *(l. c.)* : « *Pignus futurae nostrae gloriae et perpetuae felicitatis.* » Cfr. S. Thom. (p. 3, q. 79, a. 2-6).

Q. 73. An Euch. prosit *aliis* quam *sumentibus?*

R. Ex S. Thom. (p. 3, q. 79, a. 7) *sub distinctione.*

Explanatur. Eucharistia considerari potest : vel ut est **sacramentum**, seu ut sumpta simpliciter, vel ut est **sacrificium**. Si **primum** : *subdistinguendum est.* **A**) Non prodest aliis quam sumentibus **ex opere operato** : quia sumitur ut cibus ; cibus autem prodest ex se soli sumenti. Hinc, dum alteri offers tuam communionem, nihil illi confers ex *opere operato*. Attamen **B**) **ex opere operantis,** per modum meriti de congruo aut impetrationis prodest *vivis*, quia communio est actus meritorius et quia, cum per susceptionem Eucharistiae augeatur gratia et incendatur charitas, preces communionem concomitantes et subsequentes sunt ferventiores et efficaciores ad impetranda postulata pro se et pro aliis ; tum per modum suffragii prodest *defunctis*, quia est actus satisfactorius, cum in eo considerandum sit praeparationis opus laboriosum per contritionem, confessionem et alios virtutum actus. Unde S. C. Ind., sub Innoc. X, jure meritoque damnavit (18 Dec. 1646) librum Theoph. Raynaudi, quo communionem pro mortuis tanquam errorem popularem, piam fraudem et sordem non ferendam impugnabat. Si **secundum** : seu si consideretur in ratione *sacrificii*, prodest aliis quam sumentibus, quia etiam pro aliis offertur.

Q. 74. An per *veniale* peccatum *impediatur* effectus hujus Sacramenti ?

R. Ex S. Thom. (p. 3, q. 79, a. 8) *sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Peccata venialia **praeterita,** seu *habitu*, i. e. secundum maculam et debitum poenae tantum remanentia, nullo modo impediunt effectum hujus sacramenti, quippe quae per ipsum tolluntur, ut dictum fuit. **2°**) Venialia vero **actu** exercita vel placentia, licet non impediant effectum *primarium*, i. e. augmentum habitualis gratiae, cum huic non opponantur ; impediunt tamen effectum *secundarium*, i. e. refectionem dulcedinis spiritualis, quatenus minuunt fervorem charitatis. Et « haec sententia, ait S. Lig. (VI, 270) est quidem longe communior. »

Q. 75. An *venialiter* peccet, qui Euch. sumit cum peccato veniali, tum *habituali*, tum *actuali?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur 1°) *Negative* cum veniali **habituali,** quia talis

susceptio non importat positivam irreverentiam, sed tantum carentiam perfectae reverentiae. 2°) *Affirmative* cum veniali **actuali**, i. e. actu vel saltem affectu praesenti, ut si quis communicet ex vana gloria, cum voluntario defectu devotionis, aut scienter cum affectu ad venialia : tum ob positivam irreverentiam ; tum quia, juxta dicta, effectibus communionis *partialem* obicem ponit, nempe effectui *secundario*.

Q. 76. An *major* gratia conferatur communicanti sub *utraque* specie quam sub *una?*

R. Communis DD. post S. Thom. (p. 3, q. 80, a. 12 ad 3), sententia est : Eucharistiam, *ceteris paribus* seu *per se loquendo*, non majorem conferre gratiam sub *utraque*, quam sub *una* specie.

Explanatur. Ratio est : tum quia eadem res continetur sive sub una, sive sub utraque ; tum quia sive una, sive utraque species ordinatur ad eamdem refectionem. Nec refert, quod utraque species expressius significet spiritualem refectionem : quia haec expressior significatio fit tantum quoad *modum significandi*, non autem quoad *rem significatam*, quae aeque continetur sub una quam sub utraque. Dixi : **ceteris paribus** : quia supposita inaequalitate dispositionis, seu **per accidens**, ut si sacerdos celebrans cum majori fervore calicem sumat, confertur gratia major, nedum *ex opere operantis*, de quo dubitari non potest, quia major illa dispositio promeretur majorem gratiam in genere operantis ; verum etiam *ex opere operato*, quia sacramenta in modo agendi imitantur causas naturales, quae semper perfectius agunt in subjecto melius disposito.

Q. 77. *Quandonam* Euch. producat suos *effectus?*

R. Quando *realiter* et *fructuose* sumitur.

Explanatur. Quoniam vero in **reali** sumptione plures actus succedunt, DD. *disputant*, quo praecise momento communionis isti effectus producantur. Et *alii*, quidem, ut Stevaert et Dalem., dicunt, id fieri ab initio manducationis ; *alii*, ut Bill. et Suar., cum hostia trajicitur per guttur ; *alii*, ut Mazzot. et Gonet, cum primum species attingunt stomachum ; *alii*, ut Sylvius, neminem hoc scire, nisi qui efficit. Utut sit, hoc certum videtur : 1°) Quod hostia in ore

tantum recepta et ejecta non causet gratiam. Unde canones vetant, ne praebeatur illis, qui illam deglutire non possunt. 2°) Quod gratia causetur, si species stomacho receptae fuerint, licet postea evomantur; adeoque moribundo, cui id accidit, Viaticum iterum non est dandum.

Q. 78. An *augeatur* gratia, si *crescat* dispositio, non tantum durante manducatione, sed etiam toto tempore, quo species *perseverant in stomacho*?

R. *Controvertitur.*

Explanatur. Alii **negant** cum Bill., Soto, Bonac.: quia dicunt effectum hujus sacramenti tribui manducationi, quae in casu jam supponitur transiisse. Alii **affirmant** cum Wiggers, Stevaert, Henno, Suar., quorum sententiam valde probabilem reputant S. Lic. (VI, 269) et Franzelin (*de Euch.* thes. XVII). Ratio eorum est: quia etiam cibus corporalis, ad cujus instar hoc sacramentum est institutum, nutrit, quamdiu est in stomacho, novo calore naturali adjutus. Ex quo sequeretur quod, si quis indispositus ad hoc sacramentum accesserit, et durante Christi praesentia, sufficienter se disponeret, talis consequeretur fructum ipsius sacramenti.—Utraque sententia probabilis est. Interim pro **praxi** optime facit, qui conatur se magis disponere isto tempore, quia saltem *ex opere operantis* accipiet augmentum gratiae. Praeterea insana foret devotio illorum, qui, *secunda* innixi sententia, ideo *majorem* vel *plures* hostias peterent; quam superstitiosam devotionem quorumdam laicorum, maxime feminarum, decreto prohibuit Innoc. XI (12 Febr. 1679).

PARS SECUNDA.

DE EUCHARISTIA UT SACRIFICIO.

CAP. 1. De sacrificio generatim sumpto ejusque divisione.

Q. 79. *Quid* sit sacrificium *generice* sumptum?

R. Sacrificium, quod nomen ex S. Thom. (2. 2. q. 85, a. 3 ad 3) dicitur a *sacro faciendo*, sumitur *dupliciter.*

Explanatur. 1°) Si sumatur in **lato sensu,** significat omne opus bonum, quod ad Dei cultum *internum*, tum *externum*, pertinet; ut sunt oratio, contritio, laudes Dei, etc. Hinc illud (Psal. L, 19) : « *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* » Hoc sensu, sicut omnes fideles offerunt sacrificium late sumptum, sic pariter omnes dicuntur sacerdotes, ut legitur (I Petr. II, 5 et 9). 2°) Si sumatur in **stricto sensu,** prout nempe distinguitur contra alia bona opera, denotat actum externum et specialem Religionis, et communiter a DD. definitur : « *Oblatio externa rei sensibilis cum ejus destructione vel immutatione, soli Deo facta, per legitimum ministrum, in supremi ejus dominii protestationem.* »

Q. 80. *Quaenam* CONDITIONES requirantur ad sacrificium *stricte* dictum?

R. *Quatuor* requiruntur.

Explanatur. 1°) Ex parte **materiae,** debet res oblata esse **sensibilis**, cum sacrificium ad cultum Dei externum pertineat. 2°) Ex parte **finis** principalis, ut oblatio fiat **soli Deo** in protestationem supremi ejus dominii in omnes res creatas. Sacrificium enim est actus *latriae*, qui soli Deo exhiberi potest. 3°) Ex parte **ministri**, ut sit **sacerdos,** i. e. deputatus ad hoc ex publica auctoritate. Sacrificium enim spectat ad cultum *publicum*; actum autem cultus publici exercet solus sacerdos ex institutione divina et omnium populorum consensu. Et quidem **A**) *in lege naturae*, ab Adamo usque ad Moysem, sacerdotes erant : tum *primogeniti*, ut docet S. Hieron. ex traditione hebraeorum; tum *patresfamilias*, et sic Noë, Abraham, Job, sacrificasse leguntur; tum *alii*, qui ex speciali Dei deputatione vel instinctu sacrificaverunt, ut fecisse censendi sunt Abel et Jacob. **B**) *In lege scripta*, a Moyse ad Christum, soli sacerdotes erant de familia Aaron, ita ut ceteris de tribu Levi sub poena mortis esset prohibitum sacerdotium. Utrum tamen sub lege Mosaica patresfamilias retinuerint partem sacerdotii legis naturae pro occisione Agni paschalis, DD. *disputant*. Varii putant Agnum paschalem debuisse occidi a singulo patrefamilias. Ast Bonfrerius et Calmet existimant, quod prius debuisset occidi in templo a sacerdote, antequam comederetur in familiis. **C**) *In lege nova*, minister *principalis* est Christus, *secundarius* vero solus sacerdos legitime

ordinatus. 4°) Ex parte **formae**, requiritur **destructio** vel **immutatio** rei. Per sacrificium enim agnoscimus supremum Dei dominium in omnes res creatas, quod quidem dominium meliori modo exprimi nequit, quam ipsa destructione vel immutatione rei oblatae, qua protestamur, Deum de omnibus pro nutu disponere, etiam in nihilo redigendo. Interim destructio vel immutatio realis potest esse : vel *physica*, si fiat modo physico, ut cum ferro occiditur vel vulneratur agnus; vel potest esse *moralis*, si fiat modo non physico, sed qui physico aequivalet, juxta prudentem hominum aestimationem. Quod quidem contingit, cum res in eo statu constituitur, ubi ad naturales suos usus vel nullatenus vel saltem minus apta permanet, ut cum effundebantur oleum, vinum *in libamine;* quae effusio, licet non sit destructio physica vini, est tamen moralis, quatenus liquores illi effusi non amplius ad priorem usum idonei sunt. Idem patet in sacrificio *hirci emissarii*, qui quidem non occidebatur, sed tantum ut exsul in desertum mittebatur, et sic moraliter occidebatur. Expositus enim malis bestiis, siti et fami, ponebatur in via et statu proximae destructionis.

Q. 81. *Quomodo* DIVIDATUR sacrificium?
R. *Varie* dividitur.

Explanatur. Ratione **diversi status mundi**, dividitur in sacrificium : legis *naturae*, legis *mosaicae* seu veteris, et legis *evangelicae* seu novae, in qua unicum habetur sacrificium quoad *substantium*, nimirum sacrificium Christi, sive in calvario, sive in altare immolati. Dixi : *quoad substantiam;* nam si spectetur *modus* et *ritus* offerendi, aut etiam *effectus*, duplex est : *cruentum* seu sacrificium *crucis*, et *incruentum* seu sacrificium *missae*. Hinc de hoc posteriori loquens TRID. (Sess. 22, cap. 2 ait : « *Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola* OFFERENDI RATIONE *diversa.* »—Sacrificium *cruentum* seu *crucis* etiam vocatur sacrificium *redemptionis;* sacrificium vero *incruentum* seu *missae* vocatur sacrificium *applicationis* seu *religionis;* primum fuit fons gratiae et bonorum spiritualium; secundum est quasi canalis per quem gratiae nobis derivant nobisque applicantur.

Sacrificia *Mosaicae* seu *veteris* legis, quae omnia fuerunt figurae

sacrificii *novae legis*, sequenti modo dividebantur : — 1°) Ratione **materiae** : **A**) In *hostias* seu *victimas*, dum offerebatur animal, puta : ovis, capra, hoedus aliaque animalia, non quaelibet quidem, sed in lege praescripta. **B**) In *immolationes*, dum fructus terrae offerebantur, puta : panis, simila, sal, thus. **C**) In *libamina*, dum liquores effundebantur, puta : vinum, sanguis, oleum. — 2°) Ratione **formae**, dividebantur : **A**) In *holocaustum*, in quo res oblata tota comburebatur et, in fumum resoluta, ascendebat ad Deum ; nihil ex ea hominibus cedebat in usum. Erat sacrificium perfectissimum. **B**) In *hostiam pro peccato*, quae partim cremabatur, partim cedebat in usum sacerdotum, qui in atrio templi ex ea vescebantur. Hoc sensu dicebantur sacerdotes edere peccata populi. **C**) In *hostiam pacificam*, quae in tres partes dividebatur, quarum una in honorem Dei cremabatur, alia cedebat in usum sacerdotum, tertia in usum offerentium. — 3°) Ratione **finis**, dividebantur : **A**) In sacrificium *latreuticum*, quod specialiter offerebatur ad colendum Deum, idque potissimum fiebat in holocausto ; dico : *potissimum ;* quia poterat etiam offerri pro peccatis populi et sacerdotum. **B**) In *eucharisticum*, quod fiebat in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis. **C**) In *impetratorium*, quod offerebatur ad impetrandum bona seu temporalia seu spiritualia ; utrumque fiebat per hostiam pacificam. **D**) In *propitiatorium*, quod offerebatur pro peccatis et eorum poenis avertendis, idque fiebat per hostiam pro peccatis. — 4°) Ratione **temporis**, dividebantur : **A**) In *juge sacrificium*, quod quotidie mane et vespere ; **B**) In sacrificium *Agni paschalis*, quod in Paschate ; **C**) In *alia* sacrificia, quae in occurrentibus per annum solemnitatibus offerebantur.

CAP. 2. De Sacrificio Novae Legis.

Q. 82. An Christus *in cruce* obtulerit *verum* et *proprie dictum* sacrificium ?

R. *Affirmative*, juxta illud (EPHES. V. 2) : « *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* »

Explanatur. Et quidem **altare** erat crux, Christus ipse et

victima et **sacerdos** ex Dei institutione, ut sanguine suo interveniret pro salute nostra. Et quamvis non se ipsum occiderit, ne quidem moraliter, hoc sensu, quasi suaserit vel intenderit actionem qua a judaeis occisus est; dicitur tamen sacerdos respectu sui ipsius, quatenus mortem sibi illatam, quam effugere poterat, acceptando *libere* et *sponte*, *quando* et *sicut* voluit, tantumdem fecerit in ordine ad colendum et propitiandum Deum, ac si seipsum occidisset. Tortores itaque non tanquam *sacrificatores* mortem Christo intulerunt, sed tanquam *instrumenta*, quibus Christus usus est ad se ipsum immolandum pro nobis, juxta illud (Isa. LIII, 7) : « *Oblatus est, quia ipse voluit.* »

Q. 83. *Quid* 1°) sit sacrificium MISSAE; — 2°) *undenam* illud *nomen*; — 3°) *quomodo* vocetur a *graecis*, — et 4°) an sit sacrificium *proprie* dictum?

R. Ad 1^um^) MISSAE sacrificium ex communi DD. definiri potest cum TT. MECHL. : « *Oblatio externa corporis et sanguinis Christi, per species panis et vini sensibiliter exhibitorum, a legitimo ministro, facta Deo in recognitionem supremi ejus dominii, adhibitis quibusdam precibus et caeremoniis ab Ecclesia praescriptis ad majorem Dei cultum et populi aedificationem.* »

R. Ad 2^um^) Vocabulum *missae*, quam vocem — *alii* dicunt esse hebraicam ac derivatam a *Missah*, quod significat oblationem; — *alii*, et quidem communius cum S. THOM. (p. 3, q. 83, a. 4 ad 9), dicunt esse latinam a verbo *mitto* derivatam, — licet nullibi in Scripturis reperiatur, antiquissimum est, et jam a saeculo IV usurpatum, ut patet ex SS. AMBROS. et AUGUST. — Cur autem a *mittendo* dicatur, non omnes eodem modo explicant.

Explanatur. Juxta *alios* sic dicitur : quia Christus ibi est hostia a Deo missa; juxta *alios* : quia populus per sacerdotem ad Deum preces suas in sacrificio mittit; juxta *alios* : quia per angelum sacerdos preces ad Deum mittit. Hanc triplicem rationem adfert S. THOM. *(l. c.)* inquiens : « *Propter hoc* MISSA *nominatur, quia per angelum sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per sacerdotem, vel quia Christus est hostia nobis missa a Deo; unde et in*

fine missae diaconus in festivis diebus populum licentiat, dicens : Ite, missa est, *scilicet hostia ad Deum per angelum, ut scilicet sit Deo accepta.* » Denique juxta *alios :* quia in fine sacrificii populus dimittitur. *Duplex* nimirum antiquitus distinguebatur missa : prima, quae dicebatur *catechumenorum*, durabat usque ad offertorium exclusive, et finito evangelio, clamabat diaconus : *ite catechumeni, poenitentes et indigni.* Secunda, quae dicebatur *fidelium*, durabat ab offertorio usque ad finem, quo habito, dicebat diaconus: *ite, missa est.* In diebus quadragesimalibus et in aliis feriis, praesertim quando erat jejunium, missa offerebatur sero, eaque finita, incipiebat officium vespertinum, ad quod diaconus adstantes invitabat, dicendo : « *Benedicamus Domino* » i. e. incipiamus officium vespertinum.

R. Ad 3^{um}) Vocatur a graecis : *μυσταγωγία*, initiatio, peractio mysterii; *σύναξις*, conventus, communio; *λατρεία*, cultus; *εὐλογία*, benedictio : *ἱερουργία*, sacrificium; *θυσία*, sacrificium, victima; *λειτουργία*, cultus publici officium (1).

R. Ad 4^{um}) Dogma catholicum est : « *in missa offerri verum et proprium sacrificium.* »

Explanatur. De dogmate constat ex variis RR. PP. et CC. GG. definitionibus, imprimis Trid. (Sess. XXII. can. 1) : « *Si quis dixerit in Missa non offerri verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.* » Quae definitio repetita fuit in professione fidei a Pio IV an. 1546 edita, et postea in fidei professione ab Urb. VIII et Bened. XIV Orientalibus imposita. — Porro ad id dogma probandum, praeter argumenta innumera ex Scriptura et Traditione petita, de quibus DD. dogmatici, accedunt rationes theologicae, quippe in missa inveniantur omnes conditiones requisitae ad sacrificium stricte dictum constituendum. Etenim : 1°) Ex parte **materiae**, adest oblatio *rei sensibilis*, scilicet corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini. Oblatio autem habetur non

(1) De diversis *Liturgiis*, tum *orientalibus*, tum *occidentalibus*, deque earum auctoritate in re theologica, egi in opere : De **hyperdulia** ejusque fundamento. Lovanii 1864.

quidem expressis verbis, seu in actu *signato;* sed in actu *exercito*, quatenus sacerdos consecratione victimam in altari praesentem sistit, et illa actione victimam illam Deo offert ; sicut ille qui ponit dapes in mensa, illas convivis offerre dicendus est. **2°**) Ex parte **finis**, sacrificium missae *soli Deo* offertur. Quapropter ait Trid. (Sess. XXII, *de sacrif. miss.* cap. III) : « *Et quamvis in honorem et memoriam Sanctorum nonnullas interdum missas Ecclesia celebrare consueverit; non tamen illis sacrificium offerri docet, sed* Soli Deo, *qui illos coronavit; unde nec sacerdos dicere solet : offero tibi sacrificium, Petre vel Paule ; sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam facimus in terris.* » **3°**) Ex parte **ministri**, principalis offerens est ipse Christus, secundarius est sacerdos rite ordinatus, qui offert et consecrat ut minister publicus in persona Christi. **4°**) Ex parte **formae**, adest rei *destructio* seu *immutatio*, non tantum : **A**) *mystica*, quatenus, sub speciebus panis vi verborum ponitur solum corpus et sub speciebus vini vi verborum solus sanguis Christi, sicque fit quaedam mystica separatio corporis a sanguine, ac repraesentatio illius cruenti sacrificii crucis, in quo facta est realis separatio corporis mortui a sanguine effuso, et consequenter ipsius mortis Christi; sed etiam **B**) *realis*, non quidem *physica* seu *cruenta*, sed *moralis* seu *incruenta*, quatenus Christus sub speciebus panis et vini vi consecrationis accipit novum esse sacramentale, quo non tantum redditur ineptus ad functiones animales, sed etiam ponitur in via proxima destructionis, quandoquidem, consumptis et destructis speciebus, mox etiam ipse Christus destruatur secundum illud esse sacramentale. Quae destructio *moralis*, sufficit ad rationem veri sacrificii, ut patet, juxta dicta (pag. 96), ex sacrificio *libaminis* et *hirci emissarii*.

Resolvitur. 1. Dum DD. catholici missae sacrificium vocant *spirituale*, *mysticum*, *symbolicum*, *commemorativum* et *repraesentativum*, minime voluerunt adstruere illud non esse *verum*, *reale* et *proprie dictum ;* quemadmodum, ut per transennam dixerim, praeter Docetas seu Phantasiastas, Petrobrusianos, Henricianos et Albigenses, fecerunt Novatores posteriorum temporum, Calvinistae, Lutherani, Zwingliani, Sociniani, Anglicani, Methodistae, una voce contendentes : non aliud in L. N., post peractum cruentum illud a

Christo in cruce, dari sacrificium, quam improprie dictum ac spirituale *laudis, precum, bonorum operum;* quamvis inter Anglicanos non desint aliqui, (quibus patrocinatus est P. le Courayer, S. Genovevae Parisiis olim canonicus Regularis), qui in Eucharistia sacrificium quoddam admittunt, sed totam ejus naturam collocant in nuda et mera commemoratione Christi independenter a praesentia reali. Itaque DD. catholici hoc missae sacrificium vocant: 1°) **Spirituale**, tum quia est actus eminenter religionis; tum quia ad finem supernaturalem ordinatur; tum quia effectus spirituales producit. 2°) **Mysticum**, quia mystico sive occulto et incruento modo peragitur et figura est mortis Christi, sicut Agnus paschalis fuit figura sacrificii crucis et simul sacrificium. 3°) **Symbolicum**, quia sub sacris symbolis seu signis, scilicet sub speciebus panis et vini, in mysterio peragitur. 4°) **Commemorativum** et **repraesentativum**, quia fieri debet in memoriam et repraesentationem mortis Christi juxta Christi verba (Luc. XXII, 19) : « *Hoc facite in meam commemorationem.* » **Resol. 2.** Quamvis sententia Vasquezii contendentis : missam, esto sit verum sacrificium, non tamen esse sacrificium *absolutum*, sed tantum *relativum* seu *commemorativum*, non sit de haeresi taxanda, cum Trid. (Sess. XXII, can. 3) definiendo : « *Si quis dixerit missae sacrificium nudam esse commemorationem sacrificii in cruce peracti, anathema sit,* » eos tantum damnare voluerit, qui ita affirmant celebrationem Eucharistiae esse commemorationem sacrificii in cruce peracti, ut negent in ea verum haberi sacrificium; nihilominus opinamur hanc Vasq. sententiam a Trid. Syn. indirecte refelli, nec satis mirari possumus nonnullos recentiores, licet hanc sententiam ut unicam viam ad veritatem sacrificii nostri adstruendam non habeant, eam tamen uti *commodiorem* aestimare ad dogma catholicum explicandum.

Objicitur. Sacrificium crucis est **valoris infiniti**; ergo sacrificium missae **superfluit.** Resp. 1°) Ergo et superfluit baptismus et fides illa specialis quam requirunt haeretici (tom. 2, p. 379). Deinde sacrificium missae est simul institutum, ut sit memoria sacrificii crucis; ergo non superfluit. Resp. 2°) *Dist. ant.* Est valoris infiniti quoad *sufficientiam* rei et quia tribuit omnibus, quibus applicatur, licet forent infiniti, remissionem peccatorum et vitam aeternam, *conc.* Quoad *actualem participationem* omnium, quibus

applicatur, *neg.* Itaque opus est mediis applicantibus illum valorem ex Dei ordinatione, inter quae primum est sacrificium missae. Neque per hoc derogatur aut injuria fit sacrificio crucis vel meritis Christi infinitis, sed magis extolluntur, quatenus per illa nostris operibus et sacrificio missae tribuitur vis merendi, sicut in simili magis apparet Dei potentia, quod causis naturalibus indiderit virtutem alias res producendi, quam si solus ipse produceret. Ita Sass.

Q. 84. *In quo* consistat ESSENTIA sacrificii missae : 1°) ex parte *materiae*, seu ratione *victimae* seu *rei oblatae* ; 2°) ex parte *formae*, seu ratione *actionis sacrificativae* ?

R. Ad 1^um^) Ex parte *materiae*, *victimae* seu *rei oblatae*, ejus essentiam constituit *solus Christus*, non quidem in propria specie, sed quatenus per transsubstantiationem sub alienis speciebus praesens constituitur.

Explanatur. Ratio est : quia sacrificium missae est unum et idem cum sacrificio crucis ; atque Christus se solum obtulit in cruce. Quare si panis aut vinum, vel eorum species, pertinerent ad rem oblatam, plus aliquid offerretur in missa quam in cruce. Hinc *panis* et *vinum* sunt tantum materia *ex qua* sacrificium conficitur ; *species* autem necessariae sunt, non ut pars sacrificii intrinsece consecutiva, sed ut *conditio sine qua non*, i. e. sine qua victima non esset sensibilis.

R. Ad 2^um^) Ex parte *formae* seu actionis *sacrificativae*, communior et probabilior sententia tenet, essentiam sacrificii consistere in sola consecratione, et quidem utriusque speciei ; communionem vero non esse partem essentialem, sed tantum integralem, i. e. sine qua sacrificium adhuc exsisteret, licet imperfectum.

Explanatur. Dixi : **1°) in sola consecratione** ; quia in ea inveniuntur omnia requisita (pag. 99 seq.) ad constituendum sacrificium. Dixi : **2°) utriusque speciei** ; ut colligitur tum ex verbis Christi (Luc. XXII, 19) : « *Hoc facite in meam commemorationem ;* » tum ex sensu et traditione Ecclesiae, juxta quam ex S. Thom. (p. 3,

q. 80, a. 12 ad 3) Christus in sacrificio missae fieri voluit *perfectam* repraesentationem sacrificii crucis, ubi sanguis a corpore separatus fuit, et inde secuta mors; quae distincta repraesentatio non habetur in consecratione unius tantum speciei. Dixi : 3°) **communionem non esse partem essentialem** : tum quia communio est solum participatio sacrificii jam peracti, ac proinde illud jam essentialiter perfectum supponit; tum quia non fit in persona Christi principalis offerentis, sed in sumentis utilitatem; tum quia de fide est, Christum in ultima coena, quando Eucharistiam instituit, verum obtulisse sacrificium; atqui Christum tunc communicasse, probabiliter quidem asseritur ex testimoniis SS. Hier. et Chrys., sed certum non est. Interim communio est pars **integralis**, et ideo datur praeceptum, ut, deficiente aliquo sacerdote, alius pergat.

Resolvitur. Itaque **essentia** sacrificii non consistit : 1°) in **oblatione**, sive ea quae fit ante consecrationem in *Offertorio*, sive ea quae fit post consecrationem per haec verba : *Supplices te rogamus*, etc. Non in *priori :* quia haec oblatio, cum nondum si praesens victima, non potest esse nisi praeparatio ad sacrificium. Non in *posteriori :* tum quia sacerdos ibi non loquitur in persona Christi, qui est praecipue offerens; tum quia haec sacerdotis actio nullam inducit mutationem in victimam. Neque 2°) in **fractione**, qua post consecrationem frangitur hostia consecrata : quia fractio illa solum attingit species, non vero ipsam victimam. Praeterea posset illa actio omitti, ut si v. g. aliquo casu hostia ante fractionem decideret in calicem; et tamen sacrificium essentialiter perfectum remaneret, ut docet S. Thom. (p. 3, q. 83, a. 6 ad 6) et constat ex Rubr. Miss. (*de defect.* tit. X, n. 10). Neque 3°) in **communione celebrantis**, multo minus **populi adstantis.** Unde propositio Pistoriensium sub n. 28 insinuans : « *Ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio quod peragitur sive nullo adstante, sive adstantibus, qui nec sacramentaliter nec spiritualiter de victima participant; et quasi damnandae essent ut illicitae Missae illae, in quibus, solo sacerdote communicante, nemo adsit, qui sive sacramentaliter sive spiritualiter communicet,* » a Pio VI in Const. « *Auctorem fidei* » proscripta est ut « *falsa, erronea, de haeresi suspecta eamque sapiens.* » Neque 4°) **partim in consecratione** et **partim in communione** celebrantis, uti volunt Bellarm., Tourn.,

Lugo, alii, quibus adhaeret S. Lig. (VI, 305), qui tamen primum amplexatus fuerat communiorem sententiam, quae ponit essentiam sacrificii in sola consecratione, quaeque, teste Bened. XIV (*de sacrif. miss.* sect. 1, n. 342) « *solido firmoque iniți fundamento videtur,* » et quam docet S. Thom. pluribus in locis, ut ostendit Bill., inclytus Angelici Doctoris interpres.

Q. 85. *Qualiter* sacrificium missae DIFFERAT : 1°) a *sacrificiis* V. L. ; 2°) a *sacramento Eucharistiae ;* 3°) a *sacrificio crucis ;* 4°) a *sacrificio coenae?*

R. Ad 1^{um}) A Sacrificiis V. L. differt *essentialiter :* quia non solum penes ritum offerendi, sed et in re oblata et persona principaliter offerente, infinite inter se distant. — R. Ad 2^{um}) A Sacramento Eucharistiae differt *essentialiter :* in hoc, quod illud consistat in re permanente, etiam in una tantum specie, et ordinetur ad hominum sanctificationem ; sacrificium vero missae consistit in actione transeunte, scilicet in consecratione, et quidem utriusque speciei, et ordinatur ad cultum Deo exhibendum. Sunt tamen idem ratione rei oblatae et contentae. — R. Ad 3^{um}) A Sacrificio crucis non differt *essentialiter*, cum in utroque sit eadem hostia et idem principalis offerens ; sed *accidentaliter* in modo offerendi, quatenus *in cruce* Christus oblatus fuit in propria sua specie, mortalis, passibilis, cruente, meritorie et satisfactorie ; in missa vero offertur sub speciebus panis et vini, immortalis, impassibilis, incruente, non quidem meritorie nec satisfactorie a parte Christi, licet per missam Christi merita nobis applicentur. — R. Ad 4^{um}) A Sacrificio coenae differt etiam tantum *accidentaliter*, quatenus in coena Christus oblatus fuit mortalis et consequenter meritorie et satisfactorie ; in missa vero immortalis et consequenter non meritorie neque satisfactorie a parte Christi.

CAP. 3. De virtute sacrificii missae. Ubi de ejus effectibus, fructibus, valore, deque iis pro quibus offerri possit.

Q. 86. *Quotuplex* sit effectus sacrificii missae?

R. Est *quintuplex* EFFECTUS, correspondens quintuplici ejus fini, scilicet : 1°) *Latreuticus* seu cultus latriae excellentissimus. 2°) *Eucharisticus* seu gratiarum actio pro beneficiis acceptis. 3°) *Impetratorius* seu impetratio bonorum tam spiritualium quam temporalium. 4°) *Propitiatorius* seu remissio peccatorum. 5°) *Satisfactorius* seu remissio poenae temporalis peccatis jam remissis adhuc debitae. Constat ex TRID. (Sess. XXII, *de sacrif. miss.* can. 3).

Q. 87. *Quomodo* missa *causet* suos effectus?

R. 1°) Causat suos effectus : tum ex opere *operantis*, si cum debita dispositione et devotione offeratur, sicut aliud quodvis bonum opus; tum ex opere *operato*, i. e. virtute ipsius sacrificii, per quod applicantur merita et satisfactio Christi, idque independenter a bonitate vel malitia ministri celebrantis. — R. 2°) Quoad effectus, qui *spectant ad* DEUM, i. e. quoad effectum *latreuticum* et *eucharisticum*, hos missa causat ex opere operato simpliciter, i. e. *immediate* et *infallibiliter*. Effectus vero, qui *spectant ad* NOS, causat ex opere operato : alios *immediate*, alios *mediate*; alios *infallibiliter*, alios *non infallibiliter*.

Explanatur. Sic 1°) **mediate** tantum efficit remissionem peccatorum non tantum *mortalium*, sed etiam probabilius *venialium*, Deum movendo, ut det peccatori gratiam poenitendi. « Potest tamen dici, ait BILL., quod aliquo sensu remittat *immediate* peccatum *veniale*, quatenus homo ponit quidem aliquem actum aversivum a peccato veniali, sed de se insufficientem ad ejus remissionem, quam tamen obtinet vi hujus sacrificii; sicut sacramentum poenitentiae dicitur remittere immediate peccatum mortale, quia remittit illi qui habet tantum attritionem de se insufficientem ad illius remissionem. » Item **mediate** tantum efficit in justis *augmentum gratiae sanctificantis*, nimirum gratias actuales impetrando ad opera bona hujus augmenti meritoria. Nam causare *per se* et *immediate* augmentum gratiae competit solis sacramentis vivorum. Aliunde, ut notat BILL., si *immediate* causaret augmentum gratiae, « sequeretur, quod parvulus baptizatus, pro quo plura offerrentur sacrificia, posset esse sanctior quam ille qui diuturnam vitam in praxi omnium

virtutum et in laboriosis poenitentiae operibus peregisset; quod est absurdum. » E contra 2°) **immediate** causat *gratiam actualem*, *liberationem a malis et flagellis publicis vel privatis*, et generatim quaecumque etiam *temporalia bona* nobis impetrat, si tamen ad salutem conducant. Similiter **immediate** operatur *remissionem poenae temporalis* peccatis nostris debitae. Praeterea 3°) effectus *satisfactorius* pro justis, tam vivis quam defunctis, **infallibilis** est. Non tamen *omnis* poena uno sacrificio semper solvitur : nam *vivis* conceditur remissio pro mensura bonae dispositionis; sic ignis vi sua agit in lignum, majori tamen cum effectu in lignum aridum quam in lignum viride. *Defunctis* vero conceditur remissio secundum mensuram divinae justitiae et sapientiae. Et ideo in Trid. (Sess. XXV, *decr. de purg.*) dicitur animas in purgatorio detentas per sacrificium *juvari*, non autem absolute liberari. Ast 4°) **non est infallibilis** effectus *propitiatorius* et *impetratorius*. Nimirum remissio peccatorum, gratiae augmentum, aliaque spiritualia et temporalia bona non infallibiliter impetrantur : quia fieri potest, ut in subjecto, cui impetrari deberent, obex aliquis impetrationem impediat. Excipienda tamen est gratia actualis, cujus semper aliqua mensura impetratur. — Ex quibus patet, magis certam esse satisfactionem pro defunctis quam impetrationem pro vivis. Nihilominus magis expedit sacrificia pro se ipso vivo quam pro seipso mortuo celebranda curare : quia ante omnia curandum est homini, ut ad felicem exitum perveniat.

Scholion. Ex dictis de effectu *satisfactorio* pro defunctis nequaquam sequitur, ut recte notat Bill., « quod **ditiores** pro quibus offeruntur plura sacrificia *citius* semper liberentur a Purgatorio quam **pauperes** : quia pauperes, vel forte habent minores poenas luendas, vel forte fuerunt sanctiores in vita, sicque plus participant de sacrificiis oblatis generaliter pro omnibus defunctis, vel de portione Ecclesiae in quolibet sacrificio. » Concinit Daelm.

Q. 88. *Quandonam* missa CONFERAT SUOS *effectus?*

R. Completo *essentialiter* sacrificio, adeoque, ex communi DD. sententia, completa utraque consecratione, adsunt statim effectus qui dantur *infallibiliter*, i. e. *latreuticus*, *eucharisticus* et *satisfactorius* pro justis tam vivis quam defunctis.

Reliqui effectus, scilicet *propitiatorius* et *impetratorius* non semper dantur statim, quia adesse potest obex vel dilationis ratio. Et hoc est quod innuere videtur TRID. (Sess. XXII *de sacrif. miss.* cap. 2), dicens : per hoc sacrificium fieri, « *ut, si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti et poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur et gratiam inveniamus* IN AUXILIO OPPORTUNO. »

Q. 89. An missa *mali* sacerdotis MINORES effectus producat quam *boni?*

R. Ex S. THOM. (p. 3, q. 82, a. 6) *sub distinctione.*

Explanatur. Missa spectari potest sub **triplici** respectu : vel ut est *opus Christi*, in quantum scilicet celebratur in persona Christi ; vel ut est *opus publicum Ecclesiae*, in quantum sacerdos orat nomine Ecclesiae ; vel ut est *opus ipsius sacerdotis* seu personae privatae. Si **primum** : *negative ;* quia missa sic considerata valet ex *opere operato*. Si **secundum** : etiam *negative ;* quia Ecclesia, cujus ministerium manet in peccatoribus, semper est sancta, adeoque Deo grata. Si **tertium** : *affirmative ;* quia efficacia orationis, prout a privata persona procedit, dependet a devotione orantis. Interim, quamvis indigne celebrans graviter peccet, si tamen, accepto stipendio, in malo statu celebraverit, non *obligatur* ad restitutionem, licet *congruat*, ut pia oratione compenset, quod impietate sua abstulisse videatur.

Resolvitur 1. Ex S. THOM. (p. 3, q. 82, a. 7 ad 3) : « *Si sacerdos ab unitate Ecclesiae* PRAECISUS *missam celebret, quia potestatem* ORDINIS *non amittit, consecrat* VERUM *corpus et sanguinem Christi* [seu valide celebrat]. *Sed quia est ab Ecclesiae unitate separatus, orationes ejus* [ut est Ecclesiae minister] EFFICACIAM *non habent.* » **Resol. 2.** Ex *opere operantis* magis fructuosam esse missam *boni* sacerdotis : tum sibi, ut opus *meritorium ;* tum sibi et aliis, ut opus *impetratorium* et *satisfactorium*, idque magis vel minus secundum gradum dispositionis et devotionis ejus. **Resol. 3.** Cum res considerari soleant secundum *omnes suas circumstantias,* dici potest absolute, quod missa *boni* sacerdotis sit melior quam *mali*, ut ipse ait S. THOM. (in 4 sent., dist. 13, q. 1, q. 5). Quae tamen veritas

non est a sacerdote jactanda, ne videatur tendere ad schisma, juxta dicta (tom. 2, pag. 396).

Q. 90. *Quid* 1°) sit FRUCTUS sacrificii missae, et 2°) QUOTUPLEX *distinguatur* respectu eorum, quibus missa *prodest?*

R. Ad 1um) FRUCTUS vocantur missae effectus quatenus nobis applicantur; i. e. effectus *expiatorius* pro peccatis; *satisfactorius* pro peccatorum poenis, et *impetratorius* pro acquirendis bonis tam spiritualibus quam temporalibus.

R. Ad 2um) TRIPLEX distinguitur : *generalis*, *specialis* et *specialissimus*.

Explanatur. Fructus **1°) generalis** est, qui obvenit toti Ecclesiae, adeoque omnibus fidelibus tam vivis quam defunctis, sed maxime iis qui missae assistunt, et a fortiori qui inserviendo, cantando, aut alio modo ad illam celebrandam concurrunt. **2°) Specialis** est, qui cedit illi cui missa applicatur. Vocatur etiam *medius* seu *ministerialis*. **3°) Specialissimus** est, qui reservatur ipsi sacerdoti celebranti, etiam tunc quando, accepto stipendio, pro aliis celebrat.

Q. 91. *Quantus* sit VALOR sacrificii missae?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) VALOR, i. e. virtus sacrificii, ut est **latreuticum** et **eucharisticum**, est infinitus quoad *efficientiam* seu *in actu secundo :* Deus enim infinite sibi complacet in eo, redditurque cultus infinitus tum ratione rei *oblatae*, tum ratione *principalis offerentis*. **2°)** Valor sacrificii, ut est **expiatorium**, **satisfactorium** et **impetratorium**, est quidem infinitus quoad *sufficientiam* seu in *actu primo :* fundatur enim in infinitis Christi meritis; quoad vero *efficientiam*, i. e. *actualem applicationem*, *fructum*, seu in *actu secundo*, est finitus, ut constat ex Ecclesiae praxi et communi fidelium sensu, cum pro una et eadem re impetranda et pro eadem persona saepius missa iteretur.

Q. 92. *Undenam* proveniat LIMITATIO fructuum sacrificii?

R. *Duplex* datur sententia.

Explanatur. 1°) Alii eam repetunt **ex finita** seu **limitata**

capacitate ac **dispositione** hominum pro quibus offertur, ita ut, si offerri posset pro numero infinito hominum, et hi infinite capaces essent, fructum infinitum produceret. In hac sententia sacrificium oblatum pro pluribus aeque prodest singulis, supposita aequali dispositione, ac si pro singulis offerretur, sicut lumen solis non minus illuminat, sive paucis, sive pluribus applicetur. Quare posset sacerdos per unum sacrum satisfacere pluribus missis *gratuito* promissis; non posset tamen pro una et eadem missa accipere plura *stipendia*, ut constat ex prop. damnata ab Alex. VII sub n. 10: « *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre.* » Ratio est: quia stipendium datur pro sustentatione; adeoque quoties ministro sua tribuitur sustentatio, deficit titulus, cur aliud stipendium recipiat. 2°) Alii limitationem fructuum repetunt **ex voluntate Christi** volentis, ut sacrificium, quoties offertur, certum ac limitatum fructum producat; et consequenter, cum fructus finitus, quo magis inter plures dividitur, eo magis decrescat, contendunt isti DD., sacrificium, oblatum pro pluribus, minus prodesse, quam si pro uno tantum offerretur. Ex quo tamen non sequitur, aiunt, quod, si plures missam audiant, vel sacerdoti celebranti assistant, minus singuli de fructu generali participent: cum enim singuli cum sacerdote offerant, multiplicantur oblationes earumque proinde fructus.— Argumenta pro utraque sententia militantia adfert Bill., et quamvis propendere videatur in *primam*, quae et « *probabilior* » dicitur a S. Lig. (VI, 312), agnoscit tamen « *neutram esse certam, sed quamlibet pati suas difficultates.* » Cfr. ILL^mus Ep. Lymbrecht, D^r Lov. (*de SS. Miss. Sacrif.*).

Resolvitur. Cum utraque sententia probabilis sit, hinc **in praxi,** qui sacrificium offert, intendat illud applicare omnibus vivis et defunctis, *quantum fieri potest*, i. e. absque praejudicio illius pro quo celebrare tenetur ratione stipendii, beneficii aut promissionis, adeoque *non absolute*, sed *sub conditione*, salvo nempe jure illius pro quo missam applicare tenetur.

Q. 93. *Pro quibus* liceat OFFERRI missae sacrificium?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel agitur de **vivis,** vel de **defunctis.**— Si pri-

mum : offerri potest pro *omnibus omnino viventibus*, nisi adsit specialis aliqua Ecclesiae prohibitio. Vetat autem sacrificium *directe* offerri : **1°**) pro *excommunicatis vitandis;* **2°**) pro *haereticis;* **3°**) pro *schismaticis*. Dixi : *directe;* nam potest *indirecte*, i. e. ad impetrandam eorum conversionem. Constat ex S. C. Inq. (19 April. 1837), quae ad dubium : « *Utrum possit aut debeat celebrari missa ac percipi eleemosyna pro* GRAECO-SCHISMATICO, *qui enixe oret atque instet, ut missa applicetur pro se sive in ecclesia adstante, sive extra ecclesiam manente?* » ita respondit : « *Juxta exposita non licere, nisi constet expresse, eleemosynam a schismatico praeberi ad* IMPETRANDAM CONVERSIONEM *ad veram fidem.* » Non licet tamen eorum nomina exprimere in sacrificio, nisi legitime dispensatum fuerit (tom. I, pag. 333). Ast *privatim* in *Memento* pro eis orare, nullo jure vetitum est. — Si **secundum** : offerri potest pro *animabus in purgatorio detentis*, et hoc est de fide a TRID. (Sess. XXII *de sacrif. miss.* cap. 2 et can. 3; item Sess. XXV *in decr. de purg.*) definitum. Contra offerri nequit : **1°**) pro *damnatis*, cum ipsis prodesse non potest ad remissionem peccatorum; neque ad remissionem poenarum; neque ad earum *mitigationem*, ut quidam post ORIGENEM immerito putaverunt, cum in inferno *nulla* sit redemptio. Nec **2°**) **proprie** offerri potest pro *beatis*, cum Deo regnantibus; sed tantum, « *in honorem Sanctorum et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda,* » ut ait TRID. (Sess. XXII *de sacrif. miss.* can. 5), i. e. in gratiarum actionem pro beneficiis ipsis a Deo collatis, et in eorum memoriam, « *ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam facimus in terris* », ut explicat idem Concilium (ibid. cap. 3; ex quo quidam honor accidentalis Sanctis resultat, ut docet BELL.. Nec **3°**) pro *acatholicis defunctis*, ut constat ex Brevi GREG. XVI ad Abbat. Monachorum Schyrensium O. S. B. (9 Jul. 1842), aliisque, *quibus deneganda est sepultura ecclesiastica.* Alias adesset contradictio : nam suffragia publica faciunt partem sepulturae ecclesiasticae. Nihil tamen impedit, quominus pro ipsis *privatim* oret sacerdos in *Memento*.

Resolvitur. 1 Ex usu primitivae Ecclesiae, qui colligitur ex verbis Apostoli (1 TIM. II, 1-2) : « *Obsecro igitur... fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt,* » quorum

plerique erant infideles, licitum est offerre missae sacrificium pro **infidelibus,** si adhuc **vivant**; et non tantum *indirecte*, offerendo pro Ecclesiae catholicae propagatione, sed etiam *directe*, i. e. pro bono ipsorum infidelium, etiam temporali : sunt enim fructus saltem impetratorii capaces, ac nulla desuper exstat Ecclesiae prohibitio. Hinc ad POSTULATUM : « *Utrum liceat sacerdotibus missam celebrare pro* TURCARUM ALIORUMQUE INFIDELIUM *intentione, et ab iis eleemosynam pro missae applicatione recipere?* » S. C. INQ. (12 Jul. 1865) respondit : « AFFIRMATIVE, *dummodo non adsit scandalum, et nil in missa addatur, et quoad intentionem constet, nil mali aut erroris aut superstitionis in infidelibus eleemosynam offerentibus subesse.* » **Resol. 2.** Licitum est offerre missae sacrificium pro **catechumenis,** tam *vivis*, quam *defunctis*, si absque culpa sua sine baptismo mortui sunt. Colligitur : tum ex cap. 2. « APOSTOLICAM » *(de presb. non baptiz.)*, ubi INNOC. III jubet, ut preces et hostiae offerantur pro presbytero non baptizato, qui in fide christiana erat defunctus; tum ex S. AMBR., cum in oratione *de obitu* VALENTINIANI, qui obierat catechumenus, hortetur, ut pro anima ejus sacrificia offerantur. **Resol. 3.** E contra illicitum est offerre sacrificium pro ceteris **sine baptismo defunctis,** sive *adultis*, sive *infantibus* cum solo peccato originali decedentibus. Hinc scribit S. AUG. (lib. 3 *de orig. anim.* cap. 12) : « *Noli credere, nec dicere, nec docere, sacrificium christianorum pro iis*, QUI NON BAPTIZATI DE CORPORE EXIERINT, *offerendum, si vis esse catholicus.* » **Resol. 4.** Ubi Ecclesia, in missis pro defunctis, postulat a Deo, *ut animae liberentur a morte aeterna, de poenis inferni, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum*, non pro damnatis orat et reprobis; sed per haec verba vel intelligit poenas purgatorii, quod sano sensu vocari potest infernus et tartarus; vel intelligit poenas daemonibus praeparatas, et tunc respicit ad illud instans quo animae constitutae sunt in exitu vitae, oratque Ecclesia, ne animae illae sint de numero reproborum; sicut mysteria Christi, v. g. Nativitatem, Passionem, etc., ita considerat, ac si non essent praeterita. Sic in Adventu clamat : « *Veni, Domine, et noli tardare*, » cum tamen jam a multis saeculis venerit.

Scholion. 1°) Uti ostendit BILL., commentitia est TRAJANI imperatoris **ab inferis liberatio** precibus S. GREG. *Factum* quidem

illud, de quo plura videri etiam possunt apud Bellarm. (*De purgat.* lib II, cap. 8) et Baron. (*Annal.* ad an. Christi 604), adfert S. Thom. (*Supp.* q. 71, a. 5); sed scholasticae dumtaxat methodo intentus, noluit, sicut in casu simili (tom. 2, p. 459), hujus facti veritatem expendere, ipsique respondet non quidem *absolute*, sed tantum *hypothetice* seu supposita veritate hujus historiae, dicendo : Trajanum non fuisse finaliter et absolute damnatum, sed punitum dumtaxat in inferno secundum praesentia demerita; finalem autem et absolutam sententiam fuisse suspensam secundum superiores causas quibus praevidebatur ad vitam revocandus; sicut necessario dici debet de omnibus illis qui miraculose fuerunt a mortuis suscitati, quorum plures constat idololatras et damnatos fuisse.

Scholion. 2°) Quod vero **mitigationem poenarum damnatorum** attinet, ex S. Thom. (l. c. et in 4. dist. 45, q. 2) est « *praedicta opinio* praesumptuosa, *utpote Sanctorum dictis contraria et vana, nulla auctoritate fulta, et est* irrationabilis. » Quod probat duplici argumento : tum quia damnati sunt extra vinculum charitatis, qua opera vivorum communicantur mortuis; tum quia sunt absolute in termino in quo receperunt ultimam suis meritis retributionem, scilicet aeternam damnationem, quae minui non potest, cum poena diminui non possit, nisi diminuatur et culpa, sicut nec auferri, nisi ea sublata; culpa autem in aeternum permanet in damnatis, nec ullatenus minuitur. Et (*Suppl.* q. 98, a. 7) haec stupenda profertur sententia : « *Sicut propter perfectam Sanctorum beatitudinem, nihil erit in eis, quod non sit gaudii materia; ita nihil erit in* damnatis, *quod non sit eis materia et causa tristitiae; nec aliquid, quod ad tristitiam possit pertinere, deerit, ut sit eorum* **miseria consummata.** » Unde ex S. Thom. perspicuum est, suffragia minime prodesse damnatis nec ullam omnino pro ipsis mitigationem poenarum esse admittendam. — Et hanc quoque esse *communem TT. sententiam*, fatetur doctissimus Emery, Sup. Congr. S. Sulpitii, ubi dissertationem suam, quam de *mitigatione poenarum damnatorum* conscripsit et coram Imperatore Napoleone I praelegit, hisce verbis concludit : « *Notre intention n'a point été de combattre l'opinion* **commune** *des théologiens sur la mitigation des peines des damnés; nous avons seulement voulu montrer que cette opinion n'appartenait point à la foi et pouvait être abandonnée sans exposer à aucune*

censure ; et si nous avons développé avec plus de soin et d'étendue les raisons qui favorisent l'opinion de ceux qui croient à cette mitigation, c'est que ces raisons sont moins connues que les raisons de l'opinion contraire, et qu'on ignore même communément qu'il y ait et qu'il puisse y avoir sur ce point deux opinions. » — Imo hanc communem TT. cum S. Thoma sententiam *omnino esse tenendam*, nec ab ea *sine periculo censurae* recedi posse, aperte edocemur ex damnatione *trium articulorum* quos super mitigatione poenarum damnatorum nuper evulgavit Prof. S^t^ Georges Mivart, in epheméride : « The Nineteenth century » (Dec. 1892, Febr. et April. 1893) sub respectivis titulis : [The] *Happiness in Hell* [Le bonheur en enfer] ; *The Happiness in Hell* [Le bonheur en enfer] ; *Last words on the Happiness in Hell* [Derniers mots sur le bonheur en enfer]. Quos tres articulos damnavit atque proscripsit S. C. Indicis, decreto 14 Jul. 1893, cui Auctor laudabiliter se submisit. — Super hac questione cfr. N. R. T. (XV, 98 seqq.).

Scholion. 3°) Quod tandem **ignem inferni** attinet, apposite scribit Card. Mazzella (*De Deo creante*, pag. 193, edit. 2) : « Ignis inferni, uti certissime constat ex fontibus revelationis, *verus* et *materialis* est, et *non metaphoricus ;* non modo corpora post resurrectionem, sed nunc etiam reproborum animas, sicut et daemones, veris, licet miris modis, crucians. » Ita enim docet S. Scriptura multis in locis, necnon Traditio quam, praeter alia, nobis exhibent communis SS. Patrum, atque Theologorum cum D. Thoma. sententia, ac imprimis sensus universalis Ecclesiae, ut adeo, licet ea de re nullo hucusque prodiverit solemnis definitio, nihilominus hanc veritatem esse revelatam, ex ordinario et universali Ecclesiae *magisterio* indubitanter doceamur. — Scilicet, ut diximus (tom. I, pag. 279). « *duplex* est modus quo utitur Ecclesia in proponendis fidei veritatibus ; unus *extraordinarius* seu *solemnis*, alter *ordinarius* seu *universalis*, qui etiam dicitur *quotidianus*. Primus modus obtinet, quando vel a R. Pontifice una cum orbis catholici episcopis in Concilio collectis vel ab uno R. Pontifice ex cathedra loquente quaedam puncta determinate definiuntur et credenda proponuntur. Qui modus si adhibeatur, veritates sic solemniter propositae vocantur *fidei dogmata definita*... Secundus

modus in hoc consistit, quod Ecclesia suo ordinario et universali magisterio, i. e. praedicatione et doctrina sua quotidiana, universali et consentiente, certas veritates tanquam divinitus revelatas credendas proponat, tametsi nullis sint Conciliorum aut RR. Pontificum decretis solemniter definitae. Quae fidei puncta vocantur *dogmata definibilia*, nec minus ac ipsa definita dogmata fide divina et catholica sunt credenda. » Quid porro, circa **ignem inferni**, suo *ordinario* atque *quotidiano magisterio* Ecclesia nos edoceat, ex iis quae sequuntur, manifeste apparebit. A quodam Parocho dioecesis Mantuanae in Lombardia nuper sequens **postulatum** ad S. Poenitentiariam directum fuit : « *Poenitens se sistit coram confessario et inter alia declarat opinari quod in inferno ignis non sit* REALIS *sed* METAPHORICUS, *scilicet quod inferni poenae, quaecumque illae sint, sunt vocatae ignis aliquo dicendi modo; nam sicut ignis dolorem omnium intensiorem producit, ita ad indicandas atrocissimas inferni poenas nulla adest imago aptior ad ideam inferni efformandam. Hinc parochus quaerit, an liceat relinquere poenitentes in hac opinione, et an liceat eos absolutione donari? Notat autem Parochus quod non agitur de opinione alicujus individui, sed est opinio* GENERALITER *admissa in quodam pago ubi dici solet :* INFANTES SOLUM PERSUADE SI POTES, QUOD SIT IGNIS IN INFERNO. » **Sacra Poenitentiaria** ad praemissa **respondit** : « *Hujusmodi poenitentes diligenter instruendos esse; et pertinaces non esse absolvendos.* Datum Romae in Sacra Poenitentiaria die 30 Aprilis 1890. R. Card. Monaco P. M. » Ap. N. R. T. (XXII, 503 seq.).

Resolvitur. Itaque relictis vanis, praesumptuosis, irrationabilibus ac damnatis opinamentis, « *cum metu et tremore nostram salutem operemur* » (Philipp. II, 12), memores effati scripturistici (Is. XXXIII, 14) : « *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* » item verborum Christi Domini (Marc. IX, 42 seq.) : « *Bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur,* » ac saepius de die cum Ecclesia dicamus ad pedes Crucifixi :

Preces meae non sunt dignae,
Sed tu bonus fac benigne,
Ne perenni cremer igne!

Q. 94. An missa DE REQUIEM magis prosit defunctis, quam *alia?*

R. Cum S. THOM. (*Suppl.* q. 71, a 9 ad 5) : « *Ex parte* SACRIFICII OBLATI *missa aequaliter prodest defuncto, de quocumque dicatur; et hoc est* PRAECIPUUM, *quod fit in missa. Sed ex parte* ORATIONUM *magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatae. Sed tamen iste defectus* RECOMPENSARI *potest per majorem devotionem vel ejus qui dicit missam, vel ejus qui jubet dici; vel iterum per intercessionem Sancti, cujus suffragium in missa imploratur.* »

CAP. 4. De ministro sacrificii missae deque applicatione in celebrante requisita.

Q. 95. *Quis* sit MINISTER sacrificii missae?

R. Minister *principalis* est Christus; *secundarius* est omnis et solus sacerdos (pag. 100).

Resolvitur. Quod si *fideles* aliquando vocentur MINISTRI seu OFFERENTES, id intelligitur *improprie*, mediate nimirum per sacerdotes, et quidem *triplici* hoc modo : 1°) **habitualiter** seu generaliter, quatenus sunt membra Ecclesiae, cujus nomine omnes sacerdotes sacrificium offerunt; 2°) **actualiter** seu specialiter, quatenus sacrificio actu assistunt; 3°) **causaliter** seu specialius, subministrando necessaria, inserviendo sacerdoti, praebendo stipendium.

Q. 96. *Quaenam* in MINISTRO requirantur, ut *valide* ac *licite* sacrificet?

R. Vide supra pag. 40; item 64-82.

Q. 97. An *requiratur* in ministro INTENTIO APPLICANDI sacrificium, ad *fructus* ejus obtinendos?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Non requiritur sacerdotis applicatio, ut fructus **generalis** percipiatur, sed sufficit, ut ipse velit celebrare juxta mentem Ecclesiae. Nec 2°) requiritur applicatio pro fructu **specialissimo**; immo sunt qui putent cum LAYM., LUG., SUAR.,

aliis, hunc fructum nulli alteri applicari posse. Quidquid de eo sit, certum est sacerdoti non licere pro applicatione fructus hujusmodi stipendium accipere : tum quia nemo per solutionem *incertam* debito *certo* satisfacere potest; tum quia damnata est ab ALEX. VII sequens propositio sub n. 8 : « *Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem; idque post Decretum* URBANI VIII. » E contra 3°) requiritur applicatio, ut fructus **specialis** alicui obveniat. Cum enim sacrificium missae institutum sit pro bono *communi*, debet ad hoc, ut *specialiter* uni prae altero prosit, *determinari* ab ipso sacrificante. Constat praeterea ex eo quod contraria doctrina synodis PISTORIENSIS damnata fuerit sub n. 30 a PIO VI, Const. «*Auctorem fidei*,» ut «*falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in* WICLEFFO. » Unde, ex communi DD., si sacerdos oblivione nemini hunc fructum applicaret, remaneret in thesauro Ecclesiae, sicut si applicaretur incapaci. Plures tamen volunt, quod cederet ipsi celebranti, quod evadit certum, si generalem intentionem semel elicuerit sibi hunc fructum, recurrenti casu, applicandi. — Pro **praxi**, optime notat SASS. : « In missis *gratuitis* fac intentionem, ut si nequeat prodesse cui vis, prosit tibi, vel alteri, vel illis, quibus magis obligaris. In *stipendiatis* vero vel *obligatoriis* facienda est intentio, ut si non prosit, cui applicatur, prosit ejus proxime conjunctis, vel quibus petens maxime est obligatus : haec enim praesumitur esse intentio dantis stipendium. » Concinit BENED. XIV (*de sacrif. miss.* sect. 2, n. 143).

Q. 98. *Qualis* debeat esse celebrantis APPLICATIO, ut fructus *specialis* obtineatur?

R. Debet esse : 1°) *saltem habitualis;* 2°) quoad personam, cui applicatur, *saltem implicite determinata.*

Explanatur. Dixi : 1°) **saltem habitualis**; i. e. sufficit, ut semel facta non fuerit revocata. Ratio est : quia applicatio fit per modum donationis; donatio autem valida est, etiamsi multo tempore ante facta sit, et multis actibus interrupta, dummodo revocata non fuerit; unde qui promisit vel statuit cras pro Petro celebrare, et cras celebret immemor promissionis, neque alteri applicare

cogitans, reipsa celebrat pro Petro; quin imo et toto mense et anno, si id semel voluerit. Quod si primo intendas applicare Petro, et postea applices Paulo, si hoc facias memor prioris intentionis, hoc ipso illam revocas; si immemor, attendendum est, an sit specialis causa mutandi, v. g. repentina necessitas, oblatio stipendii, sicque praevalet secunda; si non, praevalet prima. Ceterum *in praxi* parvi refert : cum enim certo satisfeceris uni, satis erit, alia vice sacrum offerre pro eo, cui non est satisfactum. Itaque non requiritur applicatio *actualis* vel *virtualis;* nec sufficit *interpretativa*, qua quis applicasset, si advertisset. Dixi : 2°) **saltem implicite determinata**; unde non requiritur, ut celebranti nota sit *explicite* persona vel illius necessitas propter quam specialiter offert sacrificium; sed sufficit, quod ipsi cognita sit *mediate* et *implicite :* v. g. si sacerdos suam intentionem conformet intentioni alterius sacerdotis vel sacristae, cujus mandato celebrat; si applicet ei pro quo exigit fundatio aut accepit stipendium, etc.; et ideo si, debens legere sacrum pro *defuncto*, illud applicet *defunctae*, valet applicatio : quia intentioni petentis satisfacere voluit; aliunde mens celebrantis respexit *animam*, quae suffragiis indigebat, et proinde circumstantia *sexus* ad ipsam applicationem se indifferenter habuit. Similiter si ex arca in Ecclesia posita vel a missarum distributore stipendia pro 20 missis acceperis data a personis ignotis, ut in piis peregrinationibus evenire solet, satisfacis, si sacrum vigesies celebres ad dantis intentionem. Econtra non valet applicatio, si dicas : applico ei cui Deus vult applicari : quia Deus nulli determinate applicat, relinquens hoc sacerdoti.

Q. 89. *Quo tempore* fieri debeat APPLICATIO *fructus specialis?*

R. Ut valeat applicatio, *probabilius* fieri debet *ante* consecrationem, cum essentia sacrificii probabilius consistat in sola consecratione, qua peracta, sacrificium suum operatur effectum. At utrum fieri debeat *ante* consecrationem *primae* speciei, — an vero sufficiat, ut fiat *ante* consecrationem *secundae* speciei, inter DD. *disputatur.*

Explanatur. Qui docent in consecratione primae speciei seu panis totam reperiri rationem sacrificii, **primam** sententiam am-

plectuntur. Huic etiam adhaerent plerique eorum, qui communius et probabilius sustinent : consecrationem utriusque speciei esse de essentia sacrificii missae. Horum tamen aliqui **secundam** sententiam sectantur. Unde juxta eos valet applicatio, si fiat *inter* utramque consecrationem : quia, aiunt, missae sacrificium consecratione calicis perficitur, et consequenter sacerdos dicitur tunc sacrificare. In **praxi,** cum prima sententia probabilis sit, ea quoque ut *tutior* est sequenda, ne applicatio periculo nullitatis exponatur. Imo curandum est, ut fiat ante missam seu ab initio ejus, ut sic preces et orationes etiam prosint iis pro quibus missa offertur.

Resolvitur 1. Qui scribunt : « *Applicatio ita facienda est, ut saltem ante secundam consecrationem exstiterit ;* » potius scribere debuissent : applicatio facienda est etiam ante primam consecrationem, ne periculo nullitatis exponatur. **Resol. 2.** Sapientissime monet Bened. XIV (*de sacrif. miss.* sec. 2, n. 143) : « *Sacerdos, se ut omnibus expediat difficultatibus, in praeparatione ad missam, antequam sacris se vestibus induat, ne omittat sacrificii fructum applicare.* »

Q. 100. *Quid* dicendum de *anticipata* applicatione?

R. Quandoque est *graviter illicita*, saepe est *invalida*, potest esse *licita.*

Explanatur. 1°) *Anticipata* applicatio pro eo, qui *primo petet* vel *dabit stipendium*, est **graviter illicita,** eamque post Clem. VIII, ex decreto S. C. C. (26 Nov. 1605) prohibuit Paulus V, «*tanquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis et offensionibus obnoxiam, et a vetusto Ecclesiae more nimium aberrantem.* » Imo **2°**) hujusmodi applicatio **saepe est invalida,** quia saepe accidit, quod missa tunc dicatur pro causa, quae nondum exsistit, puta si stipendium offerens postulabit missam pro liberatione a carcere, ab infirmitate, etc., quae causa cum nunc non adsit, effectus missae suspensus remanere deberet, quod admitti nequit. Quare et invalida foret applicatio pro primo e parochia morituro. Nihilominus **3°**) si sacerdos praevideat, quod postulandae sint missae pro aliquo jam defuncto, **licite** poterit jam nunc easdem offerre, et deinde stipendium accipere : quia hoc casu offertur sacrificium pro persona determinata, nec exspectatur indigentia, sed supponitur tantumque

incurrit sacerdos stipendii amittendi periculum. Similiter 4°) per se loquendo, **non est illicitum** capellanis, qui certas missas debent singulis septimanis celebrare, aliquando praevenire, celebrando hebdomade praecedente : esset enim quaedam anticipata solutio debiti jam tunc exsistentis, quae non nocet, sed prodest creditori. Dixi : *per se loquendo ;* nam excipe : **A**) si hoc expresse fuerit prohibitum ; aut **B**) missae sint pro commoditate populi ; aut **C**) ex pia fundatoris intentione sint affixae certis diebus, ut si v. g. Passionem D. N., feria VI, et B. M. V., sabbato, specialiter voluerit honorare ; aut **D**) celebrandae sint pro successive morituris. Et ita si singulis mensibus sacra 12 forent celebranda pro defunctis alicujus parochiae, non posset sacerdos hoc mense celebrare 12 pro mense futuro : quia tali anticipatione omnes qui mense sequenti decedent, debito sibi subsidio fraudarentur.

CAP. 5. De obligatione celebrandi : 1° ratione sacerdotii ; 2° ratione officii ; 3° ratione fidelitatis aut justitiae, ubi de stipendio missarum.

Q. 101. *An* detur OBLIGATIO celebrandi ratione *simplicis sacerdotii?*

R. 1°) Certum est, idque ex BENED. XIV (*de sacrif. miss.* sect. 2, n. 3) « *salva fide catholica* » negari non potest, Christum *universo sacerdotali ordini* praeceptum injunxisse missam celebrandi.—R. 2°) Utrum illud praeceptum divinum *singulos sacerdotes* obliget, inter DD. *disputatur.*

Explanatur. Alii prorsus **negant** ; alii communius et probabilius **affirmant** cum S. THOM. (p. 3, q. 82, a. 10), docentque singulum sacerdotem, ratione sacerdotii, teneri celebrare *aliquoties*, i. e. *ter* vel *quater* in anno, sive in festis solemnioribus, sive in aliis quibuslibet diebus, idque juxta alios *sub levi ;* juxta alios vero *sub gravi.* Cui ultimae sententiae adhaerendum videtur : tum quia INNOC. III cap. « *Dolentes* » graviter corripit sacerdotes, qui vix quater in anno celebrant ; tum quia, testibus MONACELLI et S. LIG. (VI, 313), habetur decretum S. C. C. (mense Nov. 1696), in quo dicitur : « *Qui sine justa causa ter vel quater in anno non cele-*

bravit, peccat mortaliter et potest ab episcopo puniri. » Imo dicit S. Lig. (VI, 359), non esse excusandum a peccato *veniali* sacerdotem, qui non celebrat quotidie, *si possit*, excepta forte una die in hebdomade propter reverentiam. — Hoc **certum est** : Ecclesiam exoptare, ut sacerdotes, quantum fieri possit, *quotidie* celebrent. Quod ut intelligant sacerdotes, praesertim scrupulosi, sedulo perpendant verba S. Bonav. (*de praep. ad miss.* cap. 5) : « *Sacerdos qui non celebrat, quantum in ipso est, privat Trinitatem laude et gloria ; in purgatorio exsistentes refrigerio; Ecclesiam Christi speciali beneficio ; et seipsum medicina et remedio contra quotidiana peccata et infirmitates.* » Item perpendant haec verba De imitatione Christi (lib. IV, cap. 5) : « *Quando sacerdos celebrat, Deum honorat, Angelos laetificat, Ecclesiam aedificat, vivos adjuvat, defunctis requiem praestat, et sese omnium bonorum participem efficit.* »

Q. 102. *Quinam*, ratione *officii*, debeant tum celebrare in suis ecclesiis ; tum missam applicare pro *populo?*

R. *Pastores animarum.*

Explanatur. Tales sunt : 1°) qui in aliqua parochiali ecclesia, quocumque titulo, animarum curam gerunt; ut **Parochi,** tam saeculares quam regulares; et nedum Parochi, sed et alii omnes curam animarum actu gerentes, ut **Vicarii-Parochi,** sive perpetui, sive temporanei et amovibiles, et **Oeconomi curati.** Constat ex Const. « *Cum semper* » Bened. XIV, et Const. « *Amantissimi Redemptoris* » Pii IX (3 Maii 1858), ap. N. R. T. (III, 347). 2°) **Episcopi,** post adeptam sedis possessionem, quacumque dignitate, etiam cardinalitia, aucti; item **Abbates** jurisdictionem quasi episcopalem in clerum et populum cum territorio separato habentes, ut declaravit Leo PP. XIII, Litt. Apost. « *In suprema* » (10 Jun. 1882), ap. N. R. T. (XIV, 229 seq.).

Resolvitur. Proinde 1°) neque **superiores** ecclesiastici vel regulares, 2°) neque **capellani** monasteriorum vel carcerum aut nosocomiorum, 3°) neque episcopi, qui antea *in partibus infidelium* nunc vero **Titulares** dicuntur, 4°) neque **Vicarii capitulares** sede vacante, ut constat ex S. R. C. (12 Nov. 1831), 5°) neque **Vicarii apostolici** et **Missionarii,** ad sacrum pro subditis faciendum tenentur, « *dummodo non agatur de locis, in quibus sedes episcopales ac parochiae canonice erectae jam sint,* [**atque**

ad ea vicarii apostolici et missionarii missi sint], *ut legitimorum pastorum vices gerant*, » ut declaravit S. C. de Prop. Fid. (23 Mart. 1863), ap. N. R. T. (XIV, 537).

Q. 103. *Quandonam* PASTORES debeant : 1°) in suis ecclesiis *celebrare* ; 2°) missam *applicare* pro populo ?

R. Ad 1^um^) Tenentur per se vel per alios in suis ecclesiis missam *celebrare*, quoties populus necesse habet illam audire, aut rationabiliter petit. Immo convenit, parochum ab episcopo posse cogi, ut bis vel ter inhebdomade celebret in suâ ecclesia, si parochia sit populosa, et aliae missae in ea non celebrentur, et reditus parochiae non sint tenues.

R. Ad 2^um^) In *Eccl. occidentali* ad hoc tenentur *omnibus dominicis et festis diebus*, etiam omnino *abrogatis* vel *translatis*, nisi forte cum solemnitate *divinum officium* translatum fuerit in dominicam diem ; adeoque etiam illis festis devotionis, quae ante concordatum Pii VI an. 1801 erant de praecepto, i. e. quae in Const. « *Universa per orbem* » Urbani VIII (13 Sept. 1642) describuntur, quibus addendum est festum Imm. Conc. B. M. V. ex Const. « *Commissis nobis* » Clem. XI (6 Dec. 1708). — In *Eccl. orientali* satisfit, observando legem divinam, requirentem ut aliquoties saltem in anno missa applicetur populo, tum etiam statuta particularia et consuetutudines, si quae ibidem vigeant. Constat ex S. C. de P. F. (23 Mart. 1863).

Resolvitur 1. Itaque missa pro populo applicanda est **sequentibus diebus,** quales in Const. « *Universa per orbem* » Urb. VIII hic transcribuntur : « *Dominici dies totius anni, Nativitatis D. N. J. C., Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter feriis, SS. Trinitatis, Solemnitatis Corporis Christi, et Inventionis Sanctae Crucis, necnon festivitatum Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis Deiparae Virginis, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Nativitatis S. Joannis Baptistae, SS. Petri et Pauli, S. Andreae, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomae, SS. Philippi et Jacobi, S. Bartholomaei, S. Matthaei, SS. Simonis et Judae, et S. Mathiae, Christi Domini Apostolorum ; item S. Ste-*

phani Protomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentii Martyris, S. Sylvestri Papae et Confessoris, S. Josephi etiam Confessoris et S. Annae, Deiparae respective Sponsi ac Genitricis, Solemnitatis omnium Sanctorum, atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque regno sive provincia, et alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos patronos haberi et venerari contigerit. » Quibus addendum est *festum Immaculatae Conceptionis B. M. V.*, quod a Clemente XI (6 Dec. 1708) institutum fuit. — Ut patet, non comprehenditur Feria V in coena Domini. *Per accidens* tamen hac die missa applicari deberet pro populo, si in hanc feriam incidat : sive festum S. Joseph (S. R. C. 4 April. 1867); sive festum SS. Annunt. (S. R. C. 12 Sept. 1716), nisi ex concessione S. Sedis transferatur, etiam quoad feriationem, ad feriam II post Dominicam in *Albis*, prout concessum fuit dioecesi Tornacensi (S. R. C. 4 April. 1867). **Resol. 2.** Si **sola solemnitas** festi transferatur in proximam dominicam diem, missa applicari debet ipso die quo officium festi habetur. E contra si una cum solemnitate divinum officium transferatur in dominicam, sufficit die dominica missam applicare. **Resol. 3.** Potest parochus duplici obligationi, ob dominicam scilicet et festum, unica satisfacere missa in duplici casu : **A**) si festum, in quo tenetur pro populo celebrare, incidat in dominicam ; **B**) si una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in dominicam diem. **Resol. 4.** Si quis simul sit pastor et canonicus, debet diebus dominicis et festis, si celebrare debeat missam *conventualem* qua canonicus, curare celebrari *parochialem* per alium : quia missa conventualis ex stricta obligatione applicari debet benefactoribus et fundatoribus in genere; ergo cum per unam non possit satisfacere duplici obligationi justitiae, debet pro singulis dici una. Ita ex Bened. XIV Const. « *Cum semper* » (19 Aug. 1744).

Q. 104. *Qualis* sit *obligatio* applicandi missam pro populo ?

R. Est obligatio *gravis*, *personalis*, *realis*, *localis*, et *diebus statutis* adimplenda.

Explanatur. 1°) Est obligatio gravis. Nec excusat consuetudo contraria, etiam immemorabilis; nec infirmitas; nec secessus spiritualis; nec tenues reditus, juxta dicta (tom. 2, pag. 318seq.).

Casu tamen quo aliquis parochus sit adeo pauper, ut vivere cogatur ex eleemosynis missarum, facultas conceditur episcopis cum eo dispensandi, ut ipse possit etiam diebus festis missam applicare pro stipendium offerentibus, modo ad necessariam populi commoditatem in ecclesia parochiali missam celebret et intra eamdem hebdomadem missas omissas pro populo applicet (ibid.). 2°) Est **personalis,** ita ut pastores animarum debeant *per se ipsos* missam applicare, nisi justa de causa impediantur, v. g. ob morbum aut aliud obstaculum, ut si pastor simul sit canonicus et missam conventualem celebrare teneatur. Imo *parochus,* duabus parochiis praepositus, duplicem missam in festis tenetur applicare, sive per se, sive per alios, nisi unio duarum parochiarum sit *plenaria* et *exstinctiva,* ita ut ex duabus ecclesiis parochialibus una prorsus ob exstinctionem tituli alterius evaserit (*ibid.*); ad differentiam *episcoporum* et *abbatum,* qui ex Leone XIII (*Const. cit.*), suo officio satisfaciunt per celebrationem et applicationem unius missae pro universo populo sibi commisso, etiamsi duas vel plures dioeceses et abbatias aeque principaliter unitas regant. — Interim obligationi satisfit per missam *privatam.* Quare parochus non tenetur missam *solemnem,* neque aliqua certa hora celebrare. Constat ex S. R. C. (27 Febr. 1847 et 22 Jul. 1848). 3°) Est **realis,** ita ut subsistat adhuc, quamvis persona sit impedita. Quo casu, missa parochialis est celebranda per alium sumptibus pastoris. Quare sacerdos qui vice pastoris missam applicat pro populo, jus habet ad stipendium pro illa recipiendum. Constat ex S. R. C. (31 Mart. 1708). 4°) Est **localis,** ita ut missa per se dici debeat in ecclesia parochiali, ut populus interesse valeat. Dixi : *per se;* quia parochus in festo legitime absens satisfacere potest suae obligationi in *loco ubi degit,* dummodo ad necessariam populi commoditatem alius sacerdos in ecclesia parochiali celebret et verbum Dei explicet, ut constat ex S. C. C. (14 Dec. 1872). 5°) Est **diebus statutis** adimplenda. Quare parochus utcumque legitime impeditus, ne missam celebret, tenetur eam die festo per alium celebrari et applicari facere pro populo et quidem in ecclesia parochiali ; et si ita factum non fuerit, quam primum poterit, missam pro populo applicare tenetur ex S. C. C. (14 Dec. 1872).

Q. 105. *Quanta* sit obligatio celebrandi, ratione FIDELITATIS?

R. Obligatio SOLIUS FIDELITATIS *regulariter* est *levis*.

Resolvitur. Quare, qui alteri solum **liberaliter** promisit unum vel plura sacra, nisi expresse intendat se obligare *graviter*, solum tenetur *sub levi*, cum promissio liberalis de re etiam gravi non adferat obligationem gravem. Quod si, loco promissionis, merum *propositum* enuntiatum fuerit, nequidem *fidelitatis* obligatio contraheretur (tom. 2, pag. 202 seq.).

Q. 106. *Quinam* 1°) teneantur celebrare, ratione JUSTITIAE, et 2°) *quanta* sit haec eorum *obligatio?*

R. Ad 1^{um}) Qui ad hoc tenentur : vel ex *beneficio seu fundatione;* vel ex accepto *manuali stipendio*.

R. Ad 2^{um}) Est obligatio ex genere suo *gravis*.

Q. 107. *Quomodo* peccet BENEFICIATUS seu CAPELLANUS, qui non celebrat in *ecclesia*, in *altari*, *die* aut *hora* ipsi destinata?

R. *Sub distinctione*.

Explanatur. Peccat **mortaliter**, si hoc faciat **saepius, sine causa** vel **dispensatione;** et hujusmodi conditiones sint appositae **ob grave** *motivum*. Secus **non**. Dixi : **1°) peccat mortaliter** : quia in re gravi infideliter agit. Non tamen tenetur ad novam missam celebrandam : quia fundator principaliter censetur intendere missam quae celebrata fuit. Si tamen pinguior eleemosyna data fuisset ideo, ut vel longius iret, vel ad altare privilegiatum celebraret, teneretur de excessu. Dixi : **2°) saepius** : i. e. quater vel quinquies in mense; unde non est nisi *veniale*, si fiat raro, puta semel vel bis in mense. Dixi : **3°) sine causa** : unde non peccabit, si celebret alibi ex justa causa, ut si altare sit exsecratum, si ecclesia restauretur, si egressus e sacristia celebraturus altare jam viderit occupatum. Dixi : **4°) sine dispensatione,** quam elargiri potest vel Papa, vel etiam ex S. LIG. (VI, 329) episcopus loci ob rationabilem causam, voluntatem fundatoris interpretando, nisi fundator designando ecclesiam vel horam specialiter respexerit commoditatem populi audituri missam. Dixi :

5°) **ob grave motivum** : puta, ob populi commoditatem, vel ob familiae suae bonum, aut ob specialem cultum alicujus sancti, aut in memoriam alicujus gratiae, etc. Si enim certo constet, vel nullam adesse specialem causam, vel illam jam omnino cessasse, tunc sacerdos mutando altare, horam, vel diem, non peccabit, nisi *venialiter*. Immo ne venialiter quidem, si celebret in altari privilegiato, quia tunc melius bono fundatoris consulit; vel, per se loquendo, si anticipet diem, quia tunc anticipat suffragia (pag.119).

Q. 108. An BENEFICIATUS seu CAPELLANUS obligatus *quotidie* celebrare, possit aliquando *vacare?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Obligatio quotidie celebrandi imposita est : vel **loco**, vel **personae**.— Si **primum** : ut si fundator dixit : volo, ut quotidie celebretur in tali loco; vel volo, ut constituatur capellanus, qui quotidie per se vel per alium celebret, jam nulla die potest omitti missa, praeter tres posteriores dies hebdomadae sanctae; et si sacerdos non possit per se, debet per alium. — Si **secundum** : ut si fundatio principaliter sit in sustentationem pauperis sacerdotis, potest, reverentiae causa, semel in hebdomada sacrum omittere; immo saepius ob rationabilem causam; non potest tamen diebus licitae vacationis missam pro aliis, praeterquam pro fundatoribus, celebrare, multo minus pro hujusmodi celebratione stipendium recipere, prout resolvit S. C. C. (18 Sept. 1683). Nihilominus concedunt SALM., SASS., COLLET, alii apud S. LIG. (VI, 332), eum posse quater aut sexties in anno celebrare pro se vel parentibus aut amicis, dummodo non accipiatur stipendium. Sic enim praesumitur de intentione pii et aequi fundatoris. Nec tunc tenetur supplere per alium, sicut nec ad hoc tenetur, si *aliquandiu* infirmetur : quia benignus herus non facile detrahit de mercede famuli ob brevem ejus infirmitatem. Secus, si *diu* duret, nisi tamen et tunc stipendium sit valde tenue, alendo capellano infirmo necessarium. Interim, quaenam infirmitas sit *diuturna*, DD. DISPUTANT. Alii dicunt, si excedat *duos menses*; alii, si *unum*; alii, si 15 *dies*, et citant duplicem declarationem S. C. C. (4 Junii 1689 et 17 Nov. 1695). Quas omnes opiniones, S. LIG. (VI, 333) habet *probabiles*.

Q. 109. *Quid* facere debeat BENEFICIATUS in *dubio* : 1°) circa missarum *numerum* ; 2°) circa earumdem *applicationem?*

R. Ad 1um) Si ex litteris fundationis haberi non possit, *quoties* debeas legere, debes inquirere, quid fecerint antecessores, et idem tuto facies; item videndum, quae in similibus fundationibus sit loci consuetudo, et si haec sit varia, poteris sequi, quod est minus. Optime facies, si in dubio ad Ordinarium recurras.

R. Ad 2um) Tunc traduntur *regulae* sequentes.

Explanatur. Est *Regula* **prima.** Si constet tres v. g. missas esse in hebdomada exsequendas, nesciatur vero ad quam intentionem, tunc praesumendum est, debere fieri pro anima fundatoris : quia in dubio quisque praesumitur sibi voluisse consulere. Aliunde in fundatione capellaniae, ex BENED. XIV (*de sacrif. miss.* sect. 2. n. 62), « *Regula est generalis,* PRAESUMI, *eum qui beneficium seu capellaniam instituerit et onus celebrandi missam adjecerit, nulla mentione facta applicationis, voluisse missam applicari animae suae.* » Additque : « *Ad eumdem modum semper S. C. respondit.* » Ita quoque recenter S. C. C. (26 Apr. 1856). — Est *Regula* **secunda.** Si fundata sit missa omni die vel diebus dominicis vel festis legenda in certo loco et hora, v. g. summo mane pro commoditate famulorum et opificum, si fundator nihil expresserit, unde colligi possit, plus quam commoditatem populi intendisse, neque proventus pro illa missa excedant stipendium ordinariae missae, manet applicatio libera et potes admittere stipendium : quia, cum fundator aliud onus imposuerit sat notabile, nec intentionem suam expresserit, non censetur aliud voluisse; unde valet illud : quod quis facile exprimere potuit et non expressit, non voluisse censendus est. Deinde nemo censetur voluisse imponere onus improportionatum, quale est hoc duplex onus, et primum stipendium datur in pretium laboris extrinseci seu obligationis, qua tenetur esse paratus ad celebrandum tali loco et hora, quod est pretio aestimabile. E contra, si stipendium pro tali missa assignatum sit notabiliter majus, censetur voluisse duplicatum onus : quia tunc censetur voluisse consulere sibi, modo quo poterat optimo. — Est *Regula* **tertia.** Si

fundator tantum jusserit, sacerdotem in missis fundatis orare pro anima sua, nulla facta mentione applicationis, tenetur ad applicationem. Ita S. C. C. (27 April. 1700). Excipe : nisi plures missas fundasset, et in una exprimeretur, *orari* pro anima sua; in altera vero juberet, missam *applicari* pro anima sua; tunc enim ex diverso loquendi modo diversa oritur locutionis interpretatio. Ita Bened. XIV (*loc. sit.*).

Q. 110. *Quid* facto opus, si *reditus* beneficii vel capellaniae *deficiant?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel deficiunt **in totum**, vel **ex parte**.—Si **primum** : *subdistinguendum* est : **A**) Si id ex **culpa sua** acciderit, tenetur beneficiatus aut capellanus missas celebrare, ut declaravit S. C. C. (15 Jun. 1816). **B**) Si **absque ejus culpa** id acciderit, ab onere missas celebrandi liberatur, ut declaravit S. C. C. (19 Jun. 1686). Quod tamen applicari nequit omnibus ecclesiarum cathedralium legatis et oneribus. Etsi enim omnia antiqua bona amiserint, nihilominus missam conventualem pro benefactoribus celebrare tenentur. Praeterea S. C. C. (16 Dec. 1820 et 27 Apr. 1822) declaravit, pensiones, quae canonicis a gubernio solvuntur, reditibus canonicatus subrogatas esse, illique pensioni eadem inhaerere onera, quae antea canonicali praebendae inhaerebant. — Si **secundum** : iterum *subdistinguendum est* : vel fundator ipse *determinatam assignavit eleemosynam* pro qualibet missa, vel *non*. Si **prius** : beneficiatus seu capellanus non tenetur ultra eleemosynarum numerum missas celebrare. Si **posterius** : ad numerum in fundatione praefixum, tenetur, nisi a legitima potestate *reductionem* obtinuerit.

Scholion 1. Missarum **Reductio**, hodie, a Sede Apostolica tantum, non autem ab episcopo, fieri potest, nisi ipse fundator expresse hanc facultatem episcopo tribuerit. Constat ex decreto S. C. C. « *Cum saepe contingat* » jussu Urb. VIII (21 Jun. 1625) edito et confirmato ab Innoc. XII Const. « *Nuper* » (23 Dec. 1697), quae integra reperitur apud Ferraris et Lacroix (VI, 63 seqq.). Porro haec **reductio** conceditur a S. C. C., dummodo adsit justa causa, uti v. g. ex S. Lig. (VI, 331) « paucitas sacerdotum, stipendii tenuitas, vel augmentum stipendii currentis, extenuatio

redituum monasterii vel majores expensae necessariae ad victum, etc.; denique si urgeat necessitas fratrum vel fabricae ecclesiae aut monasterii. »

Scholion 2. Similiter missarum **Condonationes**, i. e. remissiones missarum non celebratarum, quae ab aliquibus dicuntur REDUCTIONES missarum, « *sed minus recte, et omnino improprie*, » ut ait BENED. XIV (*de syn.* l. XIII, cap. ult. n. 15), « *cum praeteritum tempus solummodo respiciant*, » ubi e contra REDUCTIO futurum tempus respicit, non ab episcopo, sed solum a Sede Apostolica fieri possunt. Porro hujusmodi **condonationes**, teste BENED. XIV (l. c.), « *frequentius* » fiunt per organum S. C. FABRICAE S. PETRI, perpensis tamen prius omissionum causis aliisque circumstantiis, quae easdem concedi flagitant vel denegari. Interim non aliter conceduntur, quam congruum per oratores missarum numerum ab aliquibus capellanis huic muneri destinatis in vaticana basilica celebrari faciendo, modicamque eleemosynam, quae **compositio** dicitur, persolvendo, praeter reliqua opera pia juxta facti circumstantias iis imponendo, qui *condonationes* postularunt; quarum insuper rescripta, ut omnibus fraudibus occurratur, sequenti clausula debent esse munita juxta Const. « *Nuper* » INNOC. XII : « *Monitos esse voluit Sanctitas sua, condonationes et reductiones ab eadem Sede nonnisi ex rationabili causa seu aequa commiseratione, compositiones vero a dicta Fabrica, utente suis facultatibus et privilegiis, nonnisi ex causa pariter rationabili et cum clausulis opportunis, et praesertim cum illa :* DUMMODO MALITIOSE NON OMISERINT, ANIMO HABENDI COMPOSITIONEM, ALIAS GRATIA NULLO MODO SUFFRAGETUR. » De his egi in op. « *Synopsis S. R. E. Card. Congregationum.* »

Q. 111. Dic : 1°) *quo titulo* et 2°) *quantum* liceat accipere STIPENDIUM pro missa?

R. Ad 1^{um}) Ex S THOM. (2. 2. q. 100, a. 2 ad 2) licitum est acceptare stipendium deque eo modeste convenire pro celebratione missae : non per modum *pretii* pro missa aut labore *intrinseco*, sed titulo stipendii ad *sustentationem* celebrantis et pro labore *extrinseco* ; idque licet sacerdos aliunde sit dives, immo ita foret dispositus, ut non celebraret, si non haberet stipendium : quia illicitum non est ordinare rem spiri-

tualem, etiam *principaliter*, ad finem temporalem honestum; quamvis perfectius sit, ita non agere (tom. 2, pag. 414 seq.).

R. Ad 2^um^) Licet accipere stipendium *justum*, i. e. quod legitima consuetudine aut lege est taxatum. Nihilominus sacerdos, sicut ex charitate aut amicitia stipendium *minus* exigere potest, nisi hoc ab Ordinario *expresse* sit prohibitum; imo sine ullo stipendio celebrandi onus in se suscipere; sic pariter *majus* recipere fas est, sive ratione laboris extrinseci, ut si mane serius celebrandum sit, vel iter longum instituendum; sive dum gratis ex liberalitate datur. Nec potest episcopus prohibere, ne laici pinguius stipendium taxae solvant sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus, aut ne iidem sacerdotes illud acceptent a sponte dantibus, ut declaravit S. C. C. (16 Jan. 1649).

Q. 112. An sacerdos, *largiori* STIPENDIO *accepto*, possit missam alteri committere *retenta sibi parte* STIPENDII?

R. *Negative*, per se loquendo.

Explanatur. Constat ex decreto URBANI VIII « *Cum saepe contingat*, » edito a S. C. C. (21 Jun. 1625) et confirmato ab INNOC. XII Const. « *Nuper* » (23 Dec. 1697). Item ex propositione damnata ab ALEX. VII sub n. 9 : « *Post decretum* URBANI *potest sacerdos, cui missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* » Idem prohibuit BENED. XIV. Const. « *Quanta cura* » (30 Jun. 1741). Unde qui hanc prohibitionem transgreditur, *peccat mortaliter* et ad *restitutionem* tenetur, ut declaravit S. C. C. (5 Jul. 1664). Idque, per se loquendo, verum est, non tantum de missis *manualibus* seu *adventitiis* (pro quibus nempe stipendium traditur absque eo quod fundus aut onus in futurum constituatur); sed etiam de missis *fundatis* seu *perpetuis* (quae vel perpetuo vel ad longum tempus sunt celebrandae et pro quibus idcirco vel fundus vel capitale relinquitur), sive *lectis* sive *cantatis*, uti constat ex S. C. C. (22 Aug. 1874).— Quae *restitutio* potius *celebranti* quam *danti* eleemosynam facienda videtur, ut, teste S. LIG. (VI, 322), « *communius et probabilius* » censent DD. : quia translato in celebrantem onere, etiam jus ad integrum stipendium juxta voluntatem domini trans-

fertur.—Dixi bis : **per se loquendo** ; nam excipe : 1°) **Si missa cohaereat beneficio.** Quare satis est, ut rector beneficii tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem civitatis vel provinciae, in supposito tamen quod ipsi liberum sit per alium celebrare, uti constat ex Const. cit. « *Nuper* » Innoc. XII. Et quod dicitur de *beneficiato*, varii cum S. Lig. (VI, 321) extendunt ad capellanum amovibilem, « *modo pro capellania certi reditus sint annuatim constituti et perpetuo capellano assignati ; secus vero, si hujusmodi capellano pro qualibet missa celebranda certa detur eleemosyna,* » ut dicitur in decreto S. C. C. (15 Mart. 1745). 2°) **Si missa competat parocho ex jure stolae,** v. g. in justis funerum, in nuptiarum benedictionibus ; aut **pro parte locum teneat congruae parochialis,** ut si morali certitudine constet in missis fundatis, sive lectis, sive cantatis, pinguius stipendium assignatum fuisse pro congrua sustentatione parochi. De utroque constat ex S. C. C. (22 Aug. 1874). Hinc si parochus per suum vicarium celebret missam exsequialem, nuptialem, aut anniversarium fundatum et constet excessum communis eleemosynae oblatum fuisse in gratiam parochi, sufficit, ut ipsi det stipendium ordinarium loci, sive pro missis lectis, sive cantatis. Si de hoc non constaret, anniversaria ad jura stolae nullatenus pertinent, ut constat ex variis decisionibus ap. N. R. T. (VIII, 555 seqq.) 3°) **Si excessus stipendii traditus fuerit intuitu personae,** ratione amicitiae, paupertatis, gratitudinis, consanguinitatis, etc., idque sive *explicite*, sive *implicite*, ut si stipendium notabiliter excedat id quod communiter dari solet, v. g. si tibi erogentur 5 franci pro missa privata, dum pro tali missa in regione tua stipendium unius franci summulam nunquam superat. 4°) **Si alter sacerdos** sponte prorsus, proprio motu ac liberaliter, atque ideo **non rogatus, excessum remiserit.** Quamvis enim RR. PP., ut refert Bened. XIV, Const. cit. « *Quanta cura* » prohibuerint, ne quis partem stipendii retineret, etsi celebraturus in retentionem consentiret, id tamen videtur intelligendum de consentiente non omnino sponte et libere, sed cum aliquo involuntario admixto. Sicut enim, non obstante illa prohibitione, celebrans potest totum stipendium liberaliter remittere, potest a fortiori partem ejus. « Quia tamen, ait Bull., regulariter contingit quod illa partis con-

donatio non sit omnino et plene spontanea, pauci sunt enim qui, si possint accipere integrum stipendium, partem alteri non remitterent; sed remittunt, quia vident hanc esse voluntatem conferentis et timent ne alioquin ad alios nunc aut in posterum deferat et ipsi careant, merito ex communiter accidentibus hanc praxim prohibuerunt summi Pontifices, neque puto tutum in conscientia qui illam usurparet, nisi quando ipsi certo constat de pleno, spontaneo et libero consensu alterius, ut si v. g. sincere offerat et conferat stipendium integrum, alter autem motu proprio ex gratitudine partem remittat. »

Q. 113. An *administratores* ecclesiarum ex eleemosynis ad missam datis possint aliquid *detrahere* pro EXPENSIS altarium, luminum, vini, etc.?

R. *Sub distinctione*

Explanatur. Vel agitur de missis **manualibus** seu **adventitiis**, vel de **perpetuis fundationibus**.—Si **primum** : *negative*, nisi ecclesiae alios ad id reditus non habeant, uti constat ex Const. cit. « *Nuper* » INNOC. XII, § 22; vel alii sacerdotes, quibus ipsi ecclesiarum rectores non tenentur utensilia ministrare, alias missas in eis celebrare velint, uti constat ex S. C. C. (6 Jul. 1726). Sed « *tunc portio retenta non debet excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet sacrificio necessario sunt subeundae, et nihilominus eo etiam casu curandum est, ut ex pecuniis quae supersunt, expensis deductis, absolute tot missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas*, » ut legitur in Const. « NUPER » (l. c.). —Si **secundum** : *affirmative*, quia aequum est, ut aliquid percipiant pro administratione et conservatione fundationum. Cfr. N. R. T. (I, 521 seqq.; VI, 558 seq.).

Q. 114. An, habens sacra *ad duos francos*, possit dicere alteri : adjuva me, postea adjuvabo te, *nihil ei supplendo*, in supposito, quod alter tantum habeat sacra *ad unum francum?*

R. *Affirmative* per se, juxta communissimam piorum sacerdotum praxim, cui cum BILL. suffragantur TT. Mechl. : quia hoc non est retinere partem pretii, sed tantum permutare missas et dies.

Explanatur. Dixi : **per se** ; nam *per accidens* ob circumstantias id foret increpandum, ut si quis pinguia conquireret stipendia, intendens ea praedicto modo partim solvenda committere alteri, quem, utpote stipendiis carentem, novit ad id onus acceptandum paratum, ne sine stipendio celebrare cogatur.

Q. 115. An licitum sit, *merces*, *diaria*, *libros*, etc., cum missarum applicatione *permutare?*

R. *Affirmative* per se. Hinc licet scriptoribus librorum vel ephemeridum moderatoribus, quibus hujus rei causa missae *sponte* traduntur, sua diaria aut libros sic distrahere, — et sacerdotibus ea comparare. Nec potest episcopus hoc vetare, ut declaravit S. C. C. (24 Apr. et 30 Aug. 1875).

Explanatur. Dixi : **per se** ; nam *per accidens* id non liceret : **1°**) Si pretium rerum quae dantur non aequivaleat pecuniae pro missis acceptae. **2°**) Si permutatio non fieret sponte ac libere. **3°**) Si ex hac agendi ratione oriantur incommoda, puta : quod missae diutius, quam par est, *differantur ;* quod *negotiationis* vel *turpis lucri* species interveniat, aut studiosa praecesserit stipendiorum *collectio*. Quocirca notandum est, vetitum esse, sub poena **excommunicationis** R. Pontifici simpliciter reservatae colligere eleemosynas majoris pretii pro missis easque celebrari facere pro minori pretio, ut latius explicabitur in Annot. in Const. « *Apostolicae Sedis* » (in fine tom. 4). — Praeterea nuper (25 Maii 1895) ex S. C. C. Decretum prodiit « *de abusibus circa Missarum eleemosynas reprimendis* » ap. N. R. T. (XXV, 354 seq.) in quo **poenis gravissimis** plectuntur : tum « *bibliopolae vel mercatores qui adhibitis publicis invitamentis et praemiis vel alio quocumque modo missarum eleemosynas colligunt vel colligere faciunt et sacerdotibus quibus eas celebrandas committunt non pecuniam, sed libros aliasve merces rependunt ;* » tum hujusmodi agendi rationi cooperantes « *sive missarum eleemosynas colligentibus tradendo, sive onus missas celebrandi acceptando.* » De quibus poenis latius dicetur in Annot. in Const. « *Apost. Sedis* » (l. c.)

Q. 116. *An* peccet *mortaliter :* 1°) qui *unum* sacrum culpabiliter omittat, etiamsi stipendium pro illo acceptum non sit

materia gravis; 2°) qui *differat* sacra pro quibus stipendium accepit?

R. Ad 1um) *Controvertitur.*

Explanatur. Alii **affirmant** cum Tourn., Henno, Lacroix, etc.: quia, omittendo vel unam missam, alteri damnum grave spirituale infertur, eum privando magno bono spirituali, scilicet fructu sacrificii. Et haec sententia a S. Lig. (VI, 317) vocatur « probabilior. » Alii **negant** cum Billuart, Herinckx, Spor., Palao, Elbel, etc., damnum ex quantitate stipendii existimantes : foret enim irrationabile, si quis alterum levi stipendio vellet obligare graviter. Aliunde si gravitas peccati deberet aestimari ex eo quod bonum sacrificii praestet quolibet bono temporali, sequeretur quod is qui simile stipendium pro qualibet oratione accepisset, peccaret mortaliter eam omittendo. « Neque, ait Bill., simile est de sacrificio debito ex *voto* vel *juramento;* quia in hoc casu gravitas materiae definitur ex cultu qui exhibetur Deo per sacrificium; est autem gravissimus cultus etiam per unum sacrificium Deo exhibitus, adeoque gravis materia. » Et haec sententia est saltem extrinsece probabilis. — Interim **in praxi** curandum est, ne ulla omnino missa, pro qua stipendium acceptum fuit, voluntarie omittatur, cum intercesserit contractus innominatus : *do, ut facias;* aliunde ut minus *dubium* est, an non sit mortale hoc pactum non servare.

R. Ad 2um) *Regulariter* loquendo, peccat mortaliter, qui non celebraverit *intra tempus* explicite vel implicite *definitum;* et, si nullum definitum sit, « *intra modicum tempus,* » ut constat ex Innoc. XII, Const. cit. : « *Nuper.* »

Explanatur. Quodnam sit illud « **modicum tempus** », non una est DD. sententia. Alii intelligunt *unum mensem*, innixi declarationi S. C. C. (17 Jul. 1655), quae, teste Bened. XIV (*Inst.* LVI, n. 14), ad **dubium** : « *An dictum* modicum tempus *celebrandi missam reputetur tempus* duorum *vel* trium *mensium?* » **respondit** : « Modicum tempus *intelligi* infra mensem. » Alii *distinguunt* : si agatur *de defunctis*, maxime de *recenter* defunctis, dilationem *ultra mensem* gravem reputant, et « *merito* » juxta S. Lig. (VI, 317); si vero agatur *de vivis*, spatium etiam *duorum mensium* dicunt esse modi-

cum, idque « *probabile videtur*, » ait S. Lig. (*ibid.*). Alii, absque distinctione, *duos menses* concedunt ad missas exonerandas, si nullo modo, neque *explicite*, neque *implicite*, dans stipendia tempus determinaverit, idque communiter esse receptum, declarat Card. Gousset (II, 299) : « *Si, comme il arrive assez souvent, celui qui a donné des honoraires n'a pas fait connaître son intention, s'il n'a fixé aucun terme pour l'acquittement des messes*, IL EST COMMUNÉMENT REÇU *qu'on peut prendre* DEUX MOIS *pour les acquitter*. » Ulteriorem vero dilationem gravem reputant Henno aliique. Et hanc communem sententiam, quam probabilem censet Bill., *practice tutam* existimo, si agatur *de singulis sacerdotibus* quibus celebratio committatur. Quod confirmatur ex Stat. dioec. Mechl., n. 332, ubi dicitur : « *Caveant* SACERDOTES, *ne majorem missarum celebrandarum numerum accipiant quam* INTRA DUOS *menses exonerare possint, nisi qui stipendia confert, praemonitus fuerit, et in longiorem dilationem omnino sponte sua consentiat.* » Si vero agatur *de ecclesiis vel sanctuariis*, quae aliis missarum oneribus gravantur, dicendum videtur ex Const. « *Nuper* » Innoc. XII, eas non posse nova onera missarum celebrandarum suscipere, nisi « *infra modicum tempus* » possint omnibus satisfacere, i. e. « *infra mensem* » juxta declarationem S. C. C. (17 Jul. 1655) supra allatam. — « Fateor equidem cum Bill., duos menses vel etiam unum mensem non esse modicum, sed longissimum tempus animabus in Purgatorio patientibus; at si inde aestimandum foret modicum tempus, ne vel per unum diem possint sacrificia differri : iis enim animabus vel unus dies, imo una hora est tempus longissimum. Recurrendum est itaque ad aliud, scilicet ad jus et ad voluntatem dantium stipendia. »

Dixi in responsione : **regulariter**; nam admittitur latitudo major seu spatium majus, si dans stipendium in id consenserit, sive *explicite*, v. g. si sacerdos eum monuerit, se infra breve tempus missas celebrare non posse per se vel per alios; sive *implicite*, v. g. si magnus missarum numerus eidem sacerdoti simul tradatur; vel si tradens sciat sacerdotem ad multas alias missas celebrandas teneri, aut ipsum solere stipendia transmittere alio, pro missis v. g. in Gallia aut Romae exonerandis. E contra si stipendiorum magnus numerus tradatur communitati plurium sacerdotum, ordinarie praesumitur quod intentio sit, ut missae citius celebrentur,

quam si uni committerentur. Ex quo tamen non sequitur omnes istius communitatis sacerdotes hujusmodi missis exonerandis incumbere debere; qui enim stipendia tradit, facile supponere potest, quod communitas alias habeat obligationes; unde satis est quod distribuantur convenienti numero sacerdotum, qui illis celebrandis necessarium tempus impendant. Cfr. N. R. T. (V, 207 seqq.).

Resolvitur 1. Peccat mortaliter, qui diutius quam par est, differt missas : quia sicut peccat mortaliter diutius sine causa differens solutionem debiti temporalis, ex qua dilatione sequitur grave damnum creditori; ita similiter et a fortiori statuendum de debito spirituali. **Resol. 2.** Parum differendae sunt missae pro *recenter* defunctis; minus pro praesenti necessitate, v. g. *pro infirmo :* quia in utroque casu adest determinatio, si non explicita, saltem *implicita*, cum dans stipendia censeatur velle ut missae celerius celebrentur, nisi contrarium exprimat aut in dilationem consentiat. **Resol. 3.** Nihilominus, qui diutius, quam par est, missas distulerit, poterit adhuc eas celebrare, nec proinde stipendium restituere tenebitur, *si causa celebrationis adhuc permaneat*, velut si celebrandum fuerit pro defunctis; teneretur tamen ad compensationem pro damno ex tali dilatione secuto, sed ex bonis spiritualibus, illis et ipsis, quibus missa fuerat applicanda, pro illis orando, indulgentias lucrando, etc. Secus dicendum, *si causa defecerit*, ut si missa petita fuisset pro agonizante, qui vita decessit, aut pro felici exitu litis, et res jam decisa est. Eo itaque casu non potest postea supplere, nisi dans stipendium monitus consentiat, ut ad alium finem legat; sed debet stipendium reddere. **Resol. 4.** « Qui omisit missas stipendiatas, vel plures assumpsit, quam legere possit, debet reddere stipendia vel per alios legere; si stipendia consumpserit, nec habeat unde restituat, debet missas petere gratis ; si habere non possit, debet pro illis offerre bona opera, jejunia, orationes, missas audire et quotidianas offerre, quantum sine praejudicio aliorum fieri potest. » (Sass.). **Resol. 5.** « Si religiosus inveniretur post mortem reliquisse numerum missarum a se legendarum et neglectarum, *distinguendum est.* Vel enim assumpsit ipsas motu proprio et per se, et sic non tenetur superior curare, ut legantur, sicut nec solvere debita ab ipsis religiosis particulariter contracta. Vel assumpsit illas superior, et a religioso clanculo sunt

neglectae et sic certum videtur, quod superior teneatur curare earum persolutionem. » (Sass.) **Resol. 6.** Ne missarum stipendia nimium accumulentur, sapientissime in Const. « *Nuper* » Innoc. XII praecipitur ecclesiarum rectoribus et superioribus regularibus : tum ut in loco magis patenti et obvio retineatur tabella onerum perpetuorum et temporalium litteris perspicuis et intelligibilibus descriptorum ; tum ut duos libros retineant, ac in altero singula onera perpetua et temporalia ; in altero autem missas manuales earumque adimplementum annotent et singulis annis suis praelatis rationem reddant.

Q. 117. *An* et *quomodo* peccet, qui legit missam conformem officio, ubi petita fuerit : 1°) missa *in honorem alicujus Sancti* ; 2°) missa *pro defunctis?*

R. Ad utrumque *sub distinctione.*

Explanatur. Vel petita fuit sola missae **applicatio**, vel etiam **qualitas** missae, i. e. missa *votiva* seu *de requiem*. — Si **primum** : ut si, qui dedit stipendium, solum *in genere* petierit missam, sive in honorem alicujus sancti, sive pro defunctis, non intendens votivam missam aut missam de requiem, *nullo modo* peccat dicendo missam diei currentis etiam in ritu semiduplici. Constat ex litteris privatis S. R. C. (15 April, 1876). — Si **secundum** : tunc peccat per se *venialiter*, si rubricae permittant legi missam *votivam* vel *de requiem* intra tempus congruum aut assignatum. Cur autem in utroque casu *peccetur*, ratio est : quia sacerdos tenetur fidem servare praestanti stipendium ; cur vero in utroque casu per se non peccetur nisi *venialiter*, ratio est : quia idem est valor *essentialis*, cum missa eadem sit quoad substantiam. Nec obstat, quod, ubi petita fuerat *votiva*, in decreto S. R. C. (12 Sept. 1840) dicatur praefatus sacerdos *non satisfacere propriae obligationi*, dicendo missam de die, si rubricae permittant legi *votivam* intra tempus assignatum ; nam responderi potest, id intelligendum esse quoad valorem *accidentalem*, cujus defectus non videtur tam grave inferre praejudicium et peccatum. Dixi *: per se ;* nam graviter peccare posset, si ita agendo, stipendii datorem propter peculiarem causam graviter offensum iri praevideatur.

Scholion 1. « Est laudabilis consuetudo exigitque communis

animarum in Purgatorio miseria, ut pro iis in communi legatur missa in die **commemorationis omnium fidelium.** Potes tamen accepto stipendio pro particulari defuncto celebrare : cum enim non tenearis celebrare, nec teneris applicare. » (Sass.) Constat ex S. R. C. (4 Aug. 1663 et 2 Sept. 1741). Ibi enim dicitur : « *Sacrificia posse a sacerdotibus applicari ad libitum, scilicet vel pro omnibus defunctis vel pro aliquibus tantum.* »

Scholion 2. Mediante S. C. DE PROP. FID. (13 Oct. 1856) transmissa fuerunt ad S. R. C. sequentia **dubia** : 1°) *An liceat sacerdotibus uti paramentis* NIGRIS *et celebrare missam* DE REQUIEM *ut satisfaciant obligationi quam susceperunt celebrandi* SECUNDUM INTENTIONEM *dantis eleemosynam, quando prorsus ignorant* QUAENAM *sit illius* INTENTIO, *pro defunctis nec ne?* 2°) *An liceat sacerdotibus uti paramentis* NIGRIS *et celebrare missam* DE REQUIEM, *ut satisfaciant obligationi quam susceperunt* PRO VIVIS? Porro S. R. C. (29 Nov. 1856) **rescripsit** : Ad 1^{um}) *Affirmative.* Ad 2^{um}) *Affirmative, modo* NON DIVERSE *praescripserit, qui dedit eleemosynam.* Interim « *tolerandum minime* » esse censuit abusum de quo in precibus tunc oblatis, « *in festis nimirum semiduplicibus paramenta tantum nigra offerendi sacerdotibus celebraturis eosdemque hac ratione impediendi, quominus legere pro libitu possint missas vel festo respondentes, vel votivas juxta permissionem rubricae.* » Integras preces reperies apud *Revue cath.* (tom. 15, pag. 561).

Q. 118. An sacerdos, qui *binam* missam ex *privilegio* seu *dispensatione* legit, pro *secunda* stipendium accipere possit?

R. *Negative*, nisi Papa indulserit.

Explanatur. Quamvis nulla exstet *lex generalis* quae pro reiteratione missae stipendium prohibeat, facultas tamen *binandi*, si *privilegio* aut *dispensationi* innitatur, non aliter conceditur quam sub prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa, « *a quovis et sub quocumque respectu* », adeoque etiam etsi causae piae applicetur, uti constat ex resp. S. C. C. (11 Mart. 1863) ad arch. Coloniensen, nisi pontifex contrarium *indulserit*, qualia indulta, sub certis conditionibus et pro determinato tempore, nuperrime concessit Leo XIII : tum dioecesi *Namurcensi* (19 Nov. 1878) tum dioecesi *Tornacensi* (29 Nov. 1880), tum dioecesi Mechliniensi

(13 Dec. 1880), tum alibi.—Constat ex variis declarationibus S. C. C. (14 Oct. 1843; 25 Sept. 1858; 22 Febr. 1862; 21 Mart. 1863). — Quod vero *supplementum pensionis* attinet, quod plerumque *intuitu defatigationis* tribuitur sacerdoti binas missas celebranti, illud non habere rationem stipendii ipsa declaravit S. C. C. (23 Mart. 1861) hisce verbis : « *Posse permitti prudenti arbitrio episcopi aliquam remunerationem* INTUITU LABORIS ET INCOMMODI, *exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione missae.* » Praeterea parochus, qui in *una eademque parochia* bis eadem die celebrat, non tenetur utramque missam pro populo sibi commisso applicare, uti declaravit S. C. C. (24 Sept. 1858); sed secundam applicare potest pro sua devotione, vel pro suis defunctis, aut animabus in Purgatorio degentibus, aut etiam pro suffraganda confratris defuncti anima, adeoque ad exstinguendam obligationem quae solius charitatis est, ut constat ex S. C. C. (14 Sept. 1878 ; item 5 Mart. 1887 *in Vivarien*). — Ap. N. R. T. (XIX, 254 seqq.). — Dixi : **si privilegio aut dispensationi innitatur** ; unde sub praefata prohibitione non comprehenduntur Missae, quas celebrare licet in NAT. D. N. J. C. Ista enim iteratio conceditur non ex *privilegio* seu *dispensatione*, sed ex immemorabili consuetudine ; quare licet tria stipendia pro tribus missis acceptare. Cfr. N. R. T. (XVII, 116). Comprehenduntur vero duae missae quae ex concessione BENED. XIV Const. « *Quod expensis* » (26 Aug. 1748), in regnis Hispaniae et Lusitaniae, addendae permittuntur in die Commemorationis OO. FF. DD., nisi alicubi jam a retroactis temporibus usitatum fuerit, ut in hac die duae aut etiam tres missae celebrarentur.

Nota 1. Itaque, ut constat ex Const. cit : « *Quod expensis* », in regnis Hispaniarum et Lusitaniae in die Commemorationis OO. FF. DD. singulis sacerdotibus ibidem commorantibus tres celebrare missas concessum est. Cum autem in eo indulto BENED. XIV cautum fuerat, ut sacerdotes Aragoniae pro tertia missa, ceteri omnes aliarum regionum pro secunda et tertia nullam plane eleemosynam, sponte licet oblatam, assequi possent, postea exortum est **dubium** : « *An sacerdotibus comprehensis in Indulto, de quo agitur, prohibitum sit recipere pro prima missa die Comm.* OO. FF. DD. *eleemosynam majorem ea, quae a taxa synodali, seu a loci consuetu-*

dine praefinita fuerit, quamvis sponte oblatam in casu? » S. C. C. (2 Mart. 1861) **rescripsit** : *Affirmative.* »

Nota 2. Legitur in causa Lugdunensi : « *Plures episcopi in Galliis apostolicum obtinuerunt indultum cujus vigore parochi facultatem habent, certis diebus, quibus aliunde Missa pro populo dicenda foret, SS. Sacrificium ad intentionem stipendium dantis celebrandi ; ea tamen lege, ut illud stipendium ad episcopos mittatur, et pro piis operibus dioecesanis a S. Sede determinatis impendatur.* » Hinc propositum fuit **dubium** : « *An parochi misso ad episcopum stipendio a statutis dioecesanis taxato valeant sibi Missarum eleemosynae excessum retinere in casu?* » Cui dubio S.C.C.(31Jan.1880) **respondit** : Negative, *nisi morali certitudine constet excessum communis eleemosynae oblatum fuisse intuitu personae vel ob majorem laborem aut incommodum.* » Ap. N. R. T. (XII, 122-130). — Cfr. N. R. T. (XVII, 115 seqq.). Item (XXV, 20 seqq.).

Q. 119. An *obligatus* ex stipendio ad celebrandum in *altari privilegiato* pro defuncto, debeat legere missam *de requiem?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. *Affirm.*, si ritus id **permittit** : alias non lucratur indulgentias. Constat ex S. R C. (16 Febr. 1852) declarante : « *Ut fruatur altari privilegiato sacerdos, diebus non impeditis celebrare debet missam defunctorum et uti paramentis nigris vel ex rationabili causa violaceis.* » Quod approbavit Pius IX (2 Maii 1852). **Secus** *negative :* cum diebus, quibus prohibentur missae *de requiem*, etiam lucretur indulgentias, legendo missam diei, ut saepius declaratum fuit. Sic ad **dubium** : « *Utrum sacerdos celebrans in altari privilegiato, legendo missam de festo semiduplici, simplici, votivam, vel de feria non privilegiata, sive ratione expositionis SS. Sacramenti, sive stationis ecclesiae, vel alterius solemnitatis, fruatur privilegio ac si legeret missam de* Requiem *per rubricas eo die permissam?* » S. C. Indulg. (29 Febr. 1864) **respondit** : « *Affirmative*, et facto verbo cum Sanctissimo. » Quam sententiam Sanctitas Sua confirmavit (11 April. 1864).—Ceterum qui, accepto stipendio ad missam in altari privilegiato celebrandam, eamdem in alio altari *bona fide* celebravit, non debet restituere, sed teneretur

ad lucrandum aliquam indulgentiam plenariam defunctis applicabilem. Constat ex S. C. INDUL. (22 Febr. 1847). Si tamen stipendium majus ordinario ad hoc accepisset, excessum restituere deberet. Interim ante factum, sacerdos, qui ad altare privilegiatum celebrare debet, non potest satisfacere suae obligationi, applicando aliam indulgentiam plenariam, ut declaravit S. C. INDUL. (2 Maii 1852). Dixi : *ante factum;* unde patet : *praesens* decretum non opponi *praecedenti;* quod et declaravit S. C. INDUL. (24 Jul. 1885).

Nota 1. Sacerdos habens privilegium *personale* altaris privilegiati satisfacit oneri suscepto celebrandi in altari privilegiato, licet in altari celebret non privilegiato. Constat ex S. C. INDUL. (15 Mart. 1852).

Nota 2. In quaestione proposita dictum fuit : *pro defuncto;* idque merito factum est. Nam ad **dubium** : « *Utrum privilegium altaris, sive proprie dictum sive personale, applicari possit* PLURIBUS *defunctorum animabus in cujuscumque diei missa?* » S. C. INDUL. (29 Febr. 1864) **respondit** : « *Negative.* » — De indulgentia *altaris privilegiati* latius dicetur in TRACT. DE INDUL. (Q. 27-29).

CAP. 9. De tempore et loco celebrationis.

Q. 120. Dic : 1°) *Quibus* DIEBUS et 2°) *qua* HORA liceat celebrare?

R. Ad 1^um^) Ex S. THOM. (p. 3, q. 83, a. 2) *per se loquendo* licitum est *disposito* QUOTIDIE celebrare, imo laudabile est.

Explanatur. Patet responsio ex bonis, quae toti Ecclesiae et singulis fidelibus ex sacrificio proveniunt. Unde quoque S. ANDREAS, ut in ipsius officio legitur, gloriatus est in Domino dicens : « *Ego... immolo...* QUOTIDIE... *immaculatum Agnum in altari.* » — Dixi : **per se loquendo**, i. e. seclusa Ecclesiae prohibitione, ut in **interdicto** et in **triduo Sancto** (1). Et quidem in die **parasceves** penitus interdicitur celebrare. Constat ex Cap. « *Sabbato* » 13, dist. 3 *de consecr.* Ratio ex S. THOM. (p. 3, q. 83, a. 2 ad 2) est : quia illa die ipsa passio Domini recolitur prout *realiter* i. e. cruente gesta est, et ideo non repraesentatur *mystice*, seu incruente. Non tamen prohibitum est Eucharistiam infirmis administrare (pag. 47 seq.). Immo

(1) Circa functiones *Maj. Hebd.* vide Decreta S.R.C. (28-31 Jul. 1821 et 1 Febr. 1895) ap. N. R.T. (XXVII, 149 seqq), et R. T. FRANC. (I, 68 seq.).

juxta aliquos DD. quos citat Gobat nec improbat Sporer, quibus et novissime annumerandus est Lehmk., etiam licet eo die celebrare ad providendum infirmo, si alia hostia desit. Praeterea, dicunt Sass et Spor. ex Gobat : si parochus feria V in Coena Domini per oblivionem non reservasset hostiam majorem pro officio feriae VI, uti debet parva consecrata; si desit, curet, ut alius sacerdos privatim celebret de Passione vel Sancta Cruce, et duas hostias majores consecret; si alius haberi nequeat et timeatur inevitabile scandalum, parochus privatim celebret servato jejunio, et duas hostias consecret : quia praeceptum naturale de vitando scandalo praevalet utrique praecepto ecclesiastico. — **Feria V** et **Sabbato Sancto** generatim una tantum missa in eadem ecclesia celebrari licet. Dixi : *generatim;* nam excipe : 1°) si festum de praecepto, v. g. *S. Joseph* aut *Ann. B. M. V.* incidat in diem Coenae Domini, fas est, jussu et arbitrio episcopi, tot missas celebrare, quotquot erunt necessariae, ut teste Bened. XIV (*Instit. 38*, n. 10) declaravit S. R. C. (13 Sept. 1692 et 12 Sept. 1716). Quae missae tunc dicendae sunt de solemnitate diei cum *Gloria* et *Credo*, non autem de Festo, de quo nihil fit, ut constat ex S. R. C. (7 Sept. 1816). Si autem in sabbato sancto occurrat festum *Ann. B. M. V.*, tunc illud una cum praecepto audiendi missam et vacandi ab operibus, transfertur in feriam secundam post Dominicam *in Albis* ex S.R.C. (11 Mart. 1693). Excipe : 2°) Si in commodum *infirmorum*, episcopus concedat, ut in Coena Domini una missa privata, praeter solemnem, in eadem ecclesia celebretur. Constat ex S. R. C. (27 Mart. 1773). At in Sabbato Sancto missae privatae praeter unicam solemnem non permittuntur sine speciali indulto, ut pluries declaravit S. R. C. (26 Apr. 1692; 28 Jul. 1821; 22 Jul. 1848).

R. Ad 2^{um}) *Regulariter* loquendo, hora celebrandi, et quidem *sub gravi*, incipit ab aurora et terminatur in meridie.

Explanatur. « *Missa* privata... *quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest.* » Ita Rubr. Miss. (XV, 1), quae tempus magis praecise determinat quo missa *conventualis* celebranda sit. — Itaque *per se* non licet celebrare *ante* auroram, neque post *meridiem*, idque sub peccato ex genere suo *gravi*, uti constat ex Trid. (Sess. XXII, *Decr. de observ. et vit.*) ubi praecipit : « *Ut*

Ordinarii... edicto et poenis propositis caveant, ne sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent. » Interim aurora et meridies *moraliter* potius quam *mathematice* sunt considerandae, docentque graves DD., quos inter Bill., Spor., Sass., « ex communi sententia » posse missam inchoari duabus horis ante ortum solis, et sufficere missam ante meridiem esse inchoatam. Per *auroram* enim intelligunt crepusculum diei, quod est circiter per horam et mediam ante ortum solis. In regionibus vero, ubi aurora non habetur, tempus legitimum, quo missam inchoare liceat, reputandum est illud quo homines diluculo surgere solent ad opera juxta receptas et approbatas consuetudines. Ita S. R. C. (18 Sept. 1634). Ceterum, minus quam horam intervertere, est tantum *leve*, ut teste S. Lig., (VI,346) « communius et probabilius » censent DD.— Dixi: **regulariter**; nam dubium non est, quin liceat absque ullo peccato quandoque adhuc *citius* aut *serius* celebrare : — sive **1°**) ex **consuetudine rationabili,** v. g. ut opifices et famuli summo mane possint sacrum audire ; — sive **2°**) ex **privilegio** a Papa concesso, quo gaudent tum episcopi et cardinales, qui possunt una hora ante auroram adeoque tribus horis ante ortum solis et una post meridiem celebrare vel facere pro se celebrari ; tum regulares, uti alibi diximus (tom. 2, pag. 348) ; — sive **3°**) ex **dispensatione episcopi** ; et ne Regulares sint deterioris conditionis saecularibus, etiam abstrahendo a privilegio, possunt serius aut maturius celebrare, accedente auctoritate superioris, qui est eorum episcopus ; — sive **4°**) ex **dispositione Ecclesiae**, et sic in nocte Nat. D. licet unam solemnem missam celebrare statim post duodecimam ; attamen sine indulto apostolico, « *non licet in media nocte Nat. D. celebrare successive duas alias et communionem sacram exhibere,* » ut multoties (1) declaravit S. R. C. ; — sive tandem **5°**) ex **justa causa**, v. g. itineris, publicae supplicationis, funeris aut matrimonii alicujus magnati, concionis ; item propter confessiones audiendas, aut ne magna pars populi missa in die festo careat, quo casu licet missam etiam ad duas horas post meridiem differre ; et a fortiori ut morituro ministretur Viaticum, quo casu licet vel statim a media nocte sacrum obire.

Q. 121. Quoties in die liceat *celebrare?*

(1) 20 Apr. 1641 ; 7 Dec. 1641 ; 14 Nov. 1676 ; 23 Mart. 1686 ; 3 Dec. 1701 ; 28 April. 1703.

R. *Regulariter* non licet, nisi semel in die celebrare, idque sub gravi peccato.

Explanatur. Dico : **regulariter**; nam excipiuntur casus : **1°)** In die **Nativitatis Domini,** in quo, ut advertit S. Thom. (p. 3, q. 83, a. 2 ad 2), in honorem triplicis nativitatis Domini : *aeternae* ex Patre, *temporalis* ex Virgine, et *spiritualis* per gratiam in cordibus hominum, ter concessum est celebrare, quamvis ad hoc non obligentur sacerdotes, seposito scandalo, quod posset in pastoribus habere locum, sicut nec obligatur populus tres missas audire. Qui autem unicam celebraret, convenientius, juxta Gavantum, diceret tertiam, cujus oratio officio concordat. At ex S. R. C. (19 Jun. 1875) ap. N. R. T. (VIII, 35) : « *Sacerdos, qui unam tantum missam celebrat, legat missam quae respondeat circiter horae juxta Rubricas peculiares ejusdem diei;* » adeoque primam ante auroram ex privilegio; secundam, si in aurora; tertiam, si post auroram celebrat. Et ille, cui ratione infirmitatis aliave rationabili causa a S. Sede potestas facta est quotidie celebrandi missam votivam de Beata, non potest in festo Natalitio hanc missam ter celebrare, ut constat ex S. R. C. (28 April. 1866). Similiter in die **Commemorationis omnium fidelium defunctorum** omnibus sacerdotibus Hispaniae et Lusitaniae concessum est ter celebrare ex Indulto Bened. XIV « *Quod expensis* » (26 Aug. 1748), sic tamen ut duae missae pro omnibus defunctis celebrentur gratis juxta dicta (p. 138). — **2°)** Quando **moribundo praebendum est Viaticum,** nec habetur hostia consecrata : tunc enim licet secundo celebrare, et probabiliter etiam non jejuno (p. 78 seq.). — **3°)** Si **Ordinarius pluries celebrare permiserit,** dummodo id fiat : ex gravi causa seu ex aliqua necessitate, non vero ob solam consuetudinem, et alii sacerdotes penitus desint. Constat ex Bened. XIV Const. « *Declarasti* » (16 Mart. 1746) et *Instruct.* S. C. de Prop. Fid. (24 Mai 1870 . Necessitas hujusmodi haec est : ne *plures* amittant sacrum *die festo* de praecepto, adeoque id concedere potest : **A**) Si unus parochus duas dissitas parochias habeat, et ob locorum distantiam ad eamdem ecclesiam omnes se conferre non possint. **B**) Si in eadem parochia aliqua pars populi nimis distet ab ecclesia, et facile convenire possit in aliquod sacellum vel in aliam ecclesiam. **C**) Si integra populatio ob angustiam ecclesiae ad eamdem missam

confluere non valeat. — Qua vero distantia opus sit, quove numero fidelium, ut missa iterari possit, utrumque charitati et prudentiae Ordinariorum relictum est; et si uno circiter milliario distent, aut viginti sint qui alias Ecclesiae praecepto non satisfacerent, permittere poterit, immo debet, ut quis tot missas celebret quot necessariae sunt. Constat ex S. C. C. (12 Jan. 1847). At vero celebrantem, cum iterum celebret, jejunum esse oportet. — 4°) Immo, **etiam absque licentia Ordinarii**, poterit parochus bis in eadem die celebrare, in uno aut altero casu praesertim repentino, et in quo non facile pateat aditus ad episcopum, si aliunde certo adesse videatur sufficiens necessitas a jure requisita.

Q. 122. An BINANS *alio calice* uti possit?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. *Negative*, si utraque missa in **eadem ecclesia** offerri debet. *Affirmative* vero, si altera missa **in alia dissita ecclesia** celebratur. Quamvis enim in decreto S. R. C. (16 Sept 1815) praescriptum esset, ut unus tantum esset calix, quo uti debeat, qui duas celebret missas; «quum tamen, ut legitur in *Instr.* S. C. DE P. F. (24 Maii 1870) n. 19, ejusmodi decreti exsecutio haud levibus difficultatibus esset obnoxia, quando celebrari deberet in duabus ecclesiis ab invicem remotis,» eadem S. R. C. (12 Sept. 1857) pro moderamine dicti decreti rescripsit: « *Usum duorum calicum in casu posse permitti.* » Sed tunc sacerdos calicem, quo primo usus est, ita purificare debet juxta instructionem a S. R. C. (12 Sept. 1857) datam et a R. P. approbatam (11 Mart. 1858) quam sequens in compendium redigo: Primum sanguinem diligentissime sorbeat; dein, admoto aquae vasculo, digitos lavet; tum calicem de more cooperiat; completo ultimo evangelio, si quae divini sanguinis gutta in calice supersit, eum iterum ex eadem parte, qua primum, sorbeat, exque eo infusam subinde et circumactam aquam in vas demittat. Calicem deinde purificatorio abstergat, eoque de more cooperto, ab altari discedat. Tandem, depositis sacris vestibus et gratiarum actione completa, aqua demissa vel servetur, vel gossypio aut stupa absorpta comburatur, vel dimittatur in piscinam. Totam *Instructionem* reperies in *App.* ad RIT. ROM., ubi quoque inveniuntur ritus a sacerdote servandi cum utramque missam in eadem ecclesia offerre debet.

Q. 123. Per *quale* temporis SPATIUM missa lecta *durare* debeat ?

R. Cum BENED. XIV (*de Sacrif. Miss.* sect. 2, n. 217) : « *Ex unanimi scriptorum opinione ad tertiam horae partem saltem debet pertingere, neque horae dimidium excedere.* »

Resolvitur 1. Itaque ad minus debent 20 minuta impendi. Addit post alios S. LIG. (VI, 400) : « *Difficulter posse excusari a mortali sacerdotem, qui* INFRA QUADRANTEM *missam absolveret, etiamsi missa sit ex brevioribus, vel de S. Maria in Sabbato; quia tam brevi spatio necessario committere debet duos graves defectus : alterum gravis irreverentiae erga sacramentum; alterum gravis scandali erga populum.* » Hinc istud distichon :

UNO SI FUERIT BREVIOR TUA MISSA QUADRANTE,
MORTALIS CULPAE CREDERIS ESSE REUS.

In Soc. Jesu sacerdotes debent explere *dimidiam horam;* et quidem *ad altare*, i. e. a formatione crucis in introitu usque ad finem ultimi evangelii, ut declaravit MUTIUS VITELL. apud CROIX (VI, 559). Utinam ceteri sacerdotes, saltem ab amictu ad amictum, in sacro faciendo dimidiam horam expleant. **Resol. 2.** Uti observat EM. SA, a nonnullis non illepide scribitur : missam a sacerdote esse legendam cum **A. B. C. D** , i. e. ALTE, si quae alta voce efferri debent; BREVITER, seu ut habetur in RUBR. MISS., « *non admodum festinanter, ut advertere possit quae legit, nec nimis morose, ne audientes taedio afficiat;* » CLARE, seu distincte omnia pronuntiando; DEVOTE, seu attente, cum fervore et internis pietatis actibus. Quas particulas latius explicat GOBAT. Addit GAV. : missam debere celebrari etiam cum **E.**, i. e. EXACTE secundum Rubricas. Cfr. BENED. XIV (*Instit.* XXXIV).

Q. 124. In *quo* LOCO celebrare *liceat?*

R. De jure communi et ordinario, non licet celebrare, nisi in *ecclesiis* vel *oratoriis publicis* seu *quasi publicis*, ad cultum Dei deputatis, i. e. ab episcopo *consecratis*, aut ab

eodem vel altero de ejus licentia *benedictis*, modo haec loca non sint *interdicta*, vel *exsecrata* vel *polluta*.

Explanatur. Constat ex Trid. (Sess. XXII *Decret. de observ.*) et ex SS. CC. dispositione. Rationes **congruentiae** tradit S. Thom. (p. 3, q. 83, a. 3 ad 2), scilicet : « *tum ad repraesentandam sanctificationem, quam Ecclesia consecuta est per passionem Christi ; tum etiam ad significandam sanctitatem quae requiritur in his, qui hoc sacramentum suscipere debent.* » — Oratoria autem **publica** in stricto sensu sunt illa, quae publico cultui, i. e. omnium usui patent et in quibus soleat missa celebrari. Constat ex S. Poenit. (25 Jan. 1875) ; **quasi publica** habentur, quae exstant in domibus Episcoporum et Cardinalium S. R. E. ; quaeque in aedibus piis publicis exstant, utputa in Coenobiis, Seminariis, Collegiis, Domibus spiritualibus exercitiis addictis, carceribus, hospitalibus, laica etsi auctoritate dumtaxat erectis. Cetera dicuntur **privata** seu **domestica**. — Dixi : **de jure communi et ordinario**, i. e. seclusis **necessitate, permissu superiorum** aut **privilegio.**

Resolvitur. Hinc **A**) ratione **necessitatis**, licet celebrare, etiam sub dio aut tentorio : 1°) Si in castris vel ubi ecclesia est diruta, combusta, nimis exigua, magnus numerus fidelium missa careret diebus dominicis et festis de praecepto. 2°) Si sacerdos longam peregrinationem perageret per loca deserta vel apud infideles. Si tamen in his casibus Ordinarius adiri possit, licentia postulanda est. Hinc **B**) ex **indulto apostolico** licet celebrare : 1°) In *navi*, dum mare est tranquillum, et adest sacerdos vel diaconus ad tenendum calicem. 2°) In oratoriis *privatis* seu *domesticis*. Quod etiam episcopi permittere possunt per modum actus *transeuntis*, non quidem pro ipsorum arbitrio, sed ex justa necessitate, ut declaravit S. C. C. (25 Jan. 1847 et 20 Dec. 1856), v. g. tempore pestis, belli ; item, ut dari possit Viaticum, quod alias dari nequiret ; immo, juxta S. Lig. (VI, 359) et alios, aliis contradicentibus, durante alicujus infirmitate, praesertim sacerdotis. Hinc **C**) ex **privilegio**, propter eorum dignitatem, *Episcopi*, vel *titulares* tantum, eoque magis S. R. E. *Cardinales*, gaudent jure altaris *viatici*, et ita quidem ex concessione Leonis XIII, per rescriptum S. R. C. (8 Jun. 1896) ap. N. R. T. (XXVIII, 671), « *ut non solum ipsi in*

propriae habitationis oratoriis aut super ara portatili, ubicumque degant, missam facere aliamque in sui commodum permittere valeant; sed etiam fideles omnes alterutram ex eisdem missis audientes, quoties opus fuerit, praeceptum Ecclesiae adimpleant, contrariis non obstantibus quibuscumque. » Recole dicta tom. I, pag. 411.— Similiter possunt *Regulares*, saltem vi privilegii de novo concessi Patribus S. J. a Greg. XIII et Canonicis Regularibus Lateranensibus a Pio IV, missam celebrare in oratoriis a suis superioribus erectis, non tantum in suis monasteriis, sed et in villis suis, in quibus aliqui religiosi habitant, vel quas recreationis causa frequentant.— Utrum vero religiosi *mendicantes*, ac cum iis participantes, possint adhuc legere missas in cameris suis, dum quis gravi detentus infirmitate egredi non potest, DD. *disputant*. Alii *negant*, cum Innoc. XIII, cujus Constitutionem « *Apostolici muneris* » (3 Maii 1723) confirmavit Bened. XIII in prima sua Constitutione, videatur revocasse istud privilegium hisce quidem verbis : « *cumque circa Missarum celebrationem in privatis oratoriis a recolenda memoria* Clementis *Papae XI opportunum decretum promulgatum fuerit, Episcopi dent operam, ut omnia ibidem statuta serventur, addita etiam prohibitione, ne in privatis Regularium cellis seu cubilibus erigatur altare pro re sacra ibidem facienda et contra quoscumque contravenientes censuris ecclesiasticis procedant, dempta quacumque contraria consuetudine etiam immemoriali.* » Alii *Affirmant*, nec quidem improbabiliter, cum Innoc. XIII non faciat specialem mentionem de religiosis speciale privilegium habentibus. Cfr. Sass. *De Euch.* diss. V, q. VII. — In **praxi** melius est hoc privilegio (1) abstinere, cum ipsi Canonici Regulares Lateranenses (quibus a Pio IV elargitum fuit biennio post confirmationem Conc. Trid. et postquam Calend. Martii 1565 suppressa

(1) Hoc privilegium juxta constitutiones Can. Regul. Lateran. sic sonat. : « *Omnes tum Canonici, tum Conversi et Moniales, qui aegrotant in domibus regularibus nostris, possunt, si illis per Medicum aut Superiorem suum e cubiculis exire prohibitum fuerit, durante infirmitate tantum Missam in proprio cubiculo super altari portatili, in loco tamen decenti et honesto, per aliquem presbyterum per eos juxta suum libitum eligendum, celebrari facere illique interesse, et eam etiam in ipsorum cubiculis jacentes audire et communionem accipere.* »

declaraverat quaecumque privilegia Tridentinis constitutionibus adversa) eo abstineant.

Q. 125. *Quomodo* peccetur *celebrando* in ecclesia INTERDICTA, EXSECRATA vel POLLUTA?

R. Qui ibi scienter celebrat, *per se*, peccat graviter ob gravem prohibitionem; immo, si id faciat in ecclesia *interdicta*, incurrit irregularitatem ob violationem interdicti.

Explanatur. Dixi : **per se**; nam excipe, si fiat in casu justae necessitatis, v. g. ad Viaticum moribundo ministrandum; vel, extra casum interdicti, ne populus diu nimis debeat carere auditione sacri. Non ideo tamen censetur reconciliata ecclesia, quia in ea sacrificium celebratum fuit.

Q. 126. *Quandonam* POLLUATUR ecclesia?

R. Ecclesia (vel oratorium publicum seu quasi publicum) POLLUITUR seu VIOLATUR, quando in ea ponuntur quidam actus, qui ejus sanctitati graviter repugnant, modo hi actus sint : 1°) *notorii*, notorietate juris vel facti, ita ut nulla tergiversatione celari possint : quamdiu enim tales non sunt, ecclesia retinet bonam famam suam, ideoque non censetur VIOLARI; et 2°) fiant in loco *sacro stricte dicto*, non vero in sacristia aliisve cameris ecclesiae adhaerentibus, in campanili, supra fornicem, vel in oratorio privato, quamvis ibi dicatur missa.

Explanatur. Porro ex jure *polluitur* seu *violatur* per actus sequentes : 1°) per **homicidium voluntarium mortaliter injuriosum**; adeoque non per casuale, nec in defensionem vitae, aut ab amente vel simili commissum. Sufficit tamen, ut sit injuriosum ipsi sanctitati loci, et hinc, si judex reum suspenderet in ecclesia, haec violaretur, non vero, si quis extra muros ecclesiae suspenderetur. *Homidicii* autem appellatione et **suicidium** contineri, et **martyrium**, ambiguum non est. 2°) Per **effusionem sanguinis mortaliter injuriosam ex gravi vulnere causatam.** Hinc *non sufficit* : **A**) si tantum effluant aliquot guttae sanguinis, ex vulnere gravissimo licet; quia effusio dicit notabilem quantitatem; nec **B**) si percussio non sit mortalis, ut quandoque est in pueris rixantibus, se mutuo ad nasum percutientibus : debet

enim esse peccatum mortale externum; nec **C**) si vulnus leve licet effusio sanguinis copiosa; jura enim loquuntur de effusione ex vulnere; sed vulnus leve stricte non reputatur vulnus simpliciter. *Sufficit* tamen : **A**) si vulnus sit inflictum in ecclesia, licet extra moriatur vel sanguinem fundat. Item **B**) si foris exsistens, emissa v. g. glande, occidat aut vulneret exsistentem in ecclesia cum sanguinis effusione; non, si exsistens in ecclesia occidat foris exsistentem, licet vulneratus ecclesiam sit ingressus et ibi moriatur vel sanguinem fundat; quia, si vulneratus sit extra, non dicitur proprie sanguis fusus in ecclesia, etsi in illam vulneratus ingrediatur; seu actio effusiva non est posita in ecclesia. Item sufficit **C**) si sanguis decidat in vestes, licet pavimentum non tangat : quia est fusus in ecclesia. Item **D**) si vulnere in ecclesia accepto foras exeat : quia mors et effusio causata est in ecclesia. **3°**) Per **seminis humani effusionem**, si sit peccatum mortale sive fornicationis, sive tactus turpis; non vero, si per solam imaginationem causata sit : tunc enim non habet in esse externo causam voluntariam; probabilius etiam debet esse directe voluntaria; et ideo docent communiter DD., ecclesiam non violari per pollutionem, quae accidit in somno, quamvis forte fuerit culpabilis in causa. Quod ad actum conjugalem attinet, verius est, per hunc non violari ecclesiam, si conjuges cogantur manere in templo cum periculo incontinentiae (tom. I, pag. 247). **4°**) Per **sepulturam excommunicati vitandi**, licet signa poenitentiae dederit, si non fuerit rite absolutus; adeoque nec haeretici, etsi excommunicati, nec interdicti, etsi vitandi. **5°**) Per **sepulturam infidelis** seu **pagani** : quo nomine non continentur : sive **A**) *catechumeni*, ut habet communior sententia, quia inchoative sunt fideles et habent se veluti novitii ad religionem; sive **B**) *proles adhuc in utero matris clausa*, quia foetus non reputatur ut persona per se distincta, sed ut pars matris; sive **C**) *infantes ex christianis parentibus mortui sine baptismo*, ut multi volunt cum Pichler, quia pro ipsis parentes baptismum desiderare censentur, ac proinde veluti catechumeni considerari possunt. Verum quidem est, illos non posse in loco sacro sepeliri; sed inde non sequitur, per eorum sepulturam *pollui* ecclesiam aut coemeterium, cum jus, casus pollutionis determinans, de illis sileat.

Q. 127. *Quomodo* ecclesia *polluta* RECONCILIETUR?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Si fuerit tantum **benedicta,** reconciliari potest per sacerdotem ad hoc ab episcopo delegatum, juxta ritum praescriptum in RIT. ROM.; nec est necesse, ut aqua ab episcopo benedicatur, ut ait BENED. XIV (*De Syn.* lib. 13, c. 15). Immo, si res moram non patitur superiorem adeundi, potest procedere sacerdos de licentia praesumpta. 2°) Si fuerit **consecrata,** reconciliari debet ab ipso episcopo vel a sacerdote delegato a Papa seu habente privilegium pontificium, (quale privilegium habent Superiores Regularium pro suis ecclesiis,) sed cum aqua benedicta ab episcopo, nisi is distet duabus diaetis seu 14 horis, et juxta ritum PONTIFICALIS ROM. Si tamen non possent omitti divina officia sine gravi incommodo, episcopus, aliquo impedimento detentus, posset delegare sacerdotem ad ecclesiam benedicendam simplici benedictione, donec ipsemet eam consecrare possit.

Q. 128. Dic : 1°) *Quandonam* ecclesia EXSECRETUR, et 2°) *quodnam* sit *discrimen* inter POLLUTIONEM ecclesiae et ejus EXSECRATIONEM?

R. Ad 1^{um}) EXSECRATUR ecclesia, quum amittit suam benedictionem vel consecrationem; unde iterum benedicenda vel consecranda est, juxta ritum et formam praescriptam pro benedictione vel consecratione ecclesiarum.

Explanatur. Tunc autem ecclesia *consecrata* **exsecratur** : si 1°) ecclesia unica vice ita amplietur, ut pars nova major sit vetere remanente : quia major pars addita trahit ad se minorem; aut 2°) si parietes ex toto vel secundum majorem partem *simul* corruant vel destruantur.

Constat autem ex decreto S. C. RIT. (26 Jun. 1894) ap. N. R. T. (XXVII, 139) amissione *crustae* non exsecrari ecclesiam. Pariter ad **dubium** : « *Utrum Ecclesia, e cujus parietibus vel partim vel integre disjicitur simul incrustatio, vulgo intonaco* [revêtement], *ut renovetur, consecrata maneat vel exsecrata?* » S. C. RIT. (8 Jun. 1896) **respondit** : « *Ecclesia consecrata remanet, quamvis in ejus parietibus opus tectorium sit renovatum.* » Ap. N. R. T.

(XXVIII, 673). Neque EXSECRATUR, si tectum tantum corruat aut fornix superior immutetur : quia consecratio adhaeret parietibus in quibus fiunt cruces.

Ecclesia autem *benedicta* **exsecratur**, cum tota corruerit. Juxta multos tamen nova benedictione non indigeret, si postea eodem in loco reaedificetur : quia benedictio ipsum pavimentum seu solum respicit, quod idem manet, licet parietes destruantur. Sed alii hanc sententiam parum tutam existimant cum COLLET.

R. Ad 2^{um}) *Discrimen* in his duobus consistit.

Explanatur. 1°) Quod **pollutio** sit sanctitatis contaminatio, **exsecratio** autem sanctitatis amissio; seu, aliis verbis: *prima* respicit ecclesiam formalem; *secunda* ecclesiam materialem. 2°) Quod **polluta** ecclesiae parte, integra pollui censeatur ecclesia, etiam cum coemeterio adjacente tanquam accessorio, quod sequitur principale; et reconciliata ecclesia, reconcilietur coemeterium; non tamen econtra, i. e. polluto vel reconciliato solo coemeterio, non ideo pollui vel reconciliari censetur ecclesia. Ast **exsecrata** ecclesia, non ideo exsecratur coemeterium, nec altaria fixa et integra.

Q. 129. *Quaenam* sint observanda circa ORATORIA *privata* seu *domestica?*

R. Plura sunt observanda.

Explanatur. OBSERVETUR 1°) circa **dispositionem.** Exstruendum est in loco decenti et ornato, nec licet super illud cubiculum dormitorium habere, ne in seminariis quidem (S. R. C. 11 Maii 1641), nisi altari duplex immineat concameratio (S. R. C. 12 Sept. 1840) vel, ex consuetudine etiam Romae vigente, tentorium seu baldachinum superpositum sit; imo licet adsit baldachinum, removeatur, si fieri potest, custodia SS. Sacramenti (S. R. C. 12 Mart. 1836); quamvis subtus horrea quoque et cellae vinariae esse possint (S. C. C. in *Pisauren.* 23 Febr. 1710) ap. L. FERRAR. v. *Orat.* n. 92. Altare vero, si ligneum sit cum sacro lapide, parieti colligatum esse debet, ne portatilis imaginem praeseferat (S. R. C. 3 Dec. 1661); quamvis tamen tolerari possit, si tantum parieti adhaereat (S. LIG. VI, 424). Quae omnia in aestimatione Ordinarii esse debent, qui idcirco antea visitare illud et potest et debet (S. R. C. 6 Sept. 1616);

non item postea, nisi quid contra reverentiam loci postea contigerit. Ceterum, oratorium privatum, cum perpetuum non sit, benedici non debet forma in Rit. Rom. praescripta pro publicis oratoriis (S. R. C. 11 Mart. 1820); potest tamen, si placet, adhiberi benedictio *domus novae* vel *loci*.

Observetur 2°) circa **numerum missarum**. Nisi expresse in indulto concedatur licentia plures missas celebrandi, unica tantum dici potest sive a saecularibus, sive a regularibus (Clem. XI, Decr. « *Quoniam sancta* » 15 Dec. 1703 et Bened. XIV Const. « *Magno* » 2 Jun. 1751). Excipitur dies *Nativ. D.*, qua licebit tres missas celebrare, si pro hac die indultum missae celebrationem permittat (S. C. C. 13 Jan. 1725).

Observetur 3°) circa **dies celebrationis**. A licentia celebrandi excipi solent dies *solemniores*, quales sunt ex rescripto S. R. C. (10 April. 1896) ap. N. R. T. (XXVIII, 308) : « *qui describuntur in* Caeremoniali *Episcoporum*, lib. II, cap. XXXIV, n. 2, *et de* praecepto *servantur*. » Ibi autem describuntur dies festi sequentes : « *Nativitas Domini*, *Epiphania*, *Feria V in Coena Domini*, *Dominica Resurrectionis*, *Ascensio*, *Dominica Pentecostes*, *festa Imm. Conceptionis*, *Annuntiationis et Assumptionis B. M. V.*, *S. Joseph* (die 19 Mart.) *SS. Petri et Pauli*, *Omnium Sanctorum*, *Titularis Ecclesiae et Patroni*, *et Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis*. » (1) Si tamen indultum oratorii privati causa infirmitatis concedatur, nullus dies excipi solet.

Observetur 4°) circa **clausulas** inseri solitas, legendus est S. Lig. (III, 318). — Solet inseri clausula, vi cujus missa celebrari nequit, nisi praesente eo cui, vel aliquo ex his, quibus principaliter indultum concessum est, quales sunt, qui in fronte seu inscriptione Brevis nominantur, seu quibus in Brevis corpore expresse conceditur, ut possint facere celebrari. (Bened. XIV Const. « *Magno* » et S. C. C. 3 Dec. 1740). Quo praesente, missam audire quidem omnibus licet, satisfacere autem praecepto Ecclesiae eis tantum

(1) In regionibus ubi solemnitas festi transfertur in dominicam, prohibitio celebrandi missam in oratoriis privatis solummodo attingit solemnitatem. Ita ex decreto S. R. C. (6 Mart. 1896) *in Quebecen.* ap. N. R.T. (XXVIII, 297 seqq.). Confirmatur ex resp. S. R. C. (4 Dec. 1896) ap. Collat. Brug. (II, 238). — Cfr. R. T. Franc. (I, 434 seq.).

licet, qui in indulto comprehenduntur (tom I, pag. 422), i. e. quidus privilegium audiendi missam de praecepto in oratoriis privatis concessum est. Ex tenore autem consueto conceditur, praeter indultarium, consanguineis et affinibus qui de familia ejus sunt, i. e. cum eo convivunt; famulis quoque quorum servitio opus habet, dum interest sacro; ac demum hospiti, immo et ei qui accessit invitatus ad prandium (S. Lic. *l. c.*) non item ministro qui assistit celebranti, nisi forte alius desit qui inserviat. Uno tantum casu licet celebrare absente indultario, Viatici deferendi causa, si aliunde deferri non potest (S. R. C. 27 Aug. 1836).

Observetur 5°) circa **administrationem** aliorum sacramentorum. In oratorio privato non licet ministrare baptismum, nisi regum et principum filiis (tom. 2, pag. 462); neque poenitentiae sacramentum vel sacram communionem, nequidem intra missam, nisi de licentia episcopi (Bened. XIV, Const. « *Magno* »). Neque ibidem celebrare potest nisi sacerdos saecularis ab Ordinario loci vel regularis a suo Superiore approbatus. Non tamen licentia parochi indiget.

CAP. 7. De requisitis ad missam Ubi de altari, de sacris vasis, de vestibus et ministro inservienti.

Q. 130. *Quaenam* requirantur ex parte *altaris?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel loquimur de **ipso** altari, vel de **ornatu** altaris.— Si **primum** : ex Rubr. Miss. (XX, 1) requiritur «*altare* **lapideum** » ab episcopo consecratum, vel saltem « *ara* **lapidea,** » i. e. lapis ab episcopo consecratus, in altari insertus et tam amplus, « *ut hostiam et majorem partem calicis capiat.* » Unde, ad missam licite celebrandam, non oportet ut tota structura, quae e terra elevatur, *lapidea* sit; sed satis est, quod mensa aut illa pars mensae in qua calix et hostia ponuntur, et quae proprie *ara* vocatur, sit *lapidea.* Cur ita requiratur, rationem **congruentiae** tradit S. Thom. (p. 3, q. 83, a. 3 ad 5) dicendo : « *Quod quidem competit* significationi *hujus sacramenti, tum quia altare significat Christum; dicitur*

autem (1 Cor. X, 3) : Petra autem erat Christus; *tum etiam quia corpus Christi in sepulcro lapideo fuit reconditum. Competit etiam quoad* usum *sacramenti. Lapis enim et solidus est, et de facili potest inveniri ubique, quod non erat necessarium in veteri lege, ubi fiebat in uno loco altare.* » — **Duplex** autem distinguitur altare : unum *fixum*, quod a loco dimoveri non potest, sed basi suae immobiliter adhaeret, sive interim tota mensa lapidea sit consecrata, sive solum lapis consecratus seu ara, etiam amovibilis, mensae ligneae aut alterius materiae solidae insertus sit (S. C. I. 20 Maii 1846 et Pius IX, 26 Maii 1867); alterum *mobile*, quod est lapis separatim ab episcopo consecratus, qui de loco in locum transferri potest; vocatur etiam altare *portatile*, *itinerarium* seu *viaticum*. Si tamen altare *fixum* sumatur, non quidem per oppositionem ad altare quod transfertur, sed per oppositionem ad altare quod consecrationis solemnis est incapax, tunc *fixum* altare intelligitur illud, cujus mensa lapidea unico lapide constans et totam superficiem basis seu stipitis tegens, caemento unita est materialiter cum stipite lapideo cui imponitur, ita ut unum totum cum eo efficiat; et sacra unctione ab episcopo conjuncta fuit spiritualiter cum stipite, ita ut non tantum mensa sed et stipes simul seu integrum altare consecratum censeatur. (1) Absque ullo altari, sive *fixo*, sive *mobili*, celebrare prohibetur *sub gravi* et *in omni casu*, « nisi forte mortis, non tamen in contemptum religionis intentatae, » ait Bull. Nec potest amplius celebrari, si contingat illud *exsecrari*. Porro **exsecratur** altare, sive *fixum*, sive *portatile*, ipso *enormiter fracto* vel *scisso*, ita ut nulla integra parte ejus calix et patena consistere possint; non obstat autem levis fractura in uno vel altero cornu, nisi forte cornu illud fuerit avulsum (S. R. C. 3 Mart. 1821 et 6. Oct. 1837); item *amotis reliquiis;* nec sufficit eas reponere vel alias authenticas tumulari (S. R. C. 23 Mart. 1686); quin et *tantum fracto parvo illo lapide*, qui sigillum continet et claudit sepulchrum, i. e. loculum in quo reliquiae reconduntur (S. R. C. 23 Sept. 1848). Cfr. N. R. T. (XII, 609).

(1) Ad **dubium** : «*An altare, sive fixum sive portatile, enormiter fractum, sed firmiter coementatum, aut ex pluribus lapidibus efformatum valide ac licite consecrari possit?* » **Resp.** fuit : « Negative; *scilicet non potest altare, de quo fit mentio, valide ac licite consecrari.* » Ita S. R. C. (8 Jun. 1896) ap. N. R. T. (XXVIII, 673).

Praeterea altare quod integra mensa constat *exsecratur*, si remotum fuerit vel a structura seu basi cui mensa cohaeret, vel a columnis quibus fulcitur (S. R. C. 15 Maii 1819).

Si **secundm** : seu si loquamur de **ornatu** altaris, notentur sequentia. Ex Rubr. Miss. (l. c.) in altari, saltem sub levi, requiruntur : 1°) **Tres mappae** *seu tobaliae* ex lino aut teneri cannabe confectae, non autem ex alia quacumque materia (S. R. C. 15 Maii 1819), idque ob mysticam rationem, quia nempe linum seu byssinum candore suo designat puritatem et pietatem Christifidelium quos significant ipsae mappae altaris ; et debent esse ab episcopo vel alio habente potestatem benedictae. Sufficiunt tamen una separata et altera duplicata. Nullam adhibere foret grave, nisi in gravi necessitate, v. g. ad dandum Viaticum vel ut populus missam audiat die festo. Textum denticulatum adhiberi potest, non tamen in superficie altaris; nec licet illi submittere fundum rubrum alteriusve coloris (S. R. C. 17 Aug. 1858). — 2°) **Pallium,** quod et *antipendium* seu *frontale* dicitur, coloris, quoad fieri potest, diei festo vel officio convenientis, nisi ipsa structura altaris antipendio non indigeat, ut si ornata sit metallo, vel lapide pretioso, vel figuris aut per modum tumbae seu urnae sit confecta. Nullo autem jure benedictio *antipendii* requiritur. — 3°) **Crux in medio posita,** adeo magna, ut celebrans et populus eamdem facile et commode intueri possint, et quidem, de convenienti, *cum crucifixo*. Sufficit tamen, ut in altari sit magna crucifixi imago sive sculpta sive depicta (Bened. XIV Const. « *Accepimus* » 16 Jul. 1746 et S. R. C. 16 Jun. 1665). Reprobandus autem est abusus collocandi parvam crucem vix visibilem vel supra aliquam minorem tabulam sitam in medio altaris, loco crucis collocandae inter candelabra (S. R. C. 17 Sept. 1822). In altari vero in quo expositum est SS. Sacramentum, cujusque dioecesis consuetudo servanda est (S. R. C. 2 Sept. 1741). Cruces autem altarium seu processionum non sunt benedicendae de praecepto ; nihilominus potest simplex sacerdos eas benedicere private et non solemniter (S. R. C. 12 Jul. 1704) — 4°) **Duo lumina cerea.** Uti candelis *sebaceis* vel ex *oleo*, praeterquam in necessitate, grave est (S. Lig. VI, 394) ; (S. R. C. 7 Sept. 1850). Nec licitum est uti candelis ex *stearina* (S. R. C. 16 Sept. 1843) ; nec lumina, nisi cerea, vel supra mensam altaris,

vel eidem quomodocumque imminentia adhibeantur (S. R. C. 31 Mart. 1821), nec adhiberi potest super altari illuminatio ex **gaz** (S. R. C. 8 Mart. 1879), neque **lux electrica** (S. R. C. 4 Junii 1895). Celebrare sine ullo lumine, etiam in necessitate gravi, grave est (S. Lig. VI, 394) (1). Nihilominus luminibus exstinctis post consecrationem, licet prosequi ; immo Gobat, Sporer, Croix, idem juris esse putant, si utrumque lumen post offertorium exstinguatur. Istae *duae* candelae debent poni hinc inde in utroque latere crucis altaris, non vero extra altare, etiamsi illud fere tangant (S. R. C. 16 Sept. 1865), neque supra ipsam mensam altaris a latere missalis in cornu epistolae aut evangelii, ita ut in utroque crucis latere non collocarentur. Non est autem obligatio accendendi *tertiam* post *Sanctus*, ab elevatione scilicet usque ad communionem : « Sic enim hodie communis usus habet » ait S. Lig. (VI, 394) ; licet laudabiliter adhiberi valeat. Quod si adhibeatur, imponatur candelabro aliive instrumento convenienti et collocetur infra gradus altaris a parte epistolae circa locum, ubi genuflectit minister inserviens. Quid faciendum sit in missa solemni tradit N. R. T. (VIII, 550) *Quatuor* autem vel plures cerei accendi nequeunt in missa lecta cujuscumque sacerdotis episcopo inferioris, sive sit abbas vel praelatus qualiscumque dignitatis, adeoque etiamsi *usum quidem Pontificalium* haberet (S. R. C. 7 Aug. 1627 et Pius VII Const. « *Decet Romanos Pontifices* » 4 Jul. 1823), nisi celebretur coram exposito SS., aut sit missa conventualis, parochialis vel similis *in die solemni*, aut nisi legatur loco missae solemnis occasione alicujus celebritatis, aut si propter specialem honorem alicujus Sancti coram ejus imagine, in medio altaris collocata lumina plura ardeant ; verbo : exceptis cardinalibus et episcopis, non licet ceteris sacerdotibus in missa privata habere *quatuor* candelas accensas ratione *personalis cujusdam distinctionis ac praeeminentiae;* ratione vero alicujus *majoris solemnitatis* festi aut missae omnibus licet (S. R. C. 12 Sept. 1857).

Q. 131. *An* liceat *SS. Reliquias* ac *flores* super altare collocare?

(1) Hanc tamen facultatem quandoque S. Sedes concessit Missionariis, ut testatur S. R. C. (7 Sept. 1850).

R. *Affirm.*; et « *praescriptio* (23 SYN. PIST.) *vetans, ne super altaria sacrarum reliquiarum thecae floresque apponantur,* » damnata fuit a PIO VI, Const. « *Auctorem fidei* », ut « *temeraria, pio ac probato Ecclesiae mori injuriosa.* » Interim in ornando altare ratio *temporis* habenda est.

Resolvitur. Abstinendum est : **1°**) a *reliquiis* et *imaginibus* Sanctorum, praeter angelorum adorantium, collocandis durante **expositione publica** SS. Sacramenti (pag. 54) ; **2°**) a *reliquiis* et *imaginibus* toto tempore **Passionis** ; **3°**) a *floribus* tempore **Adventus** et **Quadragesimae** (Dominica III Adventus et IV Quadragesimae ac Festis occurrentibus exceptis, ut in festo S. Joseph et prima puerorum communione (S. R. C. 11 Maii 1878).

Q. 132. *Quaenam* requirantur ex parte INSTRUMENTORUM?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel loquimur de **Vasis SS.**, quae sunt *calix* et *patena ;* — vel de SS. Vasorum **accessoriis** seu paramentis, quae sunt *corporale, palla, purificatorium, velum* et *bursa ;*—vel de quibusdam **aliis instrumentis** a RUBR. MISS. praescriptis, quae sunt *Missale* cum *cussino, tabella* secretarum, *ampullae* cum *pelvicula* et *manutergio* et *parva campanula.*

Si **primum** : seu si quaestio sit de **SS. Vasis**, **1°**) Requiruntur, et quidem sub gravi, **calix et patena consecrati** ab episcopo vel ab habente privilegium. Et ita Abbates regulares, usum pontificalium habentes, possunt, supposito S. Sedis privilegio, *Vasa SS.*, et similiter *campanas*, pro suis ecclesiis, non autem pro aliis, consecrare. S. R. C. (16 Maii 1744) ap. GARDEL. n. 4159. — Quaestio est inter DD. agitata : *An* VASA SACRA *non benedicta seu consecrata et* JAM ADHIBITA, *sint deinde benedicenda seu consecranda?* **Negant** plures cum TAMBUR. et quidem « *probabiliter* » juxta BALL.-PALM. n. 334, hisque favet decretum S. R. C. (22 Sept. 1703) quo consecrationes et benedictiones ex delegatione episcopi invalide peractae jubentur reintegrari « *praterquam quoad vasa sacra jam adhibita.* » At sententia « *communior* » **affirmat** cum S. LIG. (VI, 380) qui censet ab ea non esse recedendum. — Hoc

certissimum est : **paramenta** non posse haberi uti benedicta eo ipso quo cum iis Missa fuerit celebrata. Constat ex decreto S. R. C. (31 Aug. 1867 n. 5385) ubi ad **dubium VIII** : « Reperitur apud Antonelli, *De reg. eccles. episc.* lib. I, c. 17 haec assertio : *Si sacerdos bona fide celebraverit cum vestimentis nondum benedictis poterunt alii sacerdotes cum iisdem rite celebrare, quia per primam celebrationem bona fide factam consecrata seu benedicta remanserunt.* Quaeritur an hoc in praxi sequi tuto liceat? » **Respondit** : *Negative.*

2°) Debent esse : vel ex **auro,** vel **argento,** saltem quoad cuppam, vel, cogente paupertate aut persecutione, possunt esse ex *stanno* (Bened. XIV Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742); non vero ex *aere* aut ex *aurichalco* : « *quia*, dicente S. Thom. (p. 3, q. 83, a. 3 ad 6) *ob vini virtutem aeruginem parit pariterque vomitum provocat;* » non ex *vitro* seu *lapide* : quia « *fragile est et posset fractionis periculum imminere;* » non ex *ligno* : quia « *porosum est et sanguis consecratus in eo remaneret.* » Imo, prohibentur calices ex metallo, aurichalco vel cupro confecti, etsi intus inaurati essent (S. R. C. 20 Mart. 1875). Ex decreto tamen Pii IX (6 Dec. 1866) permittuntur calices et patenae ex *aluminio* aliis metallis commixto, sed sub forma et conditionibus juxta *Instructionem* S. R. C. praefato decreto adnexam.—«At quamvis Rubricae requirant, quod cuppa et pars superior patenae sint deauratae, id tamen, ait Billuart, non requiri sub peccato, probat usus contrarius, saltem quando calix et patena sunt argentei. » Sed haec ratio, saltem hodie non videtur subsistere, cum undique hodie usus sit in contrarium, conformiter ad RR. PP. edicta. — Calix et patena **exsecrantur,** si notabiliter fracti fuerint, aut formam amiserint, ut si cuppa in fundo perforetur, aut separetur a pede, nisi hic tornatilis sit. Praeterea, quamvis consecratio non inaurationi, sed patenae aut calici inhaereat, atque ideo, deauratione absumpta, neutrum exsecretur, nihilominus nova inducta, nova consecratione opus esse, hodie definiti juris est (S. R. C. 14 Jun. 1845) ap. N. R. T. (VIII, 473).

Si **secundum** : seu si quaestio sit de SS. Vasorum **accessoriis** seu paramentis, requiritur : 1°) **corporale** ab episcopo vel alio habente facultatem *benedictum*, *mundum*, et ex *lino* vel *cannabe* confectum. S. R. C. (15 Maii 1819) ubi declarat : «*Sacra indu-*

menta ac supellectilia conficienda esse ex LINO *aut* CANNABE, *non autem ex alia quacumque materia, etsi munditie, candore, ac tenacitate linum aut cannabem aemulante et aequante.* » Unde quoque excluditur tela vulgo NIPIS seu NIPA nuncupata (S. R. C. 13 Aug. 1895) ap. N. R. T. (XXVIII, 429). — Sub gravi prohibetur celebrare sine corporali, vel cum corporali non benedicto, vel cum benedicto valde immundo, nisi necessitas celebrandi urgeat. — REQUIRITUR : 2°) **palla** similiter benedicta. An *sub gravi*, an *sub levi*? DD. *disputant*. Cum autem *palla* moraliter pars *corporalis* censeatur, quia primitus non erat ab eo distincta; ideo specialis benedictio pro ea non datur, sed eadem formula ac *corporale* benedici debet. In necessitate, *palla* deficiente, purificatorium aut bursa ad calicem operiendum adhiberi potest. Debet esse *ex lino* vel *cannabe* confecta, non autem ex alia quacumque materia (decr. cit.). Ad **dubium** : « *An in sacrificio missae uti possit* PALLA *a parte superiori* DRAPPO SERICO *cooperta?* S. R. C. (22 Jan. 1701) **respondit** : « *Negative.* » Ast circumfertur rescriptum (S. R. C. 10 Jan. 1852, in *Cenomanensi*), quod in authentica decretorum S. R. C. collectione non reperitur (sed apud *Anal. Jur. Pont.*), ex quo liceret uti palla panno serico cooperta et auro contexta, « *dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat et pannus superior non sit nigri coloris, aut referat aliqua mortis signa.* » — REQUIRITUR : 3°) **purificatorium** ex lino vel cannabe, non autem ex gossypio (S. R. C. 15 Maii 1819), cujus benedictio nullo jure statuitur (S. R. C. 7 Sept. 1816), sicut nec *veli*, nec *bursae*, nec *manutergii*. Imo si haberi non potest, licet celebrare sine eo, ejusque loco adhibere strophiolum mundum, quod postea ad profanum usum non adhibeatur (S. LIG. VI, 389). — REQUIRUNTUR : 4°) *velum* et *bursa*, quae ejusdem esse debent materiae ac coloris quam paramenta celebrantis.

Si **tertium** : seu si quaestio sit de *aliis* **instrumentis** a RUBR. Miss. praescriptis, REQUIRITUR : 1°) **missale**, et quidem sub gravi, nisi et gravis necessitas cogat, et celebrans constantissima memoria polleat (S. LIG. VI, 390). Dubium non est, sacerdoti penitus caeco illicitum esse celebrare sine speciali privilegio S. Sedis et assistentia sacerdotis, quae praescribi solet, quaeque etiam « *sub gravi* » observari debet, « *quamvis in decreto apposita non fuerit dicta*

obligatio » (S. R. C. 12 April. 1823). Indultarium vero, cui facta est potestas celebrandi missam votivam B. M. V. et DE REQUIEM, posse ad arbitrium semper celebrare missam votivam *de Beata*, definiti juris est (S. R. C. 12 April. 1823). In festo tamen N. D. non potest tres missas votivas *de Beata* celebrare, juxta dicta (pag. 143). *Quali* MISSALI utendum sit, dicetur postea (Q. 143). — REQUIRITUR : 2°) **cussinus** Missali supponendus. Hujus loco communiter adhibetur pulpitum. Decet autem, ut cussinus sit ex eodem serico ex quo cetera paramenta, aut pulpitum cooperiatur velo coloris missae convenientis, nisi sit argenteum aut affabre elaboratum. — REQUIRITUR : 3°) « **tabella secretarum,** » sic dicta : quia exhibet plures orationes, quae, exceptis *Gloria* et *Credo*, recitantur secreta voce. Ex RUBR. Miss. « *ad crucis pedem ponuntur ;* » i. e. supra mensam altaris in medio, vel contra crucem, vel contra gradum, vel contra tabernaculum, pro diversa constructione hujus partis superioris altaris. Duae aliae *tabellae minores*, una in cornu epistolae, altera in cornu evangelii, usu et commoditatis gratia fuerunt introductae. — REQUIRUNTUR : 4°) « **ampullae,** *cum pelvicula et manutergio mundo.* » Et quidem *ampullae* per se non debent esse aureae vel argenteae, nisi pro episcopo, sed « *vitreae.* » Interim toleranda est consuetudo adhibendi ampullas *aureas* vel *argenteas* (S. R. C. 28 April. 1866). Quod *parvum cochlear* attinet ad aquam in calicem effundendam, de eo mentionem facit BENED. XIV (*de sacrif. miss.* sect. 2, n. 81), sed RUBR. Miss. silet. At, ut antea monuimus (pag. 29) « *usum parvi cochlearis non esse prohibitum,* » definitum est (S. R. C. 6 Feb. 1858). — REQUIRITUR : 5°) **campanula,** cujus usus inservit : tum ut adstantibus, qui celebrantem videre et audire nequeunt, partes principaliores innotescant ; tum ut, teste BENED. XIV (*de sacrif. miss.* sect. 1, n. 204), hoc signo omnes excitentur ad devotionem et attentionem. Duae solae pulsationes in RUBR. praescribuntur : ad *Sanctus* et ad *Elevationem* SS. Sacramenti. Communiter tamen hisce in partibus etiam pulsari solet ad elevationem ante *Pater Noster* et ad *Domine non sum dignus ;* quod ultimum, ubi est consuetudo, tolerari potest (S. R. C. 14 Maii 1856); item ad initium missae, et alicubi etiam ad *Offertorium*. Omittenda est pulsatio, etiam ad elevationem, in missis privatis, quae celebrantur in altaribus lateralibus infra officium divinum in choro,

ne officium per genuflexiones interrumpatur (S. R. C. 5 Mart. 1667). Idem pro similibus occurrentibus casibus dici potest.

Scholion 1. Quod *SS. Vasorum* eorumque *paramentorum* **tactum** attinet, DICENDUM est : 1°) Extra casum necessitatis seu periculum profationis, *calicem* et *patenam* tangere, dum *actu continent* SS. Sacramentum, nulli licet, citra culpam gravem, praeterquam sacerdoti aut diacono; dum autem illud actu non continent seu sint *vacua*, licet etiam subdiaconis. Consuetudo tolerata pro clericis in minoribus Ordinibus constitutis, aut tonsuratis, apud nos non exsistit. Teste BILL., « regulares mendicantes ex suis privilegiis habent, ut omnes ex suis, etiam laici, qui ex superiorum deputatione sacristae officio funguntur in suis ecclesiis, omnia sacra vasa *vacua* licite tangere possint, et talis est praxis. » — DICENDUM est : 2°) *corporale*, *pallam* et *purificatorium* post usum in missae celebratione licet tangere solis sacerdotibus, diaconis et subdiaconis, et priusquam lavanda aut reficienda tradantur, ab eis ter ablui debent aqua munda, quae in sacrarium projicitur. Ad **dubium** : « *Utrum* MONIALES *seu* PIAE FEMINAE *vitam communem sub regula degentes possint* CUM LICENTIA ORDINARII *abluere* CORPORALIA, PALLAS *et* PURIFICATORIA? » **respondit** S. R. C. (12 Sept. 1857) ap. N. R. T. (X, 223) : « *Negative.* » Ante usum vero et post lotionem a laicis tangi ulterius, lavari et refici possunt. — *Velum* et *bursam* tangere omnibus licet.

Scholion 2. Inter SS. VASA, praeter *calicem* et *patenam*, quae ad missae sacrificium adhibentur, **numerantur** et alia, quae inserviunt ad SS. Eucharistiam asservandam : sive pro usu fidelium eam suscipientium, ut sunt *ciborium*, pro communione fidelium in ecclesia; *pyxis* pro delatione SS. S. ad infirmos; *parva custodia*, pro ejusdem delatione ad infirmos procul exsistentes; sive pro expositione SS. S. adorationi fidelium, ut sunt *ostensorium* cum *lunula*, et *custodia* seu *repositorium*, in quo S. Hostia in tabernaculo asservatur, ubi ipsum ostensorium in tabernaculo non includitur. (1) Horum vasorum non requiritur **consecratio**. Si tamen

(1) Usus recens S. Hostiam quae in Ostensorio exponenda est recondendi intra duo crystalla apte cohaerentia, approbatur « *dummodo S. Hostia in dictis crystallis bene sit clausa atque crystalla non tangat.* » S. R. C. (14 Jan. 1898) ap. R. T. FRANC. (III. 205).

ostensorium excipias, haec omnia **benedici** debent ab episcopo vel alio facultatem habente, et quidem formula quae inscribitur in Rit. Rom. : « *Benedictio tabernaculi seu vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda.* » Ipsum autem *ostensorium* laudabiliter quoque benedicitur, vel eadem benedictione, vel speciali quae reperitur in *App.* ad Rit. Rom.—**Amittunt** autem suam benedictionem in iisdem casibus, in quibus calix et patena amittunt suam consecrationem. Porro vasa sacra quae, licet tantum sint benedicta, immediate tangunt SS. S., ut sunt *ciborium*, *pyxis*, *custodia*, *lunula*, *repositorium*, post usum nuda manu tangere licet sacerdoti, diacono, subdiacono; non vero clericis in minoribus, nisi contraria vigeat consuetudo. *Ostensorium*, quod sacras species immediate non attingit, post usum etiam laicis tangere licet; decet tamen, ut a tactu abstineant, cum sacrae particulae in ostensorio facile decidere possint.

Scholion 3. Quod significationes **mysticas** attinet, uti post Nat. Alex. aliosque observat Bened. XIV (*de sacrif. miss.* sect. 1, n. 31), calix sepulchrum novum significat, in quo Christus sepultus est; patena lapidem revolutum ad ostium monumenti; corporale sindonem mundam exprimit, qua Joseph ab Arimathaea corpus Christi involvit. Concinit S. Thom. (p. 3, q. 83 a. 3 ad 7). Hinc distichon illud :

> Ara crucis, tumulique calix, lapidisque patena,
> Sindonis officium candida bissus habet.

Sunt, qui reliquis altaris instrumentis significationes *mysticas* excogitarunt, de quibus plerumque veteres scriptores tacent.

Q. 133. *Quid* dicendum de sacris vestibus?

R. De *SS. Vestibus* dicemus : 1°) quoad earum *numerum* et *ordinem* quo assumi debent; 2°) quoad earum *benedictionem* et *exsecrationem*; 3°) quoad earum *materiam*, *colorem* et *formam*; 4°) quoad earum *significationem*.

Explanatur. 1°) Quod numerum et ordinem attinet, sacrae vestes requisitae ad sacrificium sunt : amictus, alba, cingulum, manipulus, stola et planeta seu casula. Non uti aliqua ex vestibus minoribus, puta amictu, cingulo, manipulo, probabiliter juxta plures *leve* est; et si subsit aliqua justa causa celebrandi, uti fervor devotionis,

NE LEVE quidem. Non uti STOLA, quod est maximum ornamentum sacerdotale, nisi in gravi; ALBA aut CASULA, nisi in gravissima necessitate et remoto scandalo, *mortale* est. At sine ullis vestibus celebrare regulariter nunquam licet, nisi forte, juxta BILL., in casu mortis non intentatae in contemptum religionis.

2°) Quod **benedictionem** et **exsecrationem** attinet, hujusmodi vestes debent esse *benedictae* ab episcopo vel alio habente facultatem, qualem ex privilegio pontificio habent Praelati Regulares, sed pro suis ecclesiis tantum. Si tamen pro aliis ecclesiis benedixerint, benedictio quamvis illicita, valida nihilominus erit (S. R. C. 27 Aug. 1707). Et quoniam episcopi, absque indulto apostolico non possunt aliis *delegare* facultatem benedicendi sacra paramenta (16 Maii 1744 ; a fortiori id non possunt Praelati Regulares. Porro *quibus* vestibus non uti grave est, *his* uti *non benedictis* lethali non caret, nisi necessitas gravis excuset (1).— *Exsecrantur* autem sacra indumenta, cum usui proprio idonea esse desierint, sive detrita sint, sive formam amiserint, ut si ex planeta feceris stolam, ex stola manipulum, etc. Item si ex alba fuerit abscissa manica, licet mox iterum assuenda; aut si cingulum ita rumpatur, ut neutra pars cingere possit. E contra manet benedictio, si ante plenam separationem reficiantur et partes connectantur. Ex cap. 39. (*de consecr.* dist. 1) lacera paramenta aut vetustate consumpta, comburenda sunt, et cineres in sacrarium recondendi, non autem ad usus profanos adhibenda sunt. Et hinc non licet ex veteri CASULA vestes profonas resarcire (S. LIG. III, 41).

3°) Ad **materiam, colorem** et **formam** quod attinet, notentur sequentia. **A**) Quoad **materiam,** AMICTUS et ALBA debent esse ex *lino* vel *cannabe*. (S R. C. 15 Maii 1819). CINGULUM potest esse ex *lana* (S. R. C. 23 Dec. 1862); potest etiam adhiberi *sericum*; sed juxta praesentem Ecclesiae usum, est « *congruentius uti cingulo lineo* » (S. R. C. 22 Jan. 1801). PRO MANIPULO, STOLA et CASULA certa et determinata materia non praescribitur in RUBR.; nequeunt tamen confici : « *ex tela gossipii, aut lini aut etiam lanae* » (S. R. C. 28 Jul. 1881) ap. N. R. T. (XIII, 623); neque ex textura cui

(1) Pag. 158 *vidimus* : vestimenta, nondum benedicta, per primam celebrationem non censeri benedicta (S. R. C. 31 Aug. 1867.)

inserta sunt filamenta *vitrea* mixta auro vel argento (S. R. C. 11 Sept. 1847). Ap. N. R. T. (XIII, 624). — Quoad paramenta *ex auro contexta*, quae pro *quocumque* colore, exceptis *violaceo* et *nigro*, inservire possunt, « *tolerandam esse locorum consuetudinem* » declaravit S. R. C. (18 April. 1866) ap. N. R. T. (XIX, 338). Item *tessutum ex serico et mori fibris* (de soie et de fibres de mûrier) « *posse adhiberi, dummodo textum de quo agitur nunquam nova adjecta materia immutetur* » respondit S. R. C. (21 April 1893) ap. N. R. T. (XXV, 383). — Conficere autem vestes sacras ex profanis, v. g. planetam ex veste serica mulieris, non est prohibitum, ut pluribus argumentis ostendit Bill., et ita fert usus. (S. Lig. VI, 376).— **B**) Quoad **colorem**, MANIPULUS, STOLA et CASULA sint *coloris officio convenientis*. Sed hoc, remoto scandalo, leve est, et si qua causa subsit, ne leve quidem, ut si alias omittenda sit missa (S. Lig. VI, 378). Praeterea, nisi excuset necessitas, debent esse *unius coloris* (S. R. C. 19 Dec. 1829); quod sic intelligendum est, ut unus ita praedominetur color, ut ipsa indumenta visum alterius coloris principaliter prae se non ferant (S. R. C. 22 Sept. 1837). Nec possunt esse *flavi* (S. R. C. 5 Dec. 1868), vel *caerulei* coloris (S. R. C. 23 Febr. 1839), ubi dicitur : « *usum caerulei coloris velut abusum eliminandum.* » Permittuntur tamen, ut diximus, paramenta ex *aurea* tela, pro quocumque colore, exceptis violaceo et nigro; item ex *tela argentea* pro paramentis albi coloris (S. R. C. 20 Nov. 1885). Cingulum « *esse potest colore paramentorum* » (S. R. C. 8 Jun. 1709). Denique « non licet in *fimbriis* et *manicis* ALBARUM et aliarum vestium sub velo transparenti *fundum rubrum* mittere » (S. R. C. 17 Aug. 1833). — **C**) Quoad **formam**, servetur illa, qua in praesenti disciplina utitur Ecclesia Romana, et inconsulta Sede Apostolica nihil innovetur (S. R. C. 21 Aug. 1863). « *Eapropter*, edicunt Stat. dioec. Mechl. (n. 373), *si alicubi exsistant vestes ad stylum ut aiunt* GOTHICUM *conformatae, reducantur ad formam quae sit modernae disciplinae congrua ; nisi rationum momenta, a Sancta Sede approbata, eas ibi retineri posse suaserint.* » Imo in Litteris (23 Aug. 1889) Cardinalis Praefecti S. C. de Prop. Fide relate ad pias mulierum societates quae sacris ornamentis et vasis pro missionibus comparandis vacant, haec leguntur : « *Quod vero ad ornamenta* GOTHICAE *formae pro* LATINIS *attinet, et approbari*

nullo modo possunt, et interdicentur a Sacra Congregatione si qui ea in missionibus adhibuerint. »

4°) Ad vestium **significationes mysticas** quod attinet, hae quidem *duplicis* praesertim generis distinguuntur, prout vestes considerantur : vel in ordine *ad Christum*, cujus passio in altari repraesentatur, adeoque secundum sensum *allegoricum ;* vel in ordine *ad nos* sacerdotes qui, dum Christi personam gerimus, Christi quoque similitudinem moribus referre debemus, adeoque secundum sensum *moralem*. Porro ex S. Thom. (in 4, dist. 24, q. 3, a. 4), Nat. Alex. (*Theol. dogm. et mor.* tom. 3, pag. 639 seqq.), Bened. XIV (*de sacrif. miss.* sect. 1, n. 56 seqq.), Soto (in 4, dist. 13, q. 2, a. 4), Bona (*de sacrif. miss.* c. 5), aliis, placeat sequentes significationes mysticas adnotare. — **A**) In **ordine ad Christum** seu *allegorice :* Amictus significat velamen quo Judaei Chrisi faciem velarunt, dum eum colaphis caederent, dicentes : « *Prophetiza nobis, quis te percussit* » ; aut spineam coronam quam ejus capiti imposuerunt ; vel etiam exprimit Christum sub humanitatis amictu suam abscondisse divinitatem. Alba vestem albam significat, qua Herodes Christum illusit. Cingulum funes denotat, quibus Christus alligatus est in horto, nec non flagella quibus crudelissime est flagellatus. Manipulus vincula exhibet Christi manibus injecta, cum ad columnam flagellabatur. Stola funes exprimit, quibus Christus est alligatus, quando portabat crucem. Casula significat vel purpureum vestimentum quo Christus in passione sua indutus est, vel tunicam inconsutilem quam illi detraxerunt milites, quando cruci affigendus erat, vel crucem ipsam humeris Christi impositam.—**B**) In **ordine ad nos** seu *moraliter :* Amictus, ut eruitur tum ex verbis Pauli (Eph. VI, 17 et I Thess. V, 8), tum ex oratione quae dicitur, dum illum assumimus, significat salutis galeam spemque in Deum, qua hostes nostros superemus et fortitudinem in divinis exsequendis officiis. Praeterea, quatenus collum tegit, designat custodiam vocis quae per collum et guttur emittitur, juxta illud (Ps. XXXVIII, 2) : « *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam.* » Quatenus super humeros extenditur, de suavi jugo Domini alacriter ferendo nos admonet. Quatenus supra pectus alligatur, sacerdotibus in memoriam revocat, nullis fas esse quam divinis cogitationibus eorum animum patere. Alba

significat cordis et vitae puritatem quam petimus per Agni immaculati merita ; sua longitudine de perseverando nos admonet, estque beatae symbolum aeternitatis. Cingulum, quod circa lumbos praecingitur et albam impedit, ne defluat et gressum cohibeat, carnis continentiam sacerdotibus maxime necessariam significat, sive mentis custodiam qua luxuria restringitur et cupiditas cohibetur, ne ad carnalia dilabatur et gressus bonorum operum impediatur. Et quamvis ad Christianos omnes pertineat, sacerdotes tamen praecipue spectat illud Christi monitum (Luc. XII, 35 : « *Sint lumbi vestri praecincti* » ; et illud Apostoli (Ephes. VI, 14) : « *State succincti lumbos vestros in veritate.* » Manipulus, qui olim erat mappula seu sudarium, per quod sudor et narium sordes extergebantur, juxta S. Thom. (l. c.) extersionem minimarum macularum significat. Et quatenus sinistro brachio imponitur praesentem vitam denotat, in qua poenitentiae opera rebus omnibus sunt praeferenda, ut merces laborum ac fletuum postea recipiatur, juxta illud (Ps. CXXV, 5 seq.) : « *Qui seminant in lacrymis, in exsultatione metent. Euntes ibant et flebant mittentes semina sua ; venientes autem venient cum exsultatione portantes manipulos suos.* » Stola juxta veteres christianae obedientiae jugum significat. A collo per anteriora descendens, dextrum latus ornat et sinistrum, ut doceat sacerdotem per arma justitiae a dextris et a sinistris, i. e. in prosperis et adversis, fortem et constantem esse debere. Significat quoque stolam immortalitatis in praevaricatione primi parentis amissam et virtute Passionis et Resurrectionis Christi necnon divinae Eucharistiae, quae futurae gloriae pignus est, nobis aliquando reddendam. Casula seu planeta sua amplitudine charitatem significat, quae operit multitudinem peccatorum ; ante pectus et post humeros pendens, Deum et proximum, amicum et inimicum diligendum esse innuit ; ceteris vestibus superponitur, quia charitas omnibus virtutibus praestat Christique jugum suave facit et onus leve ; et sicut casula varios exigit colores juxta temporis aut festivitatum diversitatem, ita charitas varios affectus in nobis excitat : nunc laetitiae, nunc fervoris et fortitudinis, nunc firmae fiduciae, nunc poenitentiae, nunc luctus et commiserationis. — Quocirca notandum est **quinque** colorum genera a Rubr. Miss. commemorari : *album, rubeum, viride, violaceum* et *nigrum*. Et quidem color **albus** est signum laetitiae, gloriae

et puritatis, et ideo utimur eo, tempore paschali, in festis Domini, necnon in festis B. M. V., SS. AA., CC. et VV., quibus, ob candorem innocentiae et puritatis, aeterna gloria obtigit. **Rubeus** fervorem spiritus denotat et fortitudinem in adversis, eoque utimur per octavam Pentecostes, in festis S. Crucis et SS. Martyrum. **Viridis** nos edocet, quod in hac lacrymarum valle spes salutis totaque nostra fiducia ponenda sit in Christo de quo scriptum est (Cant. II, 1) : « *Ego flos campi et lilium convallium* ». Et quoniam color iste mediat inter colores vividos et nubilos, ideo utimur viride iis anni temporibus quae nec laetitiae, nec poenitentiae, nec luctui specialiter sunt destinata, adeoque ab octava Epiphaniae usque ad Adventum. **Violaceus**, cum sit quasi pallidus et lividus, carnis macerationem, dolorem ac poenitentiam ob propria et aliena peccata denotat, sicque convenit tempori Adventus, Quadragesimae aliisque diebus festisque afflictionis, uti et festo SS. Innocentium ob dolorem matrum, nisi incidat in diem dominicam cujus laetitiae illo tempore color violaceus minus congruit, et excepta die octava, quae cum beatitudinem significet, omne moestitiae signum respuit; in quibus duobus casibus adhibetur rubeus martyribus proprius. **Niger** luctum et commiserationem exprimit, sicque congrue adhibetur in Parasceve ob mortem Domini et in missis defunctorum, qui poenas luunt in Purgatorio et quorum animas ibi detentas « *fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio, juvari* » docet Ecclesia (Trid. Sess. XXX *decret. de purg.*).

Resolvitur. Ex dictis patet, quam merito Trid. (Sess. XXII *de sacrif. miss.* can. 7) definiverit : « *Si quis dixerit, caeremonias, vestes et externa signa, quibus in missarum celebratione Ecclesia catholica utitur,* irritabula impietatis *esse magis, quam* officia pietatis, *anathema sit.* »

Q. 134. Dic : 1°) *An* et 2°) *qualis* requiratur minister inserviens?

R. Ad 1^mm^) Requiritur minister, et quidem *sub gravi* « ut certum est apud omnes, » ait S. Lig. (VI, 391), et constat ex S. R. C. (18 Dec. 1877); excepto *casu necessitatis*, puta : ut populus audiat missam de praecepto, vel ut conficiatur Viati-

cum, vel si post incoeptam missam minister recedat, maxime si facta jam fuerit oblatio. Cfr. N. R. T. (VI, 394 seqq.).

Resolvitur 1. Ut recte monet Lugo, minor necessitas sufficit ad celebrandum cum ministro nesciente respondere, quam sine ministro. **Resol. 2.** Quamvis praeceptivae sint Rubricae circa ritum a ministro servandum, nihilominus ex S. Lig. (*l. c.*) probabile est, quod celebrans non debeat formare scrupulum, si minister male pronuntiet, nec facile corrigere errores, ne turbet se ipsum vel circumstantes, vel ordinem missae; sufficit ut, quae a ministro omittuntur, suppleat. **Resol. 3.** Ex S. Thom. (p. 3, q. 83, a. 5 ad 12) ministri « *in* solemni *celebratione missae* plures *debent adesse. In missis tamen* privatis *sufficit* unum *habere ministrum, qui gerit personam totius populi catholici, ex cujus persona sacerdoti pluraliter respondet.* » Imo *unus tantum* admitti potest in missa stricte privata, sive celebretur a simplici sacerdote, sive ab abbate aliisque praelatis cujuscumque dignitatis episcopo inferioribus, quia solis episcopis privatim celebrantibus convenit duos habere ministros (S. R. C. 7 Jul. 1612). Dixi : *in missa* stricte *privata;* quia secus foret dicendum, si duo adhiberentur ratione *majoris solemnitatis festi vel missae,* quo casu id tolerari potest (S. R. C. 12 Sept. 1857). **Resol. 4.** Si missa sine ministro celebretur, sacerdos non debet bis dicere *Confiteor* (S. R. C. 4 Sept. 1875) **Resol. 5.** Ministrum non posse inservire sacerdoti indigne celebranti, nisi excusetur ex gravi causa, putat S. Lig. (VI, 89). Alii cum Suar. existimant talem cooperationem non esse illicitam, quoties sacerdos posset facile invenire alium ministrum. His assentior (tom. I, pag. 332).

R. Ad 2^{um}) Debet esse : 1°) *masculus*, ita ut *sub gravi* prohibeatur, ne ministret femina. Permittitur tamen, ut, *deficiente masculo*, e loco dissito respondeat femina, praecipue monialis, modo ad altare non accedat ad ministrandum (S. R. C. 27 Aug. 1836); 2°) *clericus*, si is haberi queat (S. R. C. 23 Nov. 1602); et si clericus sit, debet esse *veste talari* et *superpellicio* indutus (S. R. C. 7 Sept. 1861); ceteri sint saltem decenter vestiti, nitidi, mundi et morigeri.

Q. 135. *An* sacerdoti celebranti *assistere* possit presbyter *stola* aut *pluviali* indutus?

R. *Neg.*, tum, si agatur de missa *privata*, etiam novi sacerdotis prima vice celebrantis (S. R. C. 11 Mart. 1837); tum, si agatur de missa *solemni* (S. R. C. 15 Mart. 1721). Excipiuntur tamen canonici, quando solemniter loco episcopi celebrant, aut ipsis suffragatur immemorabilis consuetudo. Ita GURY, BONAL, alii (1).

CAP. 8. De Rubricis.

Q. 136. *An* et *quomodo* obligent RUBRICAE quoad *missam?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Omnes rubricae, quae servantur **intra missam,** sunt *praeceptivae*, juxta communem omnium sententiam, cum rem adeo sacram respiciant. Constat ex S. PIO V, Bull. « *Quo primum tempore* » (12 Jul. 1570), in principio Miss. posita, ubi diserte ait : « *Mandantes et districte omnibus et singulis praecipientes* IN VIRTUTE SANCTAE OBEDIENTIAE, *ut* MISSAM JUXTA RITUM, MODUM AC NORMAM, *quae per Missale hoc a Nobis nunc traditur, decantent ac legant.* » Obligant autem sub *gravi*, vel sub *levi*, pro gravitate vel levitate materiae, nisi excuset inadvertentia seu distractio involuntaria. **2°)** Utrum vero rubricae servandae **extra missam**, i. e. ante vel post sacrum, sint etiam *praeceptivae*, an tantum *directivae*, inter DD. *disputatur*. Alii dicunt eas etiam esse de se *praeceptivas*. Et his favet decretum S. R. C. ab URB. VIII approbatum et Miss. ROM. praefixum, in quo statuitur : « *Demum renovando decreta alias facta, mandat S. Congregatio* IN OMNIBUS ET PER OMNIA *servari Rubricas Missalis Romani, non obstante quocumque praetextu et contraria consuetudine, quam abusum esse declarat.* » Dicunt : *de se ;* nam excipiunt Rubricas iis verbis conceptas, quae consilium tantum important. Alii, quibus adhaeret S. LIG. (H. A. *Exam. Ord.*

(1) Verum proposito **dubio :** « *An presbyter assistens primae Missae neosacerdotis, uti debeat stola a principio Missae usque ad finem, ut assolent nonnulli, vel an eam assumere debeat a principio canonis usque ad consummationem tantum?* » S. R. C. **respondit :** «*Servetur consuetudo.* » (11 Jun. 1880.) *Vides*, ait BALL.-PALM. (*de Euch.* n. 333), *in quaestione supponi deferendam esse stolam, quam suppositionem responsio Congr. confirmat.* »

n. 112), « probabiliter » dicunt : **aliquas** esse mere *directivas*, quae solum quasi consulendo ad melius esse dirigunt sacerdotem; prout sunt manuum ablutio post missam, et orationes pro praeparatione vel gratiarum actione. Interim ex S. Lig. (VI, 410) sacerdos qui sine ulla praeparatione, saltem domi facta ad sacrificandum accederet, ab aliqua culpa non foret excusandus. Praeterea, ut sapientissime jubent Stat. dioec. Mechl. (n. 325) : «*Sacerdos, rem sacram facturus, in sancto silentio et oratione saltem per horae* QUARTAM PARTEM *se praeparet; post missam permaneat in pia gratiarum actione, etiam per horae* QUADRANTEM *producenda, nisi forte urgentes charitatis vel muneris curae utrumvis impediant.* » — Dicunt : **aliquas**; nam *controvertitur* quoad orationes quae recitandae sunt *induendo* VESTES SACRAS. Communis sententia tenet cum S. Lig. (VI, 410) eas, secluso peccato veniali, omitti non posse; alii cum Suarez dicunt, hanc omissionem omni culpa vacare. — De lectione *Matutini* cum *Laudibus* facienda *ante missae celebrationem* diximus (tom. 2. pag. 293 seq.). — De obligatione servandi rubricas quoad missam agit N. R. T. (XIII, 604 seqq.).

Scholion. Inter orationes pro opportunitate sacerdotis post Missam recitandas eminet sequens **Oratio B. Thomae de Aquino**, prout in antiquis Missalibus aliisque libris liturgicis Ord. Praed. reperitur :

Anima Christi sanctissima, sanctifica me :
Corpus Christi sacratissimum, salva me :
Sanguis Christi pretiosissime, inebria me :
Aqua lateris Christi purissima, munda me :
Sudor vultus Christi virtuosissime, sana me :
Passio Christi piissima, conforta me :
O bone Ihesu, custodi me :
Intra vulnera tua, absconde me :
Non permittas me separari a Te :
Ab hoste maligno defende me :
In hora mortis meae voca me :
Iube me venire ad Te, et pone me juxta Te :
Ut cum Angelis et Archangelis tuis laudem Te
Per infinita saecula saeculorum. Amen.

Hanc orationem saepius repetebat B. IGNATIUS DE LOYOLA ; ex quo factum est, ut ipsi quoque aliquando fuerit attributa, haud tamen merito, cum jam legatur in incunabili an. MCCCCXCIII, cui titulus : *Liber meditationum ac orationum devotarum qui Anthidotarium animae dicitur.*

Q. 137. *Quaenam* 1°) sint PECCATA contra leges rubricales *frequentiora*, et 2°) *undenam* petenda sit *materiae* GRAVITAS in violatione *rubricarum* missae?

R. Ad 1^{um}) Sunt : 1°) NIMIS FESTINATIO sub ps. *Judica* et seqq. alternatim dicendis cum ministro ; 2°) sub *Kyrie* omnimoda CONFUSIO ; 3°) OMISSIO INCLINATIONUM sub *Gloria* et *Credo* ; 4°) GENUFLEXIONES indevotae ; 5°) SIGNA CRUCIS male aut nimis festinanter formata ; 6°) ORATIONES extra locum dictae aut anticipatae.

R. Ad 2^{um}) Repetenda est non tantum a QUANTITATE, sed insuper a QUALITATE materiae.

Explanatur. Porro *qualitate* **praestantiora** reputantur : **1°)** Quae **ordinaria** sunt, i. e. quae in omni missa recitantur vel fiunt, ut *Confiteor*, *Epistola*, *Evangelium*, etc., quam illa quae *extraordinaria* sunt, i. e. quae non semper eveniunt, qualia sunt : *Gloria*, *Credo*, etc. Hinc receptum est apud DD., pro materia gravi habendam esse omissionem *Confessionis* cum aliis in principio missae ; item *Epistolae* cum *graduali* et *alleluia ;* necnon *Offertorii* sive hostiae sive calicis cum forma correspondente. Secus dicendum, si omitteretur *Gloria* vel *Credo*. **2°)** Quae **proprius** sacrificio accedunt ; et hinc minor in *Canone*, quam in aliis partibus, omissio sufficit ad mortale. Unde communiter dicunt DD., mortaliter peccare eum, qui vel unam ex orationibus in eo contentis temere omittit, vel tot verba in oratione, ut mysterii per eam repraesentandi significationem vel destruat vel notabiliter minuat.

Q. 138. *Quomodo* peccetur, aliquid ADDENDO in missa?

R, *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel id fit **animo introducendi novum ritum, vel non.**—Si **primum** : peccatur moraliter, etsi addatur quid *minimum* tantum : tum quia id praecipue prohibent S. PIUS V et CONC.

Trid. (Sess. XXII *decr. de obs.*); tum quia si posset hodie absque mortali peccato addi eo animo aliquid leve, ita etiam posset subsequentibus diebus, sicque absque mortali introduceretur novus ritus in re gravi et everteretur finis legis. — Si **secundum** : *Subdistinguendum* est. **1°**) Si additio fiat *secreto*, ut si quis addat *mentaliter* actum contritionis vel virtutum theologicarum aut quid simile ante communionem vel alias, non peccatur, cum talis prohibitio non cadat sub praecepto. **2°**) Si vero additio fiat *exterius* seu *vocaliter*, iterum *distinguendum* est : **A**) Addere aliquid quod *in Missali non continetur*, si res est *alicujus momenti*, gravi non vacat. **B**) Addere vero aliquid ex his quae *alias dici solent;* regulariter loquendo culpam venialem non excedit; immo, juxta graves DD., quos inter Bill., Conc., Croix, Pasq., Gobat, « *probabiliter* » ex S. Lig. (VI, 411), omni culpa vacat, si fiat ex justa aliqua causa, ut si sacerdos ex speciali devotione addat orationem alicujus sancti, vel collectam pro tribulatis, pro navigantibus, ad petendam pluviam, serenitatem, etc. Interim, « non licere in missis *ad libitum* sacerdotis orationes addere, praeter orationes a Rubricis assignatas vel permissas, » constat ex S. R. C. (12 Aug. 1854), ad dub. XXX ap. N. R. T. (VIII, 127 et 142). — De hujusmodi additionibus tractat. N. R. T. (XIII, 610 seq.) ubi dicit : « *Toute addition, quelle qu'elle soit, toute omission, toute modification dans la célébration du S. Sacrifice de la Messe, est absolument prohibée.* »

Q. 139. *Quomodo* peccetur VARIANDO?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Si variatio **gravem** deformitatem adferat, per se peccatur *graviter*, ut puta evangelium legere ante epistolam; **2°**) si vero **modicam** tantum adferat, per se peccatur leviter, ut puta legere unam missam pro alia, vel unam epistolam, evangelium, praefationem scienter pro alia recitare. Dicitur : *per se;* i. e. secluso contemptu et scandalo. — Immo, in missa quotidiana **de requiem** si pro defuncto vel defunctis *certo designatis* celebretur, secundae orationi « *Deus, veniae largitor* » alia ad libitum celebrantis subrogari potest. — Dixi : *certo designatis;* si enim pro defunctis *in genere* missa celebretur, haec mutatio fieri non potest sed orationes invariabiliter sequenti ordine sunt dicendae : « *Deus, qui inter* » —

« *Deus, veniae largitor* » — et « *Fidelium.* » Constat ex decreto S. R. C. (30 Jun. 1896) in quo praescribitur, sub n. II : « *In missis quotidianis quibuscumque, sive lectis, sive cum cantu, plures esse* DICENDAS *orationes, quarum prima sit pro defuncto vel defunctis* **certo designatis,** *pro quibus offertur sacrificium, ex iis quae inscribuntur in Missali, secunda ad libitum, ultima pro omnibus defunctis.* » Sub n. III : « *Si vero pro defunctis* **in genere** *missa celebretur, orationes esse* DICENDAS, *quae pro missis quotidianis in Missali prostant eodemque ordine quo sunt inscriptae.* » Sicut igitur sub n. II verba : « *sunt dicendae* » formalem regulam exprimunt, ita pariter sub n. III eadem verba « *sunt dicendae* » regulam important adeoque orationes esse dicendas quae pro missis quotidianis in missali prostant eodemque ordine quo sunt inscriptae. Praeterea sub n. II oratio *ad libitum* expresse permittitur; at sub n. III hujusmodi orationis ne mentio quidem habetur. Unde quoque decretum S. R. C. (2 Sept. 1741) edicens : « ALIQUANDO *loco secundae orationis* [Deus, veniae largitor] *substitui posse orationem pro patre et matre* » aliaque decreta subsequentia huc spectantia in nova editione decretorum S. R. C. amplius non invenitur. De quibus omnibus scite tractat REVUE THÉOL. FRANÇAISE (I, 481; — III, 608; — IV, 57 seqq.).

Q. 140. *An* liceat INFIRMO celebrare, licet omnes rubricas *observare nequeat?*

R. *Affirm.*, si paucas et leviores tantum omittat, maxime si privatim celebret. Immo accedere ad altare cum *baculo*, si alias non valeas, vel celebrare brachiis innixus super altari, si erectus stare nequeas, etiam ex devotione tantum, aut nulla aut vix aliqua culpa est Cfr. S. LIG. (VI, 402).

Q. 141. An liceat celebrare : 1°) capite PILEOLO (gallice *calotte*) cooperto; 2°) cum COMA ADSCITITIA (gallice *perruque*)?

R. Ad 1^um^) *Neg.*, sine licentia S. Sedis.

Explanatur. Ita decretum URBANI VIII in MISS. ROM. appositum, in quo dicitur : « *Nemo audeat uti* PILEOLO *in celebratione Missae, sine expressa licentia Sedis Apostolicae, non obstante quacumque contraria consuetudine.* » Sed utrum hoc sit *grave*, an *leve*, non satis convenit. Alii dicunt id esse *mortale;* alii id esse *veniale;*

alii denique *distinguunt :* dicunt esse mortale, sic *totam* missam celebrare; secus vero, si *usque ad Canonem*, secluso contemptu et scandalo. Et consequenter ex S. Lig. (VI, 397) probabile est, « non esse illicitum sine dispensatione celebrare cum pileolo, *excepto canone* et *praeciso scandalo,* ex rationabili causa, si celebretur in loco privato, vel si causa ita celebrandi adstantibus sit manifesta, puta ob senectutem sacerdotis, vel loci frigus, ita ut quis non posset celebrare capite nudo sine notabili incommodo. » Similiter Sylvius, uti refert Bened. XIV (*de sacrif. miss.* sect. 1, n. 53), nec improbat « sacerdotem, qui gravissimo afflictus morbo missam celebrans caput usque ad Praefationem pileolo tegeret, detractumque iterum post Communionem capiti imponeret, a peccato immunem esse putat; neque enim Apostolica Sedes videtur ita sibi eam licentiam reservasse, ut illicitum voluerit declarare, quod quis in aliquo casu extraordinario qui supervenerit, vel propter morbum minime diutinum fecerit. » — Ceterum illud decretum non obligat Sinenses, apud quos *tegere* caput est signum honoris; *detegere* vero, irreverentiae.

R. Ad 2^{um}) *Neg.*, sine dispensatione apostolica.

Explanatur. Constat ex decreto Innoc. XII qui, teste Bened. XIV (*de Syn.* l. XI, c. 9, n. 5), « *per suos Apostolicos Nuntios, locorum Ordinarios moneri jussit, ne quemquam permitterent, sine Apostolicae Sedis privilegio, cum* adulterino capillitio *sacrosanctum peragere missae sacrificium,* » Hinc tradunt Stat. dioec. Mechl. (n. 34): « *Monitum simul volumus, usum* caesariei adscititiae *tempore celebrationis missae non esse licitum sine peculiari indulto Apostolicae Sedis.* » Cfr. N. R. T. (V, 38 seq.).

Q. 142. *Quae* missa sit *celebranda?*

R. *Sub distinctione*, prout scilicet missa celebranda est : vel 1°) in oratorio *privato*, vel 2°) in ecclesia seu oratorio *publico.*

Explanatur. Si 1°) celebranda est in oratorio **privato,** missa convenire debet cum officio quod quis, sive saecularis, sive regularis, recitavit, ut pluries declaravit S. R. C. (12 Nov. 1831; — 23 Maii 1835; — 16 April. 1853), exceptis diebus, quibus missae

votivae vel *de requiem* dici possunt. — Si vero 2°) celebranda est in ecclesia seu oratorio **publico,** missa, *regulariter loquendo*, convenire debet cum officio ejusdem ecclesiae seu oratorii publici, sive celebrans huic ecclesiae seu oratorio publico sit adscriptus, ut jam pridem multoties declaraverat S. R. C.; sive sit sacerdos exterus, tam saecularis quam regularis, qui in aliena ecclesia seu oratorio publico celebrat. Constat ex decreto S. R. C. a Leone XIII confirmato (9 Dec. 1895) ap. N. R. T. (XXVIII, 85 seqq.). Ibi enim praecipitur : « *Omnes et singuli sacerdotes, tam saeculares quam regulares, ad ecclesiam confluentes vel ad oratorium publicum, missas quum Sanctorum tum Beatorum, etsi Regularium proprias, omnino celebrent officio, ejusdem ecclesiae vel oratorii conformes, sive illae in Romano, sive in Regularium Missali contineantur ; exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis.* »

Dixi : *regulariter loquendo ;* propter *exceptionem* quam idem decretum indicat, ubi citatis verbis immediate subjungit : « *Si vero in dicta ecclesia, vel oratorio, officium ritus duplici inferioris agatur, unicuique ex celebrantibus liberum sit Missam de requie peragere, vel votivam, vel etiam de occurrente feria, iis tamen exceptis diebus, in quibus praefatas Missas rubricae Missalis Romani vel Sacrorum Rituum Congregationis Decreta prohibent.* »

Sedulo autem notandum hic est quod, « *ad effectum memorati decreti,* » sola capella « **principalis** » episcoporum, seminariorum, collegiorum, piarum communitatum, hospitalium et carcerum, « *instar oratorii publici habenda est* », uti rescripsit S. R. C. (22 Maii 1896) ap. N. R. T. (XXVIII, 437). Ex quo patet, oratorii *privati* nomine, quod attinet praesentem materiam, intelligi non tantum illud in quo e solius R Pontificis licentia celebrari potest, sed etiam oratorium *secundarium* erectum in palatiis episcoporum, in seminariis, domibus religiosis, etc.

Resolvitur. 1. Ut ex verbis generalissimis « *Omnes et singuli sacerdotes tam saeculares quam regulares* » manifestum est, Regulares, licet « ratione suae vocationis et praedicationis, quotannis per quadragesimam totam, per menses Maii et Octobris, et per alia quoque tempora Sacrum peragunt extra suas ecclesias, eaque de causa obtinuerunt ab Apostolica Sede privilegium celebrandi Missam juxta calendarium proprii Ordinis, quando color concordat

cum colore Officii ecclesiae in qua celebrant, » « *comprehenduntur sub decreto* S. R. C. *diei 9 Dec. 1895 edito*, » uti declaravit eadem S. R. C. (8 Febr. 1896) ap. N. R. T. (XXVIII, 290). — Comprehenduntur pariter **sacerdotes tertiarii S. Francisci,** si celebrent in ecclesia aliena, ut adeo privilegio ipsis concesso (7 Aug. 1880) tunc uti non valeant, ut optime notat N. R. T. (XXVIII, 89 seq.). — **Resol. 2.** Si celebretur in ecclesia aliena, missa debet esse conformis officio istius ecclesiae, prout scilicet ibi in calendario praescribitur, nisi sit **ritus duplici inferioris,** quo casu unicuique liberum est celebrare missam de requiem, vel votivam, vel de occurrente feria, vel etiam « *missam conformem proprio officio* » celebrantis, quae tunc, non ritu votivo, sed prout in ejus calendario determinatur, celebrari debet, ut constat ex decreto S. R. C. (14 Mart. 1896) ap. N. R. T. (XXXVIII, 305). Excepto illo casu, non licet celebrare missam conformem suo officio. Et hinc ad **dubium** : « *Ubi unus tantum sacerdos quoad missae celebrationem addictus sit Oratoriis competenti auctoritate erectis in gymnasiis, hospitalibus ac domibus quarumcumque piarum communitatum ; hic si saecularis, teneturne sequi calendarium dioecesis in qua exstat Oratorium, et si regularis, calendarium Ordinis, si proprio gaudeat, relinquere; et si aliquando celebrent extranei, hi debentne se conformare calendario sacerdotis ejusmodi Oratoriis addicti ?* » S. R. C. (27 Junii 1896) ita rescripsit : « *Affirmative in omnibus, si Oratoria habenda sint ut publica ; secus negative.* » Ap. N. R. T. (XXVIII, 678 seq.). Constat autem ex rescripto S. R. C. (22 Maii 1896) supra (pag. 175) relato, oratorii privati nomine, in ordine ad praesens argumentum venire etiam oratorium *secundarium* in gymnariis, hospitalibus, domibus religiosis etc., erectum — **Resol. 3.** Constat ex decreto S. R. C. (27 Jun. 1896) sacerdotem celebrantem in oratoriis principalibus monialium quae *canonicum* officium persolvunt teneri ad sequendum earum calendarium. Aliud foret dicendum, si istae moniales officium B. M. V. tantum persolverent.

Q. 143. *Quali* MISSALI sit *utendum?*

R. Missali *proprio* utendum est, nisi quis celebret in ecclesia aliena, juxta modo dicta in Responsione praecedenti ex citato ibidem decreto S. R. C. (9 Dec. 1895).

Nota. In ecclesiis, unde Regulares, sive juste sive injuste, dejecti sunt, missa non potest amplius celebrari ex calendario Ordinis, ne a Regularibus quidem, si quis forte quasi capellanus aut custos in eis remanserit, sed dioecesano uti oportet (S. R. C. 20 Dec. 1864).

Q. 144. *An* 1°) liceat missam INTERRUMPERE; et 2°) *quomodo* interrupta sit RESUMENDA?

R. Ad 1^{um}) *Per se* non licet; bene vero *per accidens*, si adsit justa causa; quae, *Canone* nondum coepto, *gravis* esse debet; eoque coepto *gravior*; et, facta consecratione, *gravissima*. Circa missae interruptionem Cfr. N. R. T. (XIV, 163 seqq.).

Resolvitur. Hinc **A) Ante canonem,** licet: 1°) Ad concionem vel proclamationes faciendas; ad suscipienda vota religiosa; ad conferendos Ordines sacros; item ad recipiendas populi **oblationes,** ubi talis usus exsistit; quod addo: quia ab hujusmodi oblationibus introducendis **abstinendum** est, ne oblocutionibus et avaritiae suspicioni praebeatur locus, eo vel magis quod S. R. C. (31 Jul. 1665) declaraverit, Ecclesiam Romanam nostris temporibus non habere usum oblationum in missis, nisi in consecrationibus Episcoporum, benedictionibus Abbatum, ordinationibus et similibus. — Contra, missae interruptio ad faciendum cum populo exercitium *viae crucis* nullo modo probari potest, ut eruitur ex S. R. C. (16 Jan. 1677), quae ad **dubium**: an sustinendus esset mos in tempore publicae et generalis necessitatis dicendi preces intra missa cessante quoadusque preces finiantur? **mandavit** abusum hujusmodi, uti repugnantem rubricis, tolli omnino debere. 2°) Si supervenerit princeps, episcopus, turba peregrinorum vel processio, die festo, quo alias missam audire non possent; quo casu, si oblatio facta non fuerit, sacerdos de novo incipere potest, ut totum sacrum audiant. 3°) Si ecclesia polluatur, aut vitandus supervenerit. 4°) Si sacerdos recordetur de aliquo impedimento, v. g. se non esse jejunum, vel in statu gratiae, vel esse irregularem, modo missa sine scandalo aut nota relinqui possit. **B) Canone incoepto,** licet: v. g. in casu hostium irruentium, vel imminentis alluvionis, aut

ruinae templi, vel urgentis necessitatis corporalis, etc. C) **Consecratione facta,** licet : si moriturus egeat baptismo vel poenitentia, aut etiam Viatico vel extrema unctione, si absolvi non potuit. Immo, etsi absolutus fuerit, si esset *in propinquo,* posset ei administrari Viaticum et extr. unctio, dummodo sacerdos sacras vestes exuere non debeat, et altare e conspectu suo non amittat (S. R. C. 19 Dec. 1829).

R. Ad 2^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Si **ante consecrationem** interruptio facta sit, et *mora plus quam unius horae fuisset,* sacerdos vel celebrare omittat, vel ab initio ordiatur : quia post tantam interruptionem idem non censetur sacrificium. Excipe tamen, si interruptio provenerit ex concione vel alia caeremonia juncta cum missa, cum tunc etiam per longam interruptionem unitas moralis non solvatur. 2°) Si vero **post consecrationem** interrumpatur, et celebrans *post unam circiter horam* sit redux ad altare, simpliciter pergat ; secus « *prababiliter* » ex S. Lig. (VI, 333) *obligatio* perficiendi missam non videtur amplius subsistere, quia jam non certo adest moralis unio, et consequenter servari possunt sacrae species, ut postera die, post sumptionem sanguinis, sumantur. *Licebit* tamen, etiam *post plures horas,* sacrificium perficere ; imo videtur id omnino decere, si sacerdos, qui incoepit, illud resumere valeat.

Scholion 1. Jure meritoque contra *Novatores* definivit Trid. (Sess. XXII, can. 9) : « *Si quis dixerit, Ecclesiae Romanae ritum, quo* submissa voce *pars canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse ; aut* lingua tantum vulgari *missam celebrari debere... anathema sit.* » Cur autem Canon **submissa voce** convenienter recitetur, ostendunt : 1°) Exemplum V. L., in qua ex Dei ipsius jussu plura a sacerdotibus submissa voce, imo nec vidente populo, recitanda erant. 2°) Exemplum Christi, qui, ut observat Bill., in cruce se offerens, quaedam in silentio oravit. 3°) Exemplum venerabilis antiquitatis, de qua testantur veteres liturgiae omnes. 4°) Quia ad reverentiam mysterii pertinet, ut quaedam dicantur secreto.— Cur vero prohibitum sit, **vulgari lingua** missam celebrare, sic ostendit Bill. : « 1°) Quia ex diversitate linguarum tolleretur communicatio ecclesiarum, et qui unum tantum

idioma callerent, non possent in aliis ecclesiis celebrare. Hinc unitas Ecclesiae solveretur, nascerentur dissentiones et schismata. 2°) Ex mutatione idiomatis vulgaris forent saepe mutanda verba sacrificii, aut antiquata et ridicula, quae risum moverent, retinenda. 3°) Quamvis omnes audientes intelligerent verba, non tamen omnes assequerentur sensum verborum ; multa enim in missa leguntur ex prophetis, psalmis et epistolis apostolorum inter quae plura sunt intellectu difficilia. Unde contingeret quod plures audientes sensus exoticos et falsos conciperent, sicut ex lectione Scripturarum, quae ideo non omnibus promiscue permittuntur. » Ex quibus omnibus conficitur, merito quoque a Pio VI, Bul. « *Auctorem fidei* » damnatam fuisse prop. Syn. Pistor. sub n. 33 : « *Qua cupere se ostendit, ut causae tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad liturgiae ordinem spectantium, revocando illam ad majorem rituum simplicitatem, eam* VULGARI LINGUA *exponendo.* »

Scholion 2. Pro coronide dictorum, placeat cum Bill. ex S. Thom. (p. 3, q. 83, a. 4-5) ostendere, omnia quae dicuntur et fiunt in celebratione missae **convenienter** fuisse ordinata. Ostenditur autem, breviter exponendo diversas caeremonias missae, in qua distinguuntur diversae partes : *praeparatio, instructio, oblatio, consecratio,* et *sumptio.*

Imprimis **Praeparatio** fit a sacerdote : 1°) Per confessionem, juxta illud (Prov. XVIII, 17) : « *Justus prior est accusator sui.* » 2°) Per introitum, qui est laus divina desumpta ut plurimum ex Psalmis. 3°) Commemorando praesentem miseriam, dum misericordia petitur dicendo : *Kyrie eleison ;* ter pro persona Patris, ter pro Filio, ter pro Spiritu S., contra triplicem miseriam *ignorantiae, culpae,* et *poenae.* 4°) Commemorando coelestem gloriam ad quam tendimus post praesentem miseriam, dicendo *Gloria in excelsis,* quod cantatur in festis in quibus hujus gloriae fit mentio, intermittitur in officiis luctuosis, quae ad commemorationem miseriae pertinent. 5°) Recitando orationes pro populo, ut dignus habeatur tantis mysteriis.

Sequitur **Instructio** populi, quia hoc sacramentum est mysterium fidei. Fit autem *dispositive* per doctrinam prophetarum et apostolorum, vulgo dictam Epistolam ; fit *perfecte* per doctrinam Christi contentam in Evangelio. Et quia Christo credimus tan-

quam divinae veritati, cantatur *Symbolum* fidei, in quo populus ostendit, se per fidem doctrinae Christi assentire. Hic olim finiebatur missa *Catechumenorum*.

Tunc venit **Oblatio**, circa quam duo aguntur : *laus* populi in cantu *Offertorii*, per quod significatur laetitia offerentium, et *Oratio* sacerdotis qui petit ut oblatio populi Deo sit accepta. Deinde in missis solemnibus sacerdos altare thurificat : tum ad reverentiam hujus sacramenti, ut scilicet per bonum odorem depellatur si quid mali odoris in loco fuerit ; tum ad repraesentandum effectum gratiae, qua, sicut bono odore, Christus plenus fuit, et quae ab illo per sacerdotis ministerium ad fideles derivatur. Secundum alios per hanc caeremoniam monentur fideles ad coelestia ferventi desiderio ascendere, sicut fumus ex thure incenso ascendit.

Deinde sacerdos accedit ad **Consecrationem**, quae cum virtute supernaturali agatur, auxilium precum ad illam rite peragendam petit a fidelibus dicendo : *Orate, fratres ;* postea in Praefatione excitat devotionem populi, et ideo monetur *Sursum corda* habere ad Deum. Finita Praefatione populus laudat divinitatem cum Angelis ter dicens : *Sanctus ;* et humanitatem cum pueris dicens : *Benedictus* etc. Tunc sacerdos commemorat secreto illos pro quibus sacrificium offertur ; deinde Sanctos quorum patrocinia implorat, ac tandem petit consecrationis effectum dicendo : *Quam obligationem tu Deus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris.* Quorum verborum sensus est : facere digneris hanc oblationem *benedictam*, i. e. per quam benedicamur ; *adscriptam*, i. e. per quam in cœlo adscribamur ; *ratam*, i. e. per quam de visceribus Christi esse censeamur ; *rationabilem*, i. e. per quam a bestiali sensu exuamur ; *acceptabilem*, ut qui nobis ipsis displicemus, per hanc acceptabiles ejus unico Filio simus. Quibus praemissis, sacerdos consecrationem peragit verbis Salvatoris : *Qui pridie* etc. Deinde excusat praesumptionem per obedientiam ad mandatum Christi, cum dicit : *Unde memores*, etc. Postea petit, ut hoc sacrificium sic peractum sit Deo acceptum, dicendo : *Supra quae* etc., et proficiat sumentibus, mortuis et ipsis sacerdotibus offerentibus.

Tandem venit **Communio**, ad quam praeparatur populus tum per Orationem dominicam, dicendo : *Pater noster* etc., tum per

orationem privatam dicendo : *Libera nos*, etc., tum per pacem quae datur, dicendo : *Agnus Dei ;* est enim hoc sacramentum unitatis et pacis. In missis tamen defunctorum, in quibus sacrificium offertur non pro pace praesenti, sed pro requie mortuorum, pax intermittitur. Sequitur perceptio sacramenti, primo percipiente sacerdote et postmodum aliis dante. Ultimo tota missae celebratio in gratiarum actione terminatur, populo exsultante pro sumptione mysterii, quod significat cantus post communionem, et sacerdote per Orationem gratias offerente, sicut et Christus, peracta coena, hymnum dixit. Denique populus dimittitur dicendo : *Ita, missa est.*

DE POENITENTIA.

PRAEAMBULUM. In N. L., **Virtus** et **Sacramentum** poenitentiae adeo sunt inter se conjuncta, ut nec *sacramentum* consistere valeat sine virtute, nec *virtus* sine sacramento vel ordine ad sacramentum prodesse. Ob istam connexionem, S. THOMAS non agit de *virtute* poenitentiae ubi de reliquis virtutibus disputat, sed ubi de *sacramento* poenitentiae disserit. Quapropter praesens tractatus in **duplicem partem** dividetur.

Et quidem, vestigiis CATECHISMI ROMANI inhaerentes, in **prima** parte agemus de **Virtute** poenitentiae : « *non solum*, ait CATECH. ROM., *quia fidelis populus ad omne virtutis genus institui a pastoribus debet; sed etiam, quia hujus virtutis actiones tanquam materiam praebent, in qua poenitentiae sacramentum versatur; ac nisi prius, quae sit poenitentiae virtus recte intelligatur, sacramenti etiam vim ignorari necesse est.* »

In **secunda** parte agetur de poenitentia ut est **Sacramentum**, et quidem in **triplici** sectione. In PRIMA : dicetur de sacramento poenitentiae *secundum se*, ubi in TRIBUS capitibus agetur : 1°) de *quidditate* sacramenti poenitentiae deque ejus *necessitate* et *effectibus;* 2°) de ejus *materia;* 3°) de ejus *forma* deque *loco* et *habitu* quo administrari debet. In SECUNDA : de *dispositionibus requisitis in subjecto*, ubi in QUINQUE capitibus dicetur : 1°) de *contritione;* 2°) de *proposito;* 3°) de *confessione*, praesertim de ejus *veracitate*, *integritate* et *causis* ab integritate excu-

santibus; 4°) de *examine conscientiae* deque *iteratione* confessionis et *confessione generali;* 5°) de *satisfactione sacramentali.* In TERTIA : de *ministro,* ubi in SEPTEM capitibus agetur : 1°) de *potestate* ministri deque ejus *jurisdictione* et *approbatione*; 2°) de *restrictione* jurisdictionis seu de *casuum reservatione;* 3°) de *abusu potestatis* in confessario, ubi in duplici ARTICULO dicetur : A) de confessario *absolvente complicem in peccato turpi;* B) de confessario *sollicitante ad turpia;* 4°) de *munere* confessoris; 5°) de ejus agendi ratione cum *occasionariis, consuetudinariis* et *recidivis;* 6°) de *obligatione* confessarii *supplendi defectus* ab eo commissos; 7°) de *sigillo sacramentali.*

PARS PRIMA.

DE POENITENTIA UT EST VIRTUS.

CAP. UNIC. De quidditate Virtutis poenitentiae deque ejus necessitate, efficacia et discrimine cum Sacramento poenitentiae.

Q. 1. *Quotupliciter* sumatur VOX POENITENTIAE?

R. VOX POENITENTIAE, quae juxta etymologiam idem sonat ac *poenae tenentia*, ut communiter tradunt DD. cum BILL., seu *punientia*, ut vult S. ISID. (*Orig.* lib. 6, cap. ult.), « *eo quod ipse homo puniat, poenitendo in se quod male admisit,* » TRIPLICITER sumitur : 1°) pro *virtute* poenitentiae; 2°) pro *sacramento* N. L.; 3°) pro *parte sacramenti* seu satisfactione injuncta.

Q. 2. *Quid* 1°) sit VIRTUS poenitentiae; 2°) an *possibilis* sit sine gratia Dei; 3°) *quodnam* sit ejus *objectum;* et 4°) *quodnam* ejus *subjectum?*

R. Ad 1^um^) *Sub distinctione*, prout est *habitus* vel *actus.*

Explanatur. 1°) Si consideretur ut **habitus,** recte definiri potest : « *Qualitas supernaturalis a Deo infusa inclinans hominem ad reparandam injuriam Deo illatam per peccatum.* » (BILL.) Vel paulo uberius ex S. THOM. (*Suppl.* q. 16, aa. 1, 2 et 3) : « *Est qualitas supernaturalis a Deo infusa, qua homo promptus redditur*

ad dolendum de peccato commisso, in quantum est offensa Dei, cum emendationis proposito. » Infunditur autem in justificatione cum gratia sanctificante. Nihilominus actus poenitentiae, qui justificationem praecedunt, vocantur actus virtutis poenitentiae, quatenus actualia auxilia gratiae supplere possunt vices habitus in ordine ad actus virtuosos eliciendos. 2°) Si vero consideretur ut **actus,** seu quatenus *in actum* deducitur, a TRID. (Sess. XIV *de poenit.* cap. 4) vocatur « *contritio* » describiturque : « *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.* »

Resolvitur. Itaque actus virtutis POENITENTIAE, ut ex variis locis S. Scripturae ostendit (*ibid.*) TRID., non est mera **resipiscentia,** ut volunt PROTESTANTES, qua homo post commissum peccatum *proponit* se emendare et a peccato abstinere; sed insuper includit *dolorem* animi et *detestationem* de peccato, quatenus est *offensa Dei*, i. e. quatenus est injuria Dei expiabilis per satisfactionem, non tamen ad perfectam aequalitatem. Unde quoque merito LEO X, Bul. « *Exsurge Domine* » (16 Maii 1520) damnavit hanc LUTH. propositionem sub n. 7 : « *Verissimum est proverbium et omnium doctrina de contritionibus hucusque data praestantius :* DE CETERO NON FACERE, *summa poenitentia; optima poenitentia,* NOVA VITA. » Et si SS. PP. quandoque illud effatum usurpent, nihil aliud innuunt, nisi quod nova vita sit optimum indicium animae vere poenitentis.

R. Ad 2^{um}) *Negative,* quatenus necessaria est et sufficiens ad gratiam justificationis recuperandam. Est de fide ex TRID. (Sess. VI, can. 3) : « *Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* »

Explanatur. Gradus autem, i. e. **motus** seu **actus,** quibus adulti *ordinarie* perducuntur ad poenitentiam, ex S. THOM. (p. 3, q. 85, a. 5 in cor.) sequentes describuntur in CONC. TRID. (Sess. VI, c. VI) : 1°) Motus divinae gratiae excitantis atque adjuvantis ad conversionem juxta illud (THREN. V, 21) : « *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur;* » quibus verbis, Dei nos gratia praeveniri

confitemur. 2°) Motus fidei. 3°) Motus timoris, « *quo utiliter concutiuntur* » adeoque *non necessario.* 4°) Motus spei. 5°) Motus dilectionis Dei quo illum « *tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt.* » 6°) Motus poenitentiae « *adversus peccata per odium aliquod et detestationem.* » — Dixi : **ordinarie**; unde praefata doctrina de variis gradibus seu motibus vel actibus ad poenitentiam, ita intelligenda est, ut excepto praevenientis gratiae motu, qui semper est formaliter necessarius, reliqui possint in unico formali actu virtualiter seu implicite contineri, ita quidem, ut possit homo subito converti et unico instanti ad perfectam poenitentiam pervenire, quae sit cum gratiae sanctificantis infusione conjuncta. Quod confirmat S. Thom. (1. 2. q. 112, a. 2 ad 2) exemplo S. Pauli (Act. IX, 4 seqq.) : « *Quia subito,* ait, *cum esset in progressu peccati, perfecte motum est cor ejus a Deo, audiendo, addiscendo et veniendo ; et ideo subito est gratiam consecutus.* »

R. Ad 3^um^) *Sub distinctione.*

Explanatur. Ejus *objectum* **materiale** *remotum* est peccatum *personale*, non originale, neque alienum, quamvis et illa nobis displicere debeant (tom. 2, pag. 424 seq.). *Objectum* **formale** seu *motivum* est offensa seu injuria Dei reparabilis per aliquam satisfactionem seu compensationem. Dico : *aliquam ;* quamvis enim Deo pro injuria illata non possimus rigorose satisfacere, cum nihil possimus dare ex nobis, quod ante Dei non fuit; aequissimum tamen est, ut, qui contra sanctissimam ejus voluntatem, jus ac leges inique egimus, per poenitentiam in nobis vindicemus, et quantum in nobis est, ipsi satisfaciamus. Tandem objectum **materiale** *proximum* sunt omnes actus poenitentis, quibus haec reparatio exhibetur. « Unde non tantum dolor de peccato, qui est actus primarius, sed et oratio, jejunium, actus fidei et aliarum virtutum possunt esse objectum proximum poenitentiae, cum sint ordinabilia ad vindictam peccati, et ex hoc motivo assumi possint. » (Sass.)

Resolvitur. 1. Cum S. Thom. (p. 3, q. 85, a. 3 ad 1) « *poenitentia non est virtus* **theologica**, *quia non habet Deum pro objecto vel materia*, » sed virtus **moralis** cujus objectum vel materia « *non est Deus, sed actus humani, quibus Deus offenditur vel placatur.* » **Resol. 2.** Etsi ad quamlibet virtutem spectet destructio

peccatorum, cum quaelibet virtus inclinet ad detestandum malum inhonestum oppositum; quia tamen virtus POENITENTIAE procedit ex motivo proprio, i. e. peccata detestatur, ut sunt offensae divini juris expiabiles per inaequalem satisfactionem, recte dicitur virtus moralis **specialis. Resol. 3.** Virtus POENITENTIAE **non est justitia stricte dicta** : haec enim inter Deum et hominem dari nequit; tum quia non datur alteritas jurium, cum omnia bona et jura hominis sint essentialiter subjecta Deo; tum quia jus Dei laesum ex natura sua est irreparabile ad aequalitatem propter excellentiam Dei laesi. Reducitur tamen ad justitiam *secundum quid*, seu, aliis verbis : est pars potentialis seu species imperfecta justitiae, et quidem juxta S. THOM. (p. 3, q. 85, a. 3 ad 3), justitiae *commutativae*, quia fit secundum commutationem quamdam, quatenus pro offensa exhibetur emendatio et satisfactio, ratione cujus Deus remittit offensam, ex gratia tamen, quia satisfactio est imperfecta.

R. Ad 4^um^) *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) *Subjectum* **proximum** virtutis POENITENTIAE ex S. THOM. (p. 3, q. 85, a. 4) est *voluntas* : poenitentia enim est species justitiae, cujus subjectum proximum est voluntas seu appetitus rationalis. Unde quamvis memoria repraesentet peccatum et malitiam ejus proponat intellectus, voluntatis tamen est actus poenitentiae elicere et imperare. Quod si dolor sensibilis ex dolore spirituali de peccato subinde oritur, hic tamen non est proprie actus virtutis poenitentiae, sed quaedam passio, sine cujus motu quis potest esse vere poenitens. **2°**) *Subjectum* **remotum** ex S. THOM. (*Suppl.* q. 16, a. 1-3) est quilibet homo peccati reus seu capax. Poenitentia enim est virtus seu habitus quo homo promptus redditur ad dolendum de peccato commisso, in quantum est offensa Dei. Atqui non solum is qui peccatum commisit, sed etiam qui potest committere, potest esse promptus ad dolendum de peccato, casu quo committat illud. Ex quo sequitur : **1°**) Poenitentiam quoad habitum fuisse in Adamo antequam peccaret. **2°**) Esse in parvulis baptizatis, quia infunditur simul cum gratia. **3°**) Remanere in beatis, non solum quoad ornatum, sed etiam quoad actum, non quidem doloris, sed displicentiae et gratiarum actionis pro misericordia praestita et gaudii de satisfactione alias peracta. **4°**) Contra

non esse in Christo; quia absolute fuit impeccabilis; neque in B. M. V. : quia ex privilegio peccare non potuit; non datur autem habitus cujus actus ex omni parte est impossibilis; neque tandem in Angelis : quia immobili et inflexibili libertatis arbitrio post deliberatam electionem gaudent; unde poenitere non possunt, qui priorem voluntatem mutare non possunt.

Q. 3. Dic ; 1°) *Qualis* sit NECESSITAS virtutis poenitentiae et 2°) an ad remissionem peccatorum *venialium* necessaria quoque sit aliqua poenitentia?

R. Ad 1um) Ad justificationem et salutem obtinendam, adulto in peccatum mortale lapso necessaria est poenitentia : necessitate tam *medii*, quam *praecepti*, tum *naturalis*, tum *positivi*.

Explanatur. Constat ex TRID. (Sess. 14, cap. 1) ubi dicitur : « *Fuit poenitentia universis hominibus; qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam* **necessaria.** »

Et quidem 1°) necessaria est **necessitate medii**, ita ut peccatum mortale remitti nequeat sine poenitentia. « *Dicendum*, ait S. THOM. (p. 3, q. 86, a. 2 in c.), *quod impossibile est peccatum actuale* **mortale** *sine poenitentia remitti, loquendo de poenitentia quae est virtus.* » Necesse enim est, ut, qui per peccatum se a Deo avertit, per poenitentiam se ad Deum convertat. Et quidem pro remissione mortalium *per se* requiritur poenitentia *formalis* seu explicita; *per accidens* tamen sufficere potest *virtualis* seu implicita; et ita, si quis inculpabiliter peccatum suum ignoraret, potest illius remissionem obtinere *actu charitatis*, juxta illud (PROV. VIII, 17) : « *Ego diligentes me diligo.* » Quae charitas dicitur poenitentia *virtualis*, quatenus continet implicitum votum poenitentiae, si peccati memoria occurreret.

2°) Est etiam, supposito peccato actuali mortali, virtus poenitentiae necessaria **necessitate praecepti**, tum *naturalis*, quo quisque tenetur, ratione justitiae erga Deum, compensare injuriam illi illatam; et, ratione charitatis erga seipsum, applicare sibi media ad salutem necessaria ; tum *positivi* in SS. LL. saepius memorati. Utrumque praeceptum obligat sub *gravi*, tum per *se* tum

per *accidens*, omnes qui peccati mortalis sunt conscii. Et quidem obligat **per se** seu ratione sui : in *articulo* seu *morali periculo mortis*, ut instante pugna, tempore pestis, periculosae navigationis, morbi lethalis, etc., aut *amentiae perpetuae*. Interim, qui tunc sacramentum poenitentiae cum attritione suscepisset, cum peccati mortalis conscius non esset, non teneretur ad contritionem, licet contrarium ut tutius consulendum sit, quemadmodum de praecepto charitatis dictum fuit (tom. I, p. 313). Utrum vero, extra praefatum periculum, praeceptum poenitendi unquam *per se* obliget, DD. *disputant*. Communiter *affirmant* cum Bill. hoc sensu : quod non possit peccator absque novo peccato poenitentiam ad longum tempus differre. *Quanto* autem tempore differri possit, iterum *non una* est DD. sententia. Ex Sass. « saltem videtur non posse differri *ultra annum*, cum praeceptum Ecclesiae de confessione annua non videatur anticipare naturale praeceptum poenitentiae. » Alii aliter existimant. Quare, ut recte monet Lugo, frusta poenitens distincte in confessione desuper interrogaretur, cum nullum certum tempus assignari possit, lege vel ratione determinatum. Aliunde ex ipso discursu confessionis satis apparet, quomodo se habeat poenitens erga Deum. — Certe non obligat **statim**, ac quis peccatum mortale commisit; aut quando vel quoties illud practice recordatur : tum quia de hac obligatione non constat; tum quia homo sic deberet jam justificatus accedere ad sacramentum poenitentiae, quod proin non esset sacramentum mortuorum, sed viventium; tum quia sine certo fundamento nimium multiplicarentur peccata. Hoc aperte tradit S. Thom. (in 4, d. 17, q. 3, a. 1, q. 4 ad 2) inquiens : « *Non est de necessitate salutis corporalis quod statim medicina quaeratur, nisi quando necessitas curationis incumbit; et similiter est de morbo spirituali.* » Quod si alibi (2. 2. q. 62, a. 8) dicat : « *Manifestum est quod nec per modicum tempus licet in peccato morari, sed quilibet tenetur peccatum* statim *deserere;* » intelligendus est de permanentia in peccato actuali, seu affectu ad peccatum, ut patet ex contextu : nam ibi probat rem alienam debere statim restitui, dum commode potest, quia continuatio detentionis rei alienae peccatum est. Imo hoc quoque verum est, etiamsi ageretur de *Religiosis* (tom. I, pag. 95 seq.), cum ejusmodi obligatio statim poenitendi post peccatum vi professionis et votorum non sequatur; quamvis con-

trarium pie docuerit S. Bonav., hoc innixus principio, quod Religiosorum vita continua debeat esse poenitentia.—Nec etiam obligat, uti quibusdam visum fuit, **singulis diebus dominicis et festis,** cum ex usu et traditione Ecclesiae constet, ad sanctificationem festorum de praecepto plus non requiri, quam abstinere ab opere servili et missam audire, quod fieri potest ab exsistente in mortali. — Obligat vero **per accidens,** quoties urget aliud praeceptum, quod sine statu gratiae adimpleri nequeat, ut cum debet ex officio aliquod sacramentum conficere, aut Eucharistiam aliudve sacramentum vivorum suscipere; item, si quis putet, se aliter gravem tentationem vincere non posse.

R. Ad 2um) *Affirmative* ex S. Thom. (p. 3, q. 87, a. 2 ad 2): « *Dicendum*, ait, *quod peccatum* VENIALE *nunquam remittitur sine aliquali actu poenitentiae virtutis, explicito scilicet vel implicito.* » Nam generales Scripturae, Conciliorum et SS. Patrum locutiones exigunt poenitentiam ad *remissionem peccatorum*, neque ulla pro venialibus reperitur exceptio. Unde quoque Conc. Trid. (Sess. XIV, cap IV) generaliter pronuntiat : « *Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum contritionis motus necessarius.* » Cui doctrinae plane consonat S. Aug. (Epist. 48) inquiens : « *Nec quemquam putes a quocumque seu* MAGNO *seu* PARVO *peccato ad correctionem sine poenitentia posse transire.* »

Explanatur. Ratio ex S. Thom. (p. 3, q. 87, a. 1 in c.) est : quia peccatum veniale, licet non totaliter avertat voluntatem a Deo, sicut facit peccatum mortale, tamen affectum retardat, ne prompte in Deum feratur. Ergo, sicut, ut remittatur mortale, requiritur actus quo peccator doleat et detestetur suam voluntariam aversionem a Deo, qui actus est actus poenitentiae; ita, ut remittatur veniale, requiritur, ut homo detestetur retardationem sui affectus in Deum. At quoniam ad remissionem peccati venialis minor requiritur poenitentia quam ad remissionem mortalis, hinc per se non requiritur poenitentia formalis sicut pro remissione mortalium, sed sufficit virtualis, « *puta*, ait S. Thom. (ibid.), *cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum et res divinas, ut quidquid sibi occur-*

reret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei et doleret se commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret, quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem, » juxta dicta superius (pag. 186).

Resolvitur. 1. Omnia **media,** quibus remittuntur *venialia*,— vel praesupponunt aliquem motum poenitentiae, ut SACRAMENTA, per quae non fit infusio gratiae, ut docet S. THOM. (p. 3, q. 87, a. 2 in c.), « *sine actuali motu liberi arbitrii in Deum et in peccatum* » ; — vel, ut docet (*ibid.* a. 3), sunt « *cum aliquo motu detestationis peccatorum* », cujusmodi sunt tunsio pectoris ceteraque POENITENTIALIA ; — vel inclinant ad motum poenitentiae, « *in quantum sunt cum aliquo motu reverentiae in Deum et ad res divinas*, ut benedictio episcopalis vel sacerdotalis, aspersio aquae benedictae, aliaque SACRAMENTALIA. **Resol. 2.** Ex dictis patet multiplicem esse **differentiam** inter poenitentiam de peccatis *mortalibus* et poenitentiam de *venialibus*. Nam : **A**) *Major* debet esse dolor et detestatio de mortali quam de veniali. **B**) Pro remissione mortalium *per se* requiritur poenitentia formalis seu explicita ; pro remissione venialium *per se* sufficit implicita seu virtualis. **C**) Poenitentia de mortalibus debet se extendere ad *omnia et singula mortalia* cum proposito vitandi omnia et singula ; contra poenitentia de venialibus non debet esse de omnibus, nec propositum adesse debet vitandi omnia *collective*, ut postea latius dicetur. **D**) Poenitentia mortalium in N. L. includit *susceptionem* sacramenti vel *votum* ejus ; non sic poenitentia venialium quae aliis modis expiari possunt. **E**) Unum *mortale* non potest remitti sine alio ; bene vero unum *veniale* sine altero diversae speciei aut conditionis.

Q. 4. An *peccatoribus*, etiam OBDURATIS, detur *gratia sufficiens* ad poenitendum ?

R. Datur pro tempore et loco saltem mediate sufficiens.

Explanatur. Ratio est : quia Deus, ut dicitur (2 PETRI III, 9) « *patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed* OMNES *ad poenitentiam reverti* » ; omnesque saepe ad salutem et poenitentiam invitat, adeoque supponitur gratia non deesse, sine qua salutaris poenitentia est etiam physice impossibilis. Deinde, specialiter de

obduratis dicitur (Rom. II, 4-5) : « *An divitias bonitatis ejus et patientiae et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die irae.* » — Dixi : 1°) **pro tempore et loco**; quia non datur omni tempore, quamvis videatur semper illo tempore dari, quo urget poenitendi obligatio, nam ut dicit S. Leo (Serm. 16 *de pass.*) : « *juste nobis instat praecepto, qui praecurrit auxilio.*— Dixi : 2°) **saltem mediate sufficiens** : quia nequidem justis datur semper proxime sufficiens; sed, ut ait Trid. (Sess. 6 *de just.* cap. XI), « *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat, ut possis.* »

Q. 5. *Quae* sit efficacia poenitentiae?

R. Ex S. Thom. (p. 3, q. 86-89) talis est, ut, si rite adhibeatur, valeat obtinere : 1°) remissionem peccatorum; 2°) remissionem poenarum; 3°) reviviscentiam meritorum, et 4°) recuperationem virtutum infusarum per peccatum amissarum.

Explanatur. 1°) Per poenitentiam **quaelibet peccata** actualia **possunt remitti**, ita ut nullum sit peccatum tam grave, nullusque peccatorum tantus numerus, quod per eam non deleatur, si debitis stipata sit qualitatibus. Sicut enim Deus indifferenter omnes peccatores invitat ad poenitentiam, sic etiam omnes invitat ad veniam, quam poenitentibus promittit, juxta verba (Ezech. XVIII, 21 seq.) : « *Si impius egerit poenitentiam,... omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor;* » Et (Isa. I, 18) : « *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* » Unde quoque nuspiam legitur Christum Dominum de culpa a Petro commissa, sive in publico, sive privatim, fuisse locutum. Contrarium derogat efficaciae gratiae divinae et infinito valori meritorum Christi, a quibus poenitentia habet suam efficaciam. — Dum autem aliqua peccata dicuntur *non dimitti*, id intelligendum est : vel ea remitti *difficulter* ex defectu dispositionis in iis qui certorum criminum rei sunt; vel ea non remitti sicut remittuntur per baptismum quo obtinetur totalis renovatio, ita ut cum culpa simul tollatur reatus omnis poenae; vel intelligitur de impoenitentia finali. Ex quibus sequitur, poenitentiam, si rite adhibeatur, infal-

libiliter Deo reconciliare. — Interim observandum est : **A**) Unum peccatum *mortale* non posse remitti *sine alio mortali :* quia gratia sanctificans, quae per remissionem infunditur, stare non potest in anima simul cum reatu alterius peccati mortalis. **B**) Unum *veniale* remitti posse *sine alio veniali :* quia venialia non sunt inter se connexa. Hinc potest quis de uno veniali vere, licet non perfecte, poenitere, quin poeniteat de altero, saltem si hoc ad diversam speciem pertineat. **C**) Unum *mortale* remitti posse *sine veniali :* quia nihil obstat, quin infundatur gratia sanctificans, manente culpa veniali, cum non sint incompatibiles. Econtra **D**) unum *veniale* remitti non posse, saltem probabilius, *sine mortali :* quia videtur indignus venia ille, qui eam petit ab eo, cujus vult manere inimicus. Aliunde remissio venialium videtur esse quasi quaedam redintegratio ad Dei familiaritatem, quae essentialiter praesupponit ejus amicitiam, adeoque hominem in gratia.

2°) **Remissa culpa, semper remittitur poena aeterna.** Remanet tamen saepe poena temporalis, vel in hoc, vel in futuro saeculo obeunda. Est de fide ex Trid. (Sess. XIV *de poenit.*, can. 12): « *Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo... anathema sit.* » Id etiam probat exemplum Davidis (2 Reg. XII) qui morte filii sui mulctatus legitur in poenam adulterii et homicidii, postquam culpae remissionem obtinuerat et a propheta Nathan audiverat : « *Dominus transtulit peccatum tuum.* » Nonnunquam tamen tota poena temporalis simul cum culpa remittitur; sed ad hanc plenam et integram remissionem ex Trid. (Sess. XIV *de poenit.*, cap. 2) « *sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente gratia, pervenire nequaquam possumus, ut merito poenitentia laboriosus Baptismus a SS. PP. dictus fuerit.* » Itaque si contritio valde intensa sit, poterit tota poena temporalis remitti.

3°) Obtinetur **reviviscentia meritorum** : i. e. opera *mortificata* (tom. I, pag. 72), seu quae ex gratia facta sunt ab homine justo et viva et meritoria fuerunt, sed per subsequens peccatum vitam illam amiserunt, ad pristinum statum redeunt, si peccator per poenitentiam redeat ad statum gratiae, juxta illud (Ezech. XXXIII, 12) : « *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* » Noceret vero plurimum, si priorum meritorum fructum perderet. Quae quidem sententia, licet

non sit de fide, est tamen certa et unanimiter asserta cum S. Thom. (p. 3, q. 89, a. 5) ab omnibus Theologis. — **Nec obstat**, quod de justo, qui peccavit mortaliter, dicatur (Ezech. XVIII, 24) : « *Omnes justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* » Id enim intelligendum est de justo *finaliter* peccante : subditur enim immediate : « *In praevaricatione, qua praevaricatus est, et in peccato quod peccavit, in ipsis morietur.* » — Interim in quo **gradu** seu in qua **quantitate** merita per peccatum mortificata reviviscant per poenitentiam, inter DD. *disputatur.* Duae praecipuae sententiae recensentur. — *Alii* cum S. Thom. (p. 3, q. 89, a. 2 in cor. et ad 2; — a. 5 ad 3) censent, merita mortificata reviviscere in majori vel minori quantitate, prout major vel minor est praesens dispositio illius qui nunc justificatur. Quare merita, aiunt, aliquando reviviscunt *integre*, i. e. ad totum praemium ad quod ante peccatum erant acceptata ; aliquando *non integre*, sed ad partem tantum, secundum proportionem dispositionis praesentis. — *Alii* docent cum Suar., ea reviviscere integre et adaequate ad omne praemium essentiale, i. e. ad totam gratiam et gloriam, quae ante peccatum ipsis debebatur, quantumvis remissa sit poenitentia : quia remoto impedimento, scilicet peccato, nihil est seu assignari potest, unde efficacitas illorum meritorum diminui potuerit. Accedit, aiunt, quod alias non esset perfecta et absoluta remissio peccatorum. Ex quo sequeretur, hominem, qui postquam semel fuit justificatus, in peccatum lapsus est, nunquam ab eo resurgere nisi in majori gratia, quam antea habuerat : quia scilicet supra gratiam antiquis meritis debitam, etiam recipit gratiam debitam poenitentiae, per quam resurgit. — Juxta Billuart, sententia S. Thom. « in hoc est caeteris anteponenda, quod media via incedat inter nimium rigorem et nimiam indulgentiam : nimius namque rigor videtur, quod homo poenitens non resurgat nisi ad gloriam essentialem quae praecise respondet dispositioni praesenti, et nullatenus ad aliquam saltem partem illius quae debebatur meritis praecedentibus.... Ex altera parte videtur nimia indulgentia, quod poenitentes semper resurgant ad majorem gratiam et gloriam. » — Dixi : **opera mortificata** ; nam ad opera **mortua** quod attinet, i. e. opera illa bona, quae quidem ex gratia fiunt, sed ab homine constituto in peccato mortali, haec quidem non reviviscunt, cum nunquam vixerint, quippe quae ab initio vitam non habuerint

ob defectum status gratiae, juxta illud (1 Cor. XIII, 1-3) : « *Si linguis hominum loquar et angelorum,... charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* » Nihilominus extra statum gratiae exsistentibus opera pia adhuc omnino sunt suadenda : possunt enim per illa *de congruo* (tom. I, pag. 72) impetrare gratiam poenitendi et merito dicunt : *peccatores te rogamus, audi nos ; ut nobis parcas, ut nobis indulgeas.* Hinc falsissima est et merito damnata a Clem. XI Const. « *Unigenitus* » (8 Sept. 1713) haec Quesnelli propositio sub n. 59 : « *Oratio impiorum est novum peccatum, et quod Deus illis concedit est novum in eos judicium.* »

4°) Obtinet **recuperationem virtutum infusarum per peccatum amissarum** : nam per poenitentiam remittuntur peccata haecque remissio non fit sine infusione gratiae sanctificantis ; atqui gratiam sanctificantem virtutes infusae tanquam comites subsequuntur, sicut ex essentia animae fluunt omnes potentiae; ergo, recuperata per poenitentiam gratia, virtutes, ejus comites, recuperari necesse est. — **Nec obstat,** quod justificatus interdum magnam difficultatem sentiat in exercitio virtutum : quia cum virtutibus supernaturalibus possunt manere habitus vitiosi nostris actibus comparati quos non illico tollunt virtutes supernaturales, quae nostris actibus non gignuntur, sed a Deo nobis infunduntur. — **Nec objicias** : virginitas et innocentia amissae per peccatum restitui non possunt per poenitentiam. Virginitas enim consistit in integritate carnis absque omni experimento delectationis venereae; innocentia vero in integritate mentis ab omni peccato. Atqui fieri non potest quod qui expertus est veneream delectationem, non sit expertus; et qui peccavit, quod non peccaverit. Ergo. **Resp.** cum S. Thom. (2. 2. q. 152, a. 3 ad 3) : Neg. *Ant.* Ad prob. *Dist. maj.* Virginitas quoad suum materiale consistit in integritate carnis absque omni experimento delectationis venereae; et similiter innocentia, quoad suum materiale in integritate mentis ab omni peccato, *Conc. Maj.* Quoad suum formale *Neg.*, et concessa *Min.*, *Dist. Cons.* Ergo virginitas et innocentia amissae restitui non possunt, quoad suum materiale, *Conc.* Quoad suum formale, *Ney.* Formale autem in virginitate est inclinatio seu propositum perpetuo abstinendi a delectatione venerea; et

in innocentia, inclinatio, seu propositum vitandi omnia peccata; et quoad haec restituuntur per poenitentiam.

Q. 6. *An* peccata *semel dimissa* REDEANT per *subsequens peccatum?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Non redeunt **simpliciter,** i. e. quoad culpam et poenam : quia Deus in Scriptura *absolutam* promittit veniam peccatorum, non autem *conditionatam*, donec homo relabatur. Dicuntur tamen redire **secundum quid**, i. e. hoc sensu, quod peccatum sequens inducat similem privationem et similem reatum poenae aeternae ac praecedentia remissa, sicut febris dicitur redire, dum quis sanatus rursus in febrim incidit; vel quod ratione ingratitudinis subsequens peccatum fiat gravius et dignum majori poena. Quae ingratitudo praecipue occurrit, dum post remissionem quis incidit in unum ex his quatuor peccatis, scilicet : in *odium fraternum*, *apostasiam a fide*, *contemptum confessionis* et *dolorem de poenitentia habita*, juxta sequens distichon a S. THOM. (p. 3, q. 88, a. 1) relatum :

> FRATRES ODIT, APOSTATA FIT, SPERNITQUE FATERI,
> POENITUISSE PIGET, PRISTINA CULPA REDIT.

Nam **odium** *fraternum*, quo venia fratri denegatur, adversatur Dei misericordiae, a qua remissio profluxit; **apostasia** *a fide* adversatur motui fidei quo ad poenitentiam pervenitur; **contemptus** *confessionis* et **dolor** *de peracta poenitentia* adversantur illis ipsis mediis quibus remissio obtenta fuit. Interim ingratitudo hominis, post remissum peccatum iterum peccantis, non est speciale peccatum, in confessione exprimendum, nisi forte adfuerit expressa voluntas contemnendi beneficium Dei in priori remissione acceptum. — Quod autem non redeant **simpliciter,** sicut opera *mortificata*, ratio ex S. THOM. (p. 3, q. 89, a. 5 ad 1) est : quia peccata per poenitentiam penitus abolentur, opera vero bona, in charitate facta, non plane exstinguuntur per peccatum subsequens, sed manent in acceptatione Dei, quamvis impedimentum accipiant ex parte hominis; et ideo, remoto impedimento quod est ex parte hominis, Deus implet, ex parte sua, illud quod opera merebantur.

Q. 7. *An* 1°) justificatio impii fiat per FORMAM INHAERENTEM ; et 2°) *an* quis possit esse CERTUS de sua *justificatione?*
R. Ad 1^um^) *Affirmative.*

Explanatur. TRID. (Sess. VI *de just.*, can. XI) contra haereticos definit : « *Si quis dixerit hominem justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, seclusa gratia et charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur atque illis inhaereat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.* » Itaque justificatio peccatoris non fit per imputationem extrinsecam justitiae qua Deus justus est aut justitiae Christi, sed per veram et intrinsecam justitiam, « *qua*, ut docet idem TRID. (*ibid.* cap. 7), *nos justos facit*; *qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae, et non solum reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes* », seu per gratiae habitualis infusionem, adeoque per **formam inhaerentem**. Est enim gratia non tantum peccatorum remissio, seu favor Dei, sed *forma*, seu, ut utar verbis CATECH. CONC. TRID. (*de bapt.* n. 50) : « *divina* QUALITAS *in anima inhaerens, ac veluti splendor quidam et lux, quae animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores et splendidiores reddit.* » Ex quibus omnibus manifeste apparet, quantopere circa christianam justificationem errent Novatores Saec. XVI. Hi enim, LUTHERUM et CALVINUM secuti, tanquam palmare suae doctrinae principium statuerunt : humanam naturam intrinsece et essentialiter fuisse corruptam peccato originali, quod ei veluti mala radix inhaeret, et cujus manifestationes sunt peccata nostra actualia, quasi malae arboris flores et fructus. Ex quo deducebant per justificationem, quam Christus nobis morte sua promeruit, peccatorem interius non renovari; peccata, cum culpa remaneat, non vere deleri, sed tantum tegi seu non imputari; adeoque justificationem esse totam extrinsecam; seu aliis verbis, juxta dicta (tom. 2, p. 379) justitiam christianam esse ipsam formalem justitiam Christi quae singulis imputatur, dum singuli per fidem hanc Christi justitiam apprehendunt, quatenus fide speciali credunt sibi propter Christi justitiam sua peccata remitti seu non imputari. Hinc docuerunt : **1**. *Solam fidem* justificare; **2**. Sacramenta et Sacrificium *non con-*

ferre gratiam, sed esse mera signa externa quibus fides in misericordiam Dei et in promissiones divinas erigitur et excitatur.

R. Ad 2um) Ex TRID. (Sess. VI *de just.*, cap. 9) seclusa revelatione, « *nullus scire valet certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum* »; quia, ut dicitur (ECCL. IX, 1-2) : « *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.* » Tamen potest ex aeternorum desiderio, peccati odio, mandatorum exsecutione et affectu erga Deum, probabilem conjecturam habere, quod sit justus, et hoc sensu « *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod simus filii Dei,* » ut dicitur (ROM. VIII, 16).

Q. 8. *Quodnam* sit DISCRIMEN inter *virtutem* et *sacramentum* poenitentiae?

R. In his *quatuor* consistit.

Explanatur. 1°) Quod **virtus** sit generalior, semper post lapsum, etiam primis parentibus, necessaria ad delenda peccata; **sacramentum** vero post evangelium satis promulgatum est necessarium non absolute, sed in re vel in voto. **2°**) Quod **virtus** se extendat ad peccata ante baptismum commissa, non sic **sacramentum**. **3°**) Quod **virtus**, ut justificet, requirat dolorem perfectum; in **sacramento** sufficit dolor imperfectus seu attritio. **4°**) Quod **virtus** causet gratiam *ex opere operantis*; **sacramentum** vero *ex opere operato*.

PARS SECUNDA.

DE POENITENTIA UT EST SACRAMENTUM.

SECTIO PRIMA.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE SECUNDUM SE.

CAP. 1. De quidditate sacramenti poenitentiae deque ejus necessitate et effectibus.

Q. 9. *Quid* sit SACRAMENTUM poenitentiae?

R. *Est sacramentum N. L. a Christo institutum per*

formam judicii ad peccata post baptismum commissa remittenda, homini contrito et confesso, per absolutionem sacramentalem.

Explanatur. DICITUR : 1°) **sacramentum N. L.** : in antiqua enim lege erat quidem poenitentia, sed ut *virtus* tantum.

DICITUR : 2°) **a Christo institutum**; et quidem ex TRID. (Sess. XIV *de poenit.*, cap. 1) « *Dominus sacramentum poenitentiae tunc* PRAECIPUE *instituit..., cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens :* ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM; QUORUM REMISERITIS PECCATA REMITTUNTUR EIS, ET QUORUM RETINUERITIS, RETENTA SUNT. » Utitur autem voce **praecipue,** quia jam ante suam passionem institutionem istius sacramenti promiserat et quasi inchoate instituerat Christus (MATTH. XVI, 19 et XVIII, 18). Imo ex S. THOM. (p. 3, q. 84, a. 7) : « *Dominus in principio praedicationis suae indixit hominibus, ut non solum poeniterent, sed etiam poenitentiam agerent, significans determinatos modos actuum qui requiruntur ad hoc sacramentum.* » **Cur** autem Christus hoc sacramentum instituerit, ex CATECH. CONC. TRID. « *causa fuit, ut de remissione peccatorum quam Deus pollicitus est, cum ait :* SI IMPIUS EGERIT POENITENTIAM, *etc., minus dubitare nobis liceret,* » adeoque « *conscientiae nostrae, ob fidem quae Sacramentorum virtuti merito habenda est, pacatiores redderentur.* » Deinde, « *ut hujus sacramenti vi et efficientia Christi sanguis ad nos defluens peccata post baptismum admissa eluerit, atque ita reconciliationis beneficium illi uni Salvatori nostro acceptum referre profiteremur.* »

Dicitur : 3°) **per formam judicii,** et quidem *reconciliativi.* Adest enim poenitens simul *reus, testis* et *accusator* (cui proinde regulariter credendum est tum contra se, tum pro se loquenti), et sacerdos *judex* ferens sententiam. Ad distinctionem autem judicii FORENSIS quod tendit ad puniendum reum, et ideo vocatur *vindicativum*, judicium SACRAMENTALE tendit ad reum absolvendum et Deo reconciliandum, et ideo vocatur *reconciliativum.*

DICITUR : 4°) **ad peccata**; scilicet absque *ulla restrictione*, adeoque ad remittenda non solum *venialia*, sed et *mortalia*, et inter haec *gravissima*. Quod dictum sit : **A**) Contra LUTHERANOS et JAN-

SENISTAS qui impugnant confessionem *venialium*, ut sic melius confessionem odibilem redderent. Sublata enim confessione venialium, sola fieret confessio de mortalibus; quae, cum palam proderet interiorem animi statum, ex timore se publice prodendi similiter relinqueretur. **B**) Contra illos omnes, qui potestatem clavium coarctant, quales fuerunt : tum MONTANISTAE, qui graviora crimina, ut idololatriam, homicidium, adulterium ab Ecclesia absolvi non posse contendebant; tum NOVATIANI, primo sustinentes lapsis in persecutione veniam indulgeri non posse, quam inclementiam postea ad alia graviora crimina extenderunt, et demum ad omnia peccata post baptismum commissa; tum DONATISTAE, asserentes invalidam esse absolutionem datam *Traditoribus*, quo nomine vocabantur ii, qui tempore persecutionum, metu poenarum fracti, libros sacros aliasve ecclesiarum res magistratibus prodebant; (de quibus omnibus egi in opere : PRINCIPIA ET ERRORES).

DICITUR : 5°) **post baptismum commissa**; quibus verbis asseritur : **A**) contra PROTESTANTES, poenitentiam esse sacramentum *distinctum* a baptismo ejusque memoria. Quocirca notandum est : Cum Novatores Saec. XVI existiment sola fide hominem justificari per non imputationem peccatorum sive commissorum sive committendorum, et baptismum habeant veluti signaculum hujus justificationis et pignus divinarum promissionum credentibus factarum; sufficit, juxta ipsos, in memoriam revocare baptismum, ut excitetur illa fides qua condonantur seu non imputantur peccata; atque eatenus dicunt baptismum ejusque memoriam esse sacramentum poenitentiae. **B**) His verbis asseritur sacramentum poenitentiae *solis baptizatis* administrari posse, tum quia baptismus est janua aliorum sacramentorum, tum quia Ecclesia de iis, qui foris sunt, non potest judicare.

DICITUR : 6°) **homini contrito et confesso per absolutionem sacramentalem**; quibus verbis *tres partes* indicantur, sine quibus valor sacramenti subsistere non potest. Non adnumeratur *satisfactio :* quia sine illa *in re* subsistere potest valor sacramenti, ut patet in moribundo, qui non est amplius capax satisfactionis. Dico : *in re;* quia satisfactio in *proposito* includitur in *contritione*, quae sine eo vera esse nequit.—Et quidem *absolutionem* esse partem *essentialem* et principalem, apud omnes in confesso est. Sacramen-

tum enim poenitentiae institutum est per modum judicii, quod principaliter importat sententiam judicis; et aliunde absolutio principaliter significat et operatur remissionem peccatorum. Quod vero *contritionem* et *confessionem* attinet, sine dubio etiam sunt partes *essentiales*, hoc sensu, quod sine illis reipsa habitis non habeatur sacramentum *validum*. Et in his terminis omnes omnino DD. conveniunt, etiam *Scotisticae* doctrinae sectatores. — Ast, utrumne sint partes proprie essentiales per modum *verae materiae*, apud *speculativos* multum disputatur, quamvis *ad* **praxim** nil referat, quidquid dicatur. Et quidem *affirmant* Thomistae : quia sacramentum poenitentiae non constat *sola* sententia judicis, sed *simul* accusatione dolorosa et absolutione rei. Scotus vero cum suis et non paucis aliis, quos inter Maldonatus, *negat* tenetque totam essentiam sacr. poenit. consistere in sola absolutione sacerdotis; contritionem vero et confessionem esse tantum partes materiales actu requisitas per modum conditionis *sine qua non*, quatenus judex sacramentalis non potest ferre sententiam sine cognitione causae et dispositione poenitentis; quemadmodum etiam in aliis judiciis accusatio rei et cognitio causae non proprie ad essentiam, sed potius ad integritatem judicii spectant. Unde in hac sententia absolutio, quatenus est externa quaedam caeremonia est *materia;* et quatenus habet vim significandi est *forma*. Atque ad hanc doctrinam confirmandam provocant ad auctoritatem CC. Florent. et Trid., quae, dum assignant materias sacramentorum baptismi, confirmationis, etc., eas simpliciter vocant *materias;* ubi e contra actus poenitentis non absolute et simpliciter, sed addita particula diminutiva, *quasi-materiam* appellant. Verum, rectene id faciant Scotistae, ipsi accipiant ex Catech. Rom., cujus auctores Conc. Trid. interfuerunt : « *Neque vero hi actus*, inquiunt, quasi-materia *a Sancta Synodo appellantur, quia verae materiae rationem non habeant; sed quia ejus generis materia non sint, quae extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo et chrisma in Confirmatione.* » Quae quidem explicatio, ex D. Soto ad verbum desumpta, plane congruit doctrinae S. Thom. (p. 3, q. 84, a. 1 ad 1 et 2). Eodem quoque modo verba CC. Flor. et Trid. interpretati sunt DD. gravissimi, quos inter, ne loquar de inclytae scholae Thomistarum Magistris, citantur B. Canis., Valent., Bell., Suar., Vasq., Con., Lug., Tourn., Plat., aliique pene innu-

meri. Imo, inter ipsos Scotistas, fatetur celeber And. Vega, Ord. FF. Min. Conv., qui et Conc. Trid. interfuit, doctrinam S. Thom. « *magis consonam apparere* CC. Flor. *et* Trid. *definitionibus.* » Absit tamen, ut censurare velim Scoti sententiam, cui, teste Pallav., nec Trid., nec Flor. officere voluerunt. — Ceterum, ut monui, totam hanc controversiam nihil ad **praxim** referre, ipsi Scoti discipuli voce confitentur quasi unanimi : Sporer, inter Theologiae Principes jure merito salutatus; Herincx, Mastrius, Poncius, Bosco, Dupasquier, Cavellus, Delgadillo, Sasserath, « *Scotisticae sententiae amator singularis, doctrinae* Scoti *defensor acerrimus.* » Dissentit tamen P. Van Der Velden, haecque scibere non dubitat : « Conc. Trid. non repugnat, si quis sustineat simplices fideles qui post examen conscientiae suae continuo dicunt suum *Pater*, nec explicite de actu doloris cogitant, sed bona fide peccata sua confitentur, valide percipere absolutionem. » Cujus doctissimi viri sententiam novissime instaurare conatus est H. Van Rooy, qui et addit : « Ex hac Scoti sententia sequitur in omnibus quaestionibus, ad tres poenitentiae actus pertinentibus, non necesse esse, ut utamur parte *tutiori*, sicut fiat oportet in materia sacramentorum. » Et rursus : « Non certo probatur tres poenitentiae actus hujus sacramenti materiam esse stricte dictam, eo modo quo v. g. aqua aut lotio est materia baptismi; ergo non probatur hujuscemodi quasi-materiae applicandam esse regulam quae dicit : in materia sacramentorum tutior pars est eligenda. » De quibus propositionibus quid sentiendum sit, ex ante dictis licet judicare. De hac controversia late scripsi in opere : Principia dogmatico-moralia universae Theologiae sacramentalis.

Resolvitur. Quartum N. L. sacramentum, quod vocatur Poenitentia, quia tres actus poenitentiae, scilicet *contritio*, *confessio* et *satisfactio*, ad illud constituendum concurrunt, jure merito variis adhuc nominibus insignitur. Sic vocatur : 1°) **Sacramentum confessionis,** seu *confessio*, graece ἐξομολόγησις, a parte ipsius magis sensibili. 2°) **Sacramentum absolutionis**, ab actu sacerdotis poenitentem absolventis a vinculo peccatorum. 3°) **Sacramentum reconciliationis**, quia hominem cum Deo reconciliat. 4°) **Manus impositio,** a caeremonia in collatione hujus sacramenti usurpari solita. 5°) **Baptismus laboriosus**, quia, ut

explicat Trid. (Sess. XIV *de poen.*, cap. 2), ad vitae novitatem et integritatem in baptismo acquisitam et dein deperditam, « *per sacramentum poenitentiae, sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus.* » 6°) **Secunda post naufragium tabula**, quam metaphoram post S. Thom. (p. 3, q. 84, a. 6) sic Catech. C. Trid. (n. 1) explicat : « *Ut enim confracta navi, unum vitae servandae perfugium reliquum est, si forte tabulam aliquam de naufragio liceat arripere ; ita post amissam baptismi innocentiam, nisi quis ad poenitentiae tabulam confugiat, sine dubio de ejus salute desperandum est.* »

Q. 10. *Qualis* necessitatis sit sacramentum poenitentiae ?

R. 1°) Sacramentum poenitentiae, *in re vel in voto* susceptum, est necessarium ad salutem *necessitate medii* omnibus post baptismum lapsis in peccatum mortale, ita ut, si adsit sacerdos et facultas illius suscipiendi, *in re* suscipi debeat ; si vero secus, sufficiat illius *votum* saltem *implicitum*, quod in actu perfectae charitatis, vel actu perfectae contritionis, vel in martyrio continetur. R. 2°) Sacramentum poenit., *in re* susceptum, est etiam necessarium *necessitate praecepti*, tam *divini*, quam *ecclesiastici*.

Explanatur. Primum seu **divinum** obligat *sub gravi* omnes baptizatos, qui illius suscipiendi sunt capaces et conscii sunt peccati mortalis nondum directe clavibus subjecti ; obligat autem aliquando *per se*, aliquando *per accidens*. Obligat **per se** : 1°) Tum in *probabili periculo mortis*, vel *amentiae*, vel *alterius impedimenti*, ob quod praevidere quis potest, se nunquam habiturum occasionem confitendi peccata sua. 2°) Tum *aliquoties in vita*. Interim *quoties* determinate obliget, non scitur. Recte tamen videtur concludi, quod praecepto huic divino satisfaciant, qui semel in anno confitentur : quia cum Ecclesia non plus exigat, non satis fidelium saluti providisset, si praeceptum divinum plus exigeret. Obligat vero **per accidens** : 1°) Ad statum gratiae acquirendum, si agatur de susceptione Eucharistiae (pag. 64 seq.). 2°) Si quis putaret, se aliter gravem tentationem vincere non posse. — De secundo praecepto seu **ecclesiastico** diximus (tom. I, pag. 522 seqq.).

Q. 11. *Quinam* sint effectus sacramenti poenitentiae ?

R. Lapsis in peccatum post baptismum confert *ex opere operato* eosdem effectus, quos producit *ex opere operantis* virtus poenitentiae, si sit dolor perfectus (pag. 190 seqq.).

CAP. 2. De materia sacramenti poenitentiae.

Q. 12. *Quotuplex* sit MATERIA hujus Sacramenti?

R. Materia sacramenti poenitentiae est *duplex* : REMOTA et PROXIMA.

. **Explanatur. 1°)** Materia **remota** sunt omnia et sola peccata post baptismum a confitente vere commissa, quae etiam dicuntur materia *circa quam*, quia circa illa destruenda versatur actio sacramentalis; eo fere modo quo vulnera et morbi dicuntur materia artis medicae. Unde quoque ait S. THOM. (p. 3, q. 84, a. 2) : « REMOTA MATERIA *Poenitentiae sunt peccata, non acceptanda, sed detestanda et destruenda.* » — Haec autem materia REMOTA *dupliciter* distinguitur : *necessaria* et *libera* seu *mere sufficiens*. **A)** Materia **necessaria** sunt mortalia post baptismum commissa, nondum in confessione exposita et per subsequentem absolutionem directe remissa, adeoque etiam mortalia per contritionem perfectam jam remissa, aut per absolutionem remissa indirecte, ob inculpabilem v. g. oblivionem vel aliam justam causam omissa; non vero mortalia quae ante baptismum commissa sunt. — Utrum vero ad materiam *necessariam* pertineant peccata mortalia, quae in ipsa susceptione baptismi committuntur, ut si adultus sine fide, sine spe baptismum susceperit, aut si, dum baptizaretur, turpe aliquid concupiverit; aliis verbis : si baptismum susceperit cum *fictione* seu *obice positivo*, inter DD. *disputatur*. Alii *affirmant* : quia in baptismo character prius natura infunditur quam gratia, ita ut, quando homo per sacrilegium ponit obicem gratiae baptismali, jam christianus sit, et ideo jam sacramento poenitentiae subjectus pro illo sacrilegio (tom. 2, pag. 376). Alii *negant* cum S. LIG. (VI, 427), qui tamen fatetur, DD. « *communissime* » aliter sentire. — **B)** Materia **libera** et **sufficiens** sunt venialia necnon mortalia modo confessa et per absolutionem directe remissa. Ideo sunt materia *libera* : quia non datur praeceptum ea confitendi; ideo vero *sufficiens* :

quia sunt equidem peccata commissa et Christus generatim dixit (Joan. XX, 22) : « *Quorum remiseritis peccata*, etc. » Hinc merae **imperfectiones**, v. g. quod non responderis divinis inspirationibus quoad ea quae consilii sunt; non feceris bona, quae facile potuisti; mane et vespere vel ante sumptum cibum non oraveris; senseris inclinationes ad iram, vel in adversis habueris tristitiam, et alia hujusmodi, non sunt *per se* materia sufficiens. Attamen confessarius non debet facile impedire confitentem talia, nisi sit scrupulosus, quia illorum expositio inservit ad humilitatem, ad petendum consilium, et saepius hujusmodi imperfectiones peccatum veniale adjunctum habent; ut si religiosus transgrediatur regulam non obligantem sub peccato, ordinarie comitatur peccatum sensualitatis, curiositatis, impatientiae, aut negligentiae culpabilis; et ideo dixi : *per se*. Pro majori tamen securitate, dum similia adferuntur, addatur aliquod veniale certum ex prioribus confessionibus, desuper cum dolore se accusando; et ne confessarius poenitentem et se ipsum divexet, ipsemet proponat illi unam alteramve peccatorum speciem, dicendo v. g. : *Numquid de omnibus peccatis tuis doles teque accusas, praesertim de peccatis contra 4^um^, contra 6^um^ praeceptum?*

2°) Materia **proxima** sunt actus poenitentis : *contritio*, *confessio* et *satisfactio*, non quidem *in re* (pag. 198) seu quatenus est adimplenda; sed in *voto* seu *proposito*, i. e. in quantum a poenitente est acceptanda : quia per hos actus proxime applicantur peccata per sacramentum poenit. remittenda. Dicuntur etiam materia *ex qua :* quia ex iis constituitur hoc sacramentum. Ceterum, quia CC. Flor. et Trid. hos actus vocant *quasi-materiam*, probabile est, illos non esse partes essentiales stricte dictas, sed solum conditiones *sine quibus non*. Quod ad praxim nihil refert (pag. 199 seq.).

Resolvitur 1. Pueris ante usum rationis et perpetuo amentibus sacramentum poenitentiae administrari nequit, quandoquidem peccare non potuerint. **Resol. 2.** Adultus qui cum debita dispositione suscepit baptismum, non potest sacramentaliter absolvi, nisi post baptismum commiserit aliquod peccatum, saltem veniale, quia alias deest materia. **Resol. 3.** Peccatum *formalis* fictionis seu obicis in baptismo admissum, i. e. indigna susceptio baptismi aut aliud mortale in susceptione baptismi commissum et usque ad

ejus consummationem actualiter durans, juxta sententiam *communissimam* debet in confessione exprimi. Rationes sunt : **A**) Hoc peccatum est natura posterius baptismo, quia completur per indignam ejus susceptionem : consistit enim in hoc, quod ponatur obex sacramento suscepto. **B**) Haec peccata sunt commissa ab homine christiano : baptismus enim in instanti, quo completur, efficit hominem christianum et membrum Ecclesiae; sicut professio religiosa in instanti, quo emittitur, facit religiosum, adeo ut, si eo instanti inhaereret turpi cogitationi, foret sacrilegus. — **Nec objicias** : Ex TRID. materia hujus sacramenti sunt peccata post baptismum commissa; ergo non in instanti illius. **Resp.** *Neg. cons.* Excluduntur tantum peccata ante baptismum commissa, sicut dum dico : post solis ortum fugantur tenebrae, solum excludo tempus antecedens, non illud, in quo sol oritur ; vel loquitur de eo, quod ordinarie fit; ordinarie autem non adsunt haec peccata, vel saltem continuantur ultra instans baptismi, si durent, usque dum completur baptismus.

Q. 13. *An* RECTE exponantur : 1°) *mortalia* jam rite confessa et directe absoluta ; 2°) *venialia?*

R. Ad 1^um^) *Affirm.*, per se.

Explanatur. Ratio est : quia eadem injuria potest saepius condonari ; ergo et eadem peccata saepius remitti. Aliunde peccata jam remissa ex se semper sunt digna odio et dolore, nec forma est falsa ; habet enim hunc sensum : *confero tibi gratiam de se remissivam peccati,* quod verum est, licet peccata jam sint remissa, ut patet, si cum contritione perfecta accedas. Accedit ex S. THOM. (*Suppl.* q. 18, a. 2 ad 4), magna bona ex confessione talium peccatorum provenire : nam iterata contritione et confessione animus ab istis peccatis elongatur ; per iteratam absolutionem plenior remissio poenae obtinetur ac poenitens magis contra relapsum roboratur. — **Nec objicias** : 1°) Nemo potest solvi qui non est ligatus : ergo nec absolvi a peccato quod non adest. **Resp.** *Dist. ant.* In PHYSICIS ubi objectum immediatum sunt vincula, *conc.* ; in MORALIBUS, ubi objectum immediatum est gratia, *neg.* : quia, ut dixi, injuria potest saepius condonari. — **Nec objicias : 2°**) Ad novum sacramentum requiritur nova materia, quia novum compo-

situm; ergo ad novam confessionem novum peccatum. **Resp.** *Dist. ant.* Nova materia PROXIMA, quae hic est nova confessio, *trans;* REMOTA, *neg.* Sic idem instrumentum servit pro collatione plurium Ordinum.

Dixi in Resp. : **per se**; quia *per accidens* non expedit illa peccata iterato confiteri, ut si inde timendi sint conscientiae scrupuli, vel novae tentationum occasiones, vel neglectus circa correctionem praesentium peccatorum.

R. Ad 2um) *Affirmative.*

Explanatur. Constat ex sequentibus. 1°) LEO X, Bul. « *Exsurge Domine* » (13 Maii 1520) damnavit hanc LUTH. propositionem sub n. 8 : « *Nullo modo praesumas confiteri peccata* VENIALIA... *Primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebatur.* » 2°) Eumdem errorem profligavit. CONC. TRID. (Sess. XIV *de poenit.*, can. 7) : « *Si quis dixerit... non licere confiteri peccata* VENIALIA, *anathema sit.* » Et (*ibid.* cap. 5) docet quod peccata venialia « RECTE *et* UTILITER *citraque omnem praesumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum* USUS *demonstrat.* » 3°) Quum JANSENISTAE, duce Sancyrano, adhuc postea in usum confitendi venialia insurgerent, ipsisque suffragaretur Synodus PISTORIENSIS; hinc « *Declaratio Synodi de peccatorum* VENIALIUM *confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur ejusmodi confessiones,* » damnata fuit sub n. 39 a PIO VI, Bul. « *Auctorem fidei,* » tanquam « *temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a* S. CONC. TRID. *probatae contraria.* »

Nec dicatur : de venialibus vel quis non dolet, et tunc non sunt materia apta; vel de iis dolet, et tunc inutiliter confessioni subjiciuntur; nam remittuntur per omnem veram supernaturalem attritionem, etiam extra sacramentum; quare in casu superflua foret absolutio, vel dicendum, eam « *non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti,* » quod tamen dicere sub anathemate prohibet TRID. (*sess.* XIV, can. 9). **Respondetur** enim, non haberi inconveniens, quod venialia per confessionem directe remitti nequeant, sicut non habetur idem inconveniens, quando peccatum mortale per contritionem perfectam jam remissum clavibus subjiciatur, aut

jam rite confessum et absolutum iterum exponatur. In utroque enim casu obtinentur alii saltem effectus, ut augmentum gratiae, plenior remissio poenae, etc. Nec propterea absolutio erit nudum ministerium declarandi peccata esse remissa. Nam, juxta dicta superius, sensus formae est : *Confero tibi gratiam de se remissivam peccatorum.* Quod etiam tunc verum est. Unde quando illa gratia peccatum reperit, illud remittit ; secus, gratiam priorem auget.

Q. 4. *An* peccatum IN GENERE accusatum, ut si quis dicat : *peccavi*, vel *me accuso de omnibus peccatis meis*, sit materia *sufficiens.*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel loquimur de **validitate,** vel de **liceitate.** Si **primum** : *affirm.*, in duplici casu : 1°) In *casu necessitatis,* quando poenitens, v. g. moribundus, nullum peccatum in specie accusare potest. Ratio : quia hoc sacramentum institutum est per modum judicii *reconciliativi* seu *absolutorii* (pag. 197), in quo non ita rigorosa accusatio requiritur, sicut in *condemnatorio.* Constat ex RIT. ROM. : « *Quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela aegroto deficiat, nutibus et signis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata poenitentis cognoscere ; quibus utcumque vel* IN GENERE, *vel in specie cognotis, vel etiam si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.* » 2°) Extra casum necessitatis, *si deficiat materia necessaria :* quia essentia sacramenti non mutatur pro variis casibus, sed semper eadem manet. Dixi : *si deficiat materia necessaria ;* nam constat ex TRID., mortalia esse confitenda cum specie et numero.

Si **secundum** : *Negative* per se, excepto casu necessitatis, etiamsi materia *necessaria* non habeatur, et non adsit nisi materia *libera.* Ratio : 1°) quia ita postulat praxis Ecclesiae ; 2°) quia plures DD. dubitant de validitate accusationis omnino generalis, et tutius sequendum est, extra casum necessitatis, ubi agitur de valore sacramenti. Dixi : *per se ;* quia certo liceret generalis hujusmodi confessio, si confessarius ex praeteritis confessionibus poenitentem plane agnosceret, sciatque, illum accusare se velle de peccatis jam sibi notis. Cfr. N. R. T. (I, 67-86 et XXX, 565 seqq.). — Interim, si quaeras optimam confitendi methodum, eam accipias ex *formula*

praescripta pro RR. PP. Soc. J.: « *Benedic R.P. Post ultimam confessionem absolvi poenitentiam. Accuso me de peccatis, quibus iterum offendi divinam majestatem ac bonitatem praesertim vero quod... Accuso me etiam de peccatis praeteritae vitae, praesertim... De his et omnibus peccatis vitae meae ex toto corde doleo, sinceram promitto emendationem et peto humiliter absolutionem et poenitentiam.* »

Q. 15. *Quomodo* agendum cum poenitentibus, qui non adferunt materiam *necessariam*, si sit tamen CERTO *sufficiens?*

Praenotandum. Ex STEYAERTIO (*Aphor.* XXX): « **Regula** *est, ut detur absolutio, quando poenitens sua exposuit peccata;* **exceptio** *est differre absolutionem, quod fieri non potest sine justa causa.* »

Conformiter ad hanc regulam scribunt communiter DD. cum VOIT: « *Confessarius* PER SE LOQUENDO, *sub culpa gravi, tenetur absolvere poenitentem* RITE CONFESSUM *et* DISPOSITUM. *Ratio est : quia poenitens per confessionem... acquisivit jus ad absolutionem...; hoc enim lege vel conditione confessus est poenitens, ut absolvatur; cui confessarius hoc ipso censetur consensisse, quod audiverit ejus peccata, nisi constaret eum esse indispositum, aut nisi ex parte confessarii sit defectus ex parte jurisdictionis ob occurrentem casum reservatum.* CONFIRMATUR : *si confessarius pro libitu et sine alia gravi causa, quam quia non vult, posset negare rite disposito absolutionem, hoc sacramentum ex eo maxime redderetur odiosum.* » Dicunt : *per se loquendo;* « *quia quandoque causae graves occurrere possunt differendi ad aliquod tempus absolutionem.* » Plane concinit BILL. His praenotatis, ad petitum :

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel 1°) **certo** sunt dispositi; vel 2°) de eorum dispositione fundate **dubitatur**; vel 3°) **male** sunt dispositi. — Si **primum** : *regulariter* absolvendi sunt, et quidem singula vice. Unde confessarius peccaret saltem venialiter, tum contra justitiam, tum contra charitatem, si absque sufficienti ratione differret absolutionem. Dixi : *regulariter;* quia confessarius tanquam medicus, potest ob gravem rationem aliquantisper differre absolutionem, si v. g. in casu rarissimo talis dilatio judicaretur medium aptissimum

ad excitandum fervorem poenitentis, et ut magis a peccato elongetur. — Si **secundum** et **tertium** : curet confessarius, ut tales disponat, vel eos excitando ad verum dolorem super haec peccata, vel saltem super peccata certa anteactae vitae. Si dubium fundatum permaneat de eorum dispositione, eos absolvere non potest, nisi adsit justa causa, et tunc habetur casus absolutionis *conditionatae*, de qua infra. Urgeret autem ratio : si v. g. poenitens non recepisset sacramentum poenit. a notabili tempore; vel si indigeat auxiliis specialibus; vel tempore jubilaei, etc. In utroque tamen casu, non adferentibus materiam *necessarium*, etsi non absolutis, permitti potest Eucharistiae susceptio : quia, cum sint in statu gratiae, non requiritur sacramentum poenit. ad illos disponendos.

Q. 16. *Quomodo* agendum cum iis, qui non adferunt nisi materium DUBIE *sufficientem?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Si confessarius **velit** absolvere, absolvat eos super *certam* materiam, si haberi possit; si vero haberi non possit et adsit justa causa absolvendi, ut si poenitens esset in periculo mortis, aut valde sit rudis et non speretur, ut brevi melius sit instructus, etc., absolvat eum sub conditione. 2°) Si vero **nolit** absolvere, potest illos dimittere cum sola benedictione, de quo *regulariter* admonendi sunt, nisi prudenter timeatur, ne poenitens scrupulosus vel nimis timoratus nolit discedere sine absolutione, vel nisi jactura temporis sit habenda ad illum convincendum, quod absolutione non indigeat.

Q. 17. *An* 1°) in casu REBAPTIZATIONIS, *rebaptizandus* teneatur confiteri *omnia peccata praeterita vitae;* et quatenus *affirmative*, an 2°) confessio *praeponenda* sit vel *postponenda* baptismo conferendo sub conditione?

R. Ad 1^{um}) *Affirm.*, quidquid hac de re olim disputatum fuerit. Constet ex decretis S. U. I. (17 Jun. 1715 et 17 Dec. 1868). Et haec ubique obligant (S. C. DE PROP. FID. 12 Jul. 1869). Cfr. N. R. T. (XII, 579 seq.).

Explanatur. Ratio est : quia, cum omne factum certe positum censeatur rite factum, donec contrarium probetur; Ecclesia prio-

rem baptismum in ordine ad ea, quae cum illo connectuntur, ut validum habet, et consequenter habet ut indubios omnes favores et obligationes quae inde dimanant.

R. Ad 2^{um}) Qui debent sub conditione baptizari, « POTERUNT, *ad majorem functionis ecclesiasticae facilitatem*, PRIUS AUDIRI *sacramentaliter quoad eorum culparum accusationem. Deinde* POST COLLATIONEM *baptismatis sub conditione, confessarius, iterum reassumptis per summa capita cum poenitente iis, de quibus jam accusationem fecerit*, ABSOLVAT *sacramentaliter pariter sub conditione.* » (S. U. I. Nov. 1875), ap. N. R. T. (XII, 580).

CAP. 3. De forma sacramenti poenitentiae. Ubi et de loco et habitu quo illud administrari debeat.

Q. 18. *Quae* sit FORMA *rubricalis* sacramenti poenitent.?

R. Forma *rubricalis* traditur a RIT. ROM. ubi, loquens de sacerdote absoluturo, haec habet, quae sequuntur.

Explanatur. « *Cum igitur poenitentem absolvere voluerit, injuncta ei prius et ab eo acceptata salutari poenitentia, primo dicit :* MISEREATUR TUI OMNIPOTENS DEUS, ET DIMISSIS PECCATIS TUIS, PERDUCAT TE AD VITAM AETERNAM. AMEN. — *Deinde dextera versus poenitentem elevata, dicit :* INDULGENTIAM, ABSOLUTIONEM, ET REMISSIONEM PECCATORUM TUORUM TRIBUAT TIBI OMNIPOTENS, ET MISERICORS DOMINUS. AMEN. DOMINUS NOSTER J. C. TE ABSOLVAT; ET EGO AUCTORITATE IPSIUS TE ABSOLVO AB OMNI VINCULO EXCOMMUNICATIONIS, SUSPENSIONIS, ET INTERDICTI, IN QUANTUM POSSUM, ET TU INDIGES. *Deinde :* EGO TE ABSOLVO A PECCATIS TUIS, IN NOMINE PATRIS †, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN. *Si poenitens sit laicus, omittitur verbum,* SUSPENSIONIS. — PASSIO DOMINI NOSTRI J. C., MERITA B. M.V., ET OMNIUM SANCTORUM, QUIDQUID BONI FECERIS, ET MALI SUSTINUERIS, SINT TIBI IN REMISSIONEM PECCATORUM, AUGMENTUM GRATIAE, ET PRAEMIUM VITAE AETERNAE. AMEN. *In confessionibus autem frequentioribus et brevioribus omitti potest* MISEREATUR, *etc., et satis erit dicere* : DOMINUS NOSTER J. C. *etc., ut supra usque ad illud* : PASSIO DOMINI NOSTRI, *etc. Urgente vero aliqua gravi necessitate in periculo mortis, breviter di-*

cere poterit : Ego te absolvo ab omnibus censuris, et peccatis, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. » Hucusque Rit. Rom., in exemplari romano, typis S. C. de Prop. Fid. an. 1876 excuso.

Interim **notandum** est : 1°) Esse **piam consuetudinem**, ut confessarius ante confessionem, dum poenitentem benedicit, dicat : *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ad digne confitendum omnia peccata tua. In nomine Patris,* etc. Sed hoc sub obligationem non cadit. 2°) **Elevationem manus** a verbo « Indulgentiam » usque ad *formationem* crucis in absolutione impertiendam non obligare sub gravi; immo juxta plures DD., quos inter Bus., omitti posse sine peccato. Haec *elevatio*, per quam sacerdos suam jurisdictionem ostendit, successit loco impositionis manus super caput, postquam confessionalis sedis forma fuit introducta; ex quo deducunt Rubricistae in hac dexterae elevatione palmam manus, et non tantum parvum digitum, converti debere versus poenitentem. 3°) Preces **Misereatur** et **Indulgentiam** ex ipso Rit. Rom. facile omitti posse, scilicet in confessionibus « *frequentioribus* », ut si magnus adest poenitentium concursus, aut « *brevioribus* », ut si poenitens saepius redit, vel post absolutionem recordatur peccatum, etc. Immo, juxta communiorem sententiam, absque peccato semper omitti possunt. Ex eo enim quod Trid. (Sess. XIV *de poenit.* cap. 3), relatis verbis absolutionis, dixerit : « *Quibus quidem, de Ecclesiae Sanctae more, preces quaedam* laudabiliter *adjunguntur* »; inferunt communiter DD., eas non esse de praecepto, sed de consilio tantum. Idem dicunt de verbis : **Passio Domini N. J. C**, etc. Quia tamen probabilis est sententia S. Thom. (*Quolib.* 3, dist. 15, a. 1 et 28), ea verba habere vim expiandi peccata, quatenus elevant bona opera poenitentis ad meritum satisfactionis sacramentalis, ordinarie non convenit ea omittere. De his verbis latius postea (Q. 62). 4°) Verba **Dominus noster,** quibus continetur absolutio *a censuris*, non videntur posse omitti sine culpa saltem veniali, nisi necessitas urgeat. Eruitur ex Rit. Rom., cum dicat : « *In confessionibus autem frequentioribus... omitti potest* Misereatur, etc. *et* **satis** *erit dicere* : Dominus noster... *usque ad illud* : Passio Domini etc. », scilicet *exclusive*. Nam ad **dubium** : utrum ultima haec verba : « *usque ad illud* » intelligenda sint *exclusive* vel *inclusive*, **respondit** S. R. C. (28 Febr. 1847) : intelligenda esse *exclusive*.

Itaque, extra casum necessitatis, praefata absolutio a censuris danda videtur omni poenitenti, etiamsi non constet eum censuras incurrisse, ad cautelam. Unde relinquo quod scribit Sass.: « in confessionibus *ordinariis*, dum *nulla* est suspicio censurae incursae, non est necesse, praemittere absolutionem a censuris. Ad quid enim? » — Scienter autem absolvere *excommunicatum* a peccatis non prius absolutum a censura, foret peccatum mortale, quia excommunicatus est privatus usu passivo sacramentorum. 5°) Verbum **deinde** in nonnullis editionibus impressum est charactere NIGRO, tanquam pars formae; in aliis recentioribus vero charactere RUBRO, tanquam rubrica. Porro ad **dubium** : utrum hoc verbum « *deinde* » in forma absolutionis sit omittendum? S. R. C. (11 Mart. 1857), audita prius S. U. I., **rescribendum** censuit : « *Nihil esse innovandum.* » In editione typica Ratisb. an. 1884, a S. R. C. revisa, verbum «*deinde*» impressum est iterum in NIGRO. Unde merito concluditur, illud adverbium recitandum esse cum ipsa absolutione, tanto vel certius cum in edit. typ. Ratisb. an. 1891 vox « *ego* » cum litt. minuscula incipiat : « *Deinde ego te absolvo* » etc. 6°) Ex R. Rom. « *Sacerdos... priusquam ad audiendum accedat, si tempus suppetat, ad hoc ministerium recte sancteque obeundum, divinum auxilium* PIIS PRECIBUS *implorabit.* » In hunc finem Pius IX, per decr. S. C. Ind. (27 Mart. 1854), omnibus et singulis confessariis in universo orbe catholico exsistentibus infrascriptam (1) **orationem**, antequam ad sacramentales excipiendas confessiones assideant, corde saltem contrito et devote recitantibus, centum dierum indulgentiam semel tantum in die acquirendam clementer est largitus.

(1) « **Oratio** RECITANDA ANTE SACRAMENTALES CONFESSIONES EXCIPIENDAS.—Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut sciam judicare populum in justitia et pauperes tuos in judicio. Fac me ita tractare claves regni coelorum, ut nulli aperiam cui claudendum sit, nulli claudam cui aperiendum sit. Sit intentio mea pura, zelus meus sincerus, charitas mea patiens, labor meus fructuosus. Sit in me lenitas non remissa, asperitas non severa; pauperem ne despiciam, diviti ne aduler. Fac me ad alliciendos peccatores suavem, ad interrogandos prudentem, ad instruendos peritum. Tribue, quaeso, ad retrahendos a malo solertiam, ad confirmandos in bono sedulitatem, ad promovendos ad meliora industriam; in responsis maturitatem, in consiliis rectitudinem, in obscuris lumen, in amplexis sagacitatem, in arduis victoriam; inutilibus colloquiis ne detinear, pravis ne contaminer; alios salvem, me ipsum non perdam. Amen. »

Scholion. Haec dicta sunto de *forma sacramentali absolutionis* deque *caeremoniis* eam comitantibus, juxta RIT. ROM. Quae omnia variari possunt in *Ordinibus religiosis*. Sic in **Ord. FF. Praed.**, juxta CAEREMONIALE ad eorum usum, « *qui peccata sua confessuri sunt, solent* VENIAM *facere, dum dicunt Confiteor et dum recipiunt Sacram Absolutionem.* » « VENIA *autem est extensio* [seu prostratio] *totius corporis in terram.* » Porro « FORMULA ABSOLUTIONIS *observanda communiter in confessione sacramentali* » est sequens : « Si teneris aliquo vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti, a quo possim te absolvere : ego absolvo te, et restituo te sanctis Sacramentis Ecclesiae, communioni, et unitati fidelium. In nomine Patris †, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. Misereatur tui omnipotens Deus, et dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, salvet, et confirmet in omni opere bono, et perducat te ad vitam aeternam. Amen. Dominus noster Jesus Christus, Filius Dei vivi, per suam piissimam misericordiam te absolvat, et auctoritate ipsius, qua fungor, ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis, ut sis absolutus hic, et ante tribunal ejusdem Domini nostri Jesu Christi, habeasque vitam aeternam, et vivas in saecula saeculorum. In nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus sancti †. Amen. Passio Domini nostri Jesu Christi, et merita beatae Mariae semper Virgineis, et Beati Dominici Patris nostri, et omnium Sanctorum, et quidquid boni feceris, et intendis facere, aut mala, quae sustines et sustinebis, sint tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiae, et praemium vitae aeternae. In nomine Patris †, et Filii, et Spiritus sancti. » — « IN RECONCILIATIONE *et in casu mortis repentinae, vel alias imminentis* » dicitur : « Si teneris aliquo vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti, a quo possim te absolvere : Ego absolvo te. In nomine Patris †, et Filii, et Spiritus sancti. Item ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris †, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. »

Q. 19. *Quaenam* 1°) sint verba FORMAE *essentialia*; 2°) *quisnam* sit hujus FORMAE genuinus *sensus*, et 3°) *an* valeat forma *deprecatoria?*

R. Ad 1^{um}) EX S. THOM. (p. 3, q. 84, a. 3) haec duo verba : *absolvo te*, vel alia his stricte aequivalentia, ut si diceretur : *solvo te, remitto tibi,* sunt sola essentialia.

Explanatur. Praefata *duo* esse **essentialia**, « patet, ait Bill., quia omissa voce *absolvo*, non exprimitur actus judicialis seu sententia judicis; omisso *te*, non exprimitur persona circa quam exercetur judicium, nec intelligitur absolutio a peccatis; quia non intelligitur *a peccatis*, nisi in quantum absolvitur is qui peccata sua confessus est. » Plures tamen sentiunt cum Lug., Wigg., quod, si dicatur *absolvo a peccatis tuis*, non sit necessarium ad valorem formae verbum *te*, cum hoc satis exprimatur in verbo *tuis;* et haec sententia, *speculative* loquendo, « probabilior videtur » ait S. Lig. (VI, 430).

Resolvitur. 1°) Certum est pronomen **ego** non esse essentiale formae hujus sacramenti, sicut nec in forma baptismi : sufficienter enim exprimitur in verbo *absolvo*. 2°) Neque essentialia sunt verba : **in nomine Patris**, etc.; quia, ut dicit S. Thom. (*loc. cit.* ad 3) : « *Hoc non est determinatum ex verbis Christi, sicut in baptismo.* » Quia tamen sacerdos absolvit tanquam minister Dei, « *convenienter*, » addit S. Thom., « *apponitur aliquid quod pertineat ad primam auctoritatem Dei.* » 3°) Nonnulli tenent cum Wigg., Lacroix, Mazz., verba **a peccatis tuis** pertinere ad essentiam, eo quod Christus dixerit : « *Quorum remiseritis peccata* » etc.; sicut, quia dixit : *quorum*, explicandum est *te;* ita, quia dixit : *peccata*, explicandum est *a peccatis*. Sed DD., teste S. Lig. (VI, 430), « negant *communissime*. » Quam sententiam plane confirmat Catech. C. Trid. inquiens : « *Est autem forma* : Ego te absolvo. » Ratio est : quod verba *te absolvo* satis significant actionem sacramentalem ejusque effectus, ut patet in forma baptismi, ubi verba *a peccatis* non exprimuntur. Aliunde, ut addit Bill., Christus non expressit peccata quando dixit (Matth. XVI, 19) : « *Quodcumque solveris;* » et (*ibid.* XVIII, 18) : « *Quaecumque solveritis.* » 4°) In **praxi** tamen peccaret mortaliter, qui omitteret : *a peccatis*, ob probabilitatem sententiae oppositae, et « repetenda foret absolutio sub conditione, » ait Bill. 5°) **Omittere** : verbum *ego*, et invocationem *SS. Trinitatis* est veniale peccatum tantum. 6°) **Valida** foret absolutio sub verbis : *remitto* seu *condono tibi peccata*, vel *solvo te;* quia essentialiter non differt a forma legitima. Foret tamen *illicita*, et quidem *graviter*, utpote mutatio accidentalis *notabilis* contra universalem

Ecclesiae consuetudinem vim legis habentem, quae per se graviter obligat (tom. 2, pag. 385 seq.).

R. Ad 2^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. Sensus **naturalis** seu **grammaticalis** horum verborum *absolvo te a peccatis*, attenta significatione quam habent ex institutione hominum, est hic : *remitto* seu *condono tibi peccata*. Sensus autem **sacramentalis** seu significatio quam habent ex institutione Christi a quo omnia sacramenta habent, quod sint significativa et collativa gratiae, ex S. Thom. (p. 3, q. 84, a. 3 ad 5^{um} est hic : « *Sacramentum absolutionis tibi impendo ;* » i. e. confero tibi sacramentum quantum est ex se absolutivum a peccatis et collativum gratiae; seu, ut alii volunt et in idem redit : confero tibi, quantum est ex parte mea et sacramenti, gratiam peccati remissivam. Quapropter verificatur forma, etiamsi defectu subjecti gratia de facto non conferatur. Item si feratur super peccata jam confessa et remissa, praesertim cum eo in casu amplior detur gratia. Nec gratis asseritur, quod verba illa consignificent illam modificationem : *quantum est in me*. Cum enim a sola absolutione sacerdotis non dependeat remissio peccatorum, sed insuper requirantur multa ex parte poenitentis, quae possunt deesse ; patet verba sacerdotis debere tacite imbibere hanc modificationem. Ita Bill., Sass.

Resolvitur 1. Sensus formae non est : *remitto poenas peccatis debitas*. Quod dictum sit contra **Baium,** cujus damnatae fuerunt sequentes propositiones : Sub n. 57 « *In sacramento baptismi aut sacerdotis absolutione, proprie* reatus *peccati dumtaxat tollitur, et ministerium sacerdotum solum liberat a* reatu. » Sub n. 58 « *Peccator poenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui, poenitentiam suggerens et inspirans, vivificat eum et resuscitat ; ministerio autem sacerdotis solum* reatus *tollitur.* » Per *reatum* vero ipsum solam poenam hic intelligi, patet ex propositione etiam damnata sub n. 56 « *In peccato duo sunt : actus et reatus ; transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus sive obligatio ad* poenam. » Confutantur Baiani sequentibus argumentis : **A**) Christus dixit : « *Quorum remiseritis peccata ;* » atqui poena distinguitur a peccato et illud sequitur. **B**) Juxta Trid. (Sess. VI *de just.* cap. 14) « *Poena aeterna... una cum culpa remittitur ;* » si ergo sacerdos

non remittat culpam, nec remittit poenam aeternam. C) Juxta idem Trid. (Sess. XIV *de poenit.* cap. 1) sacerdotes habent potestatem « *ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos;* » atqui reconciliatio fit per remissionem culpae, et non solius poenae. **Resol. 2.** Sacerdos per verba absolutionis non solum ostendit peccata esse remissa, sed ea vere remittit. Quod dictum sit contra **P. Lombardum** et quosdam antiquos cum eo contendentes peccata remitti tantum a Deo per cordis contritionem cum voto sacramenti conjunctam; per verba autem absolutionis solum ostendi poenitentem a peccatis solutum esse, ita ut sensus formae foret : *Ego te absolutum ostendo.* Confutantur ex eo quod Sacramenta N. L. non solum significent, sed etiam efficiant quod significant; haec enim est praecipua eorum differentia cum Sacramentis V. L. (tom. 2, pag. 336). Atqui forma sacramenti poenitentiae *absolvo te* significat remissionem peccatorum; ergo illam efficit. Quod si quandoque SS. PP. dicant peccatores prius a Deo vivificari, quam a sacerdotibus solvantur; aut sacerdotes posse curare viventes, non excitare mortuos et similia; non loquuntur de vita seu vivificatione *perfecta* per gratiam sanctificantem, sed de vita *imperfecta* per gratiam excitantem, quae inchoat vitam animae per aliquem actum supernaturalem, ad quem movet peccatorem. Hanc enim duplicem vivificationem admittendam esse, constat ex propositione sub n. 64 damnata inter Baianas : « *Illa distinctio* duplicis *vivificationis*, alterius *qua vivificatur peccator, dum ei poenitentiae et vitae novae propositum et inchoatio per Dei gratiam inspiratur;* alterius *qua vivificatur qui vere justificatur, et palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est et Scripturis minime congruens.* » **Resol. 3.** Sacerdotes, dum absolvunt, non exercent nudum ministerium declarandi peccata esse remissa. Quod dictum sit contra **Novatores** Saec. XVI, qui conformiter ad eorum principium, quod peccata remittantur per solam fidem, et non vi sacramenti aut ejus voti, consequenter docuerunt sacerdotes absolventes nullum exercere actum judicialem, sed mere declarare peccata esse remissa. Damnati fuerunt in Conc. Trid. (Sess. XIV *de poenit.*, can. 9) : « *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti... anathema sit.* » Et *(ibid.*

cap. 3) declarat : « *Res et effectus hujus sacramenti, quantum ad ejus vim et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo.* »

R. Ad 3^um^) *Controvertitur.*

Explanatur. Alii simpliciter **negant** cum S. THOM. (p. 3, q. 84, a. 3 ad 1 et in *Opusc.* 22); alii **affirmant.** — Occasionem disputandi praebuit GRAECORUM praxis, cui per 12 saecula consonam fuisse etiam praxim LATINORUM, contendunt MORINUS, TOURNELY, aliique; eratque, uti etiamnum apud GRAECOS, *deprecativa.* Utrum hoc *historice* verum sit, ad me non pertinet definire. Quidquid sit, licet forma *deprecativa* GRAECORUM ab Ecclesia Romana nunquam directe improbata fuerit, CLEMENS VIII tamen, in *Instructione super aliquibus ritibus* GRAECORUM *pro episcopis latinis in quorum dioecesibus* GRAECI *degunt* (an. 1595) voluit, ut sacerdotes GRAECI, dum in casu necessitatis absolvunt LATINUM, *utantur forma absolutionis in generali Concilio* FLOR., *praescripta; et postea, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam quam pro forma hujusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt.* »

Q. 20. *Qualiter* DE NECESSITATE SACRAMENTI proferenda sit *forma* absolutionis?

R. Forma absolutionis, ut *valida* sit, debet esse : 1°) *vocalis* seu ore prolata; 2°) ad poenitentem *moraliter saltem praesentem* directa; 3°) independens *a conditione suspensiva in futurum.*

Resolvitur 1. Invalida est, si **scripto** vel **nutibus** detur. Ratio *a priori* est sola Christi voluntas, de qua nobis constat ex traditione, perpetua consuetudine et usu Ecclesiae, ac consensu DD. Constat praeterea ex CC. FLOR. et TRID., in quibus dicitur, formam hujus sacramenti positam esse in his ministri verbis : *Ego te absolvo.* Haec enim verba intelligenda sunt de verbis *formalibus* seu *proprie dictis* : quia dum Concilia dicunt verba esse formam hujus et aliorum sacramentorum, solum excipiunt matrimonium ad cujus formam tamen requiruntur verba proprie vel improprie. Adde quod FLOR. subjungat formam sacramenti poenitentiae consistere in verbis *quae sacerdos profert* : hoc autem intelligitur de

verbis proprie. — Verum quidem est, quod in foro civili reus *scripto* vel *nutu* absolvi possit; at judicium sacramentale non convenit in omnibus cum forensi. Sic in sacramentali idem est reus, accusator et testis, non ita in forensi. Credit tamen Sporer, quod, cum res non sit omnino de fide, possit in absentia alterius sacerdos *mutus* extreme periclitanti dare absolutionem nutibus vel scriptis sub conditione, propter auctoritatem Medinae et Petri Soti. —Ut autem jam antea monuimus (tom. 2, pag. 378 seq.), convenit inter DD., ad verba *formalia* non esse necessarium ea ita pronuntiare, ut te ipsum audias. Utrum vero saltem requiratur, ea ita pronuntiare, ut te ipsum audire possis, nisi aliquod impedimentum adsit, inter DD. *disputatur*. Alii *negant;* alii *affirmant*, quorum sententia **practice est tenenda**, ne sacramentum nullitatis periculo exponatur. Interim prudenter admonet Croix, absolutionem *submissa voce* esse proferendam, ut, si forte quis dimittitur non absolutus, alii id non advertant.

Resol. 2. Invalida et illicita est absolutio, sive quis **absens simul confiteatur et absolvatur**; sive **praesens confiteatur quidem, sed absens absolvatur**; sive demum **absens confiteatur et praesens absolvatur**, vi confessionis in absentia factae praecise. Constat ex prop. damnata a Clem. VIII (20 Jun. 1602) : « *Licere, per litteras seu internuntium, confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere.* » Quam propositionem « *ad minus ut falsam et temerariam et scandalosam damnavit, ac prohibuit praecepitque, ne deinceps ista propositio publicis privatisque lectionibus, concionibus et congressibus doceatur, neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur aut ad praxim quovis modo deducatur.* » Ratio praecipua sumitur ex sensu et praxi Ecclesiae, quae particulam *te* in forma absolutionis intelligit de confitente et absolvendo praesente. **Nec obstat** quod absens possit absolvi ab excommunicatione : disparitas enim est quod cum excommunicatio seu censura sit ab Ecclesia, etiam ab ea absolvat quomodo ipsi placuerit; secus in absolutione a peccatis in qua sacerdos est instrumentum Christi, agens secundum ejus institutionem. Et quoniam forma absolutionis *te absolvo* aut huic aequivalens sit *juris divini;* dicendum est contra Tourn. et quosdam alios, invaliditatem

confessionis et absolutionis inter absentes peti debere non ex jure ecclesiastico seu vi decreti Clem. VIII, sed ex jure divino seu ex ipsa natura et institutione sacramenti.— Dixi : **vi confessionis in absentia factae praecise** ; si enim poenitens, scripto vel per internuntium peccata sua confessus, eadem in praesentia ratificet, significans se de iis reum esse, dolere et absolutionem petere, jam valide et ob justam causam etiam licite absolvitur, non quidem vi confessionis factae in absentia, sed renovatae in praesentia. — Illa autem *praesentia* non debet esse *physica*, sed *moralis* censetur sufficiens, i. e. talis, intra quam homines communi voce, licet altiori, ad invicem loqui possint. Multi eam extendunt ad 20 circiter passus, praesertim ubi poenitens nondum est egressus extra aspectum confessarii. Quare, si poenitens nondum absolutus a confessionali discesserit, prout saepe abeunt rudes, absolvendus est, si prope aspiciatur, nec commode possit revocari; imo, quamvis immixtus aliis amplius non videretur, dummodo prudenter aestimetur adesse intra vicinam turbam, poterit etiam eminus valide et licite absolvi, quia adhuc est praesens moraliter corpore et animo, utpote perstans in intentione accipiendi absolutionem. Item, qui ruit e tecto, qui incidit in flumen, qui peste affectus adiri nequit, etc., absolvendus est, saltem *sub conditione*, si ultra viginti passus exstaret. — « Utrum vero absolutio valide et aliquando licite dari possit ope **telephonii**, a S. Sede exquiras, quia hactenus nec affirmare, nec negare ausim. » Ita scripseram in prima hujus operis editione (1881). Postea, ulterius progressus, ad quaestionem : « *Quid dicendum de absolutione data, adhibito novo illo instrumento, quod vulgo dicunt* telephone? » Sic respondet Sabetti S. J. theologus : « Extra casum necessitatis est certo et graviter illicitum confessario tali instrumento uti, quia certo exponeretur sacramentum periculo nullitatis, et quia nova praxis induceretur in administratione sacramentorum, eaque fraudibus obnoxia. Utrum autem in casu extremae necessitatis possit tolerari usus talis instrumenti, difficile est decernere, et quaestio digna est quae ad Sedem Apostolicam deferatur. Attamen, ut quid mihi videtur dicam, non apparet cur damnandus sit sacerdos qui per telephonium *conditionate* absolveret poenitentem aliquem postquam ab hoc cognoverit se esse subito gravissimoque morbo correptum, de peccatis suis maxime

dolere, et ad instrumentum aures applicuisse absolutionem exspectaturum. Etenim praesentia moralis et nexus inter materiam et formam in unoquoque sacramento requiruntur utique, sed diverso gradu et modo pro diversitate uniuscujusque ritus. Quoniam autem sacramentum poenitentiae est institutum ad instar judicii forensis ad quod sufficit illa praesentia vi cujus judex et reus possint simul colloqui, non videtur in casu proposito absolutionem esse certo invalidam, siquidem poenitens et sacerdos possunt dici vero sensu esse colloquentes. » De qua argumentatione quid judicandum sit, licet ex ante dictis judicare. Ex iis enim liquet, requiri praesentiam saltem moralem inter confitentem et absolventem, ut forma absolutionis « *ego te absolvo* » verificetur. Jam vero, ope TELEPHONII, obtinetur quidem medium communicandi cum absente, minime vero efficitur, ut, juxta moralem hominum aestimationem, unus sit alteri vere praesens. — Pariter pro validitate absolutionis in casu citatur BERARDI (*Prax. confess.*), qui tamen se postea retractavit, ap. N. R. T. (XIX, 593 seqq. et 655). Contra, validitatem impugnat, et quidem validissimis argumentis, ESCHBACH, ap. N.R.T. (XIX, 393 seqq. et XX, 305 seqq.); quae argumenta plane eadem sunt ac illa, quibus jam dudum ad probandam invaliditatem confessionis et absolutionis inter absentes, usus fuerat BILL., nobilissimus ille D. THOM. interpres. Interim ad **dubium** : « *Utrum in casu extremae necessitatis dari possit absolutio per telephonium?* » S. POENIT. (1 Jul. 1884) **rescripsit** : « *Nihil est respondendum.* » Qua formula ideo S. POENIT. usa est, ad indicandum solutionem praesentis dubii ad ipsam non spectare, quippe cujus scopus sit in casibus particularibus conscientias quietare. Quapropter, ut dubium solvatur, ad S. U. I. recurrendum erit.

Resol. 3. Invalida est absolutio data sub conditione de **futuro incerto,** v. g. *absolvo te, si restitues* (tom. 2, pag. 399) : quia sacramenta statim operantur effectum suum quem possunt, neque est in potestate ministri suspendere in futurum. At sub conditione de *praesenti* vel *praeterito* valet, subsistente conditione : quia absolutio sub tali conditione subsistente est reipsa absoluta; ergo sicut valet absolutio absoluta poenitentis rite dispositi, ita etiam conditionata de praesenti vel praeterito, v. g. *absolvo te, si vivis; si es capax; si es dispositus: si te non absolvi,* etc. Immo ex causa

rationabili etiam licita et quandoque necessaria est talis absolutio conditionata. — Fuerunt quidem inter antiquos Lovanienses, qui, distinctionem facientes inter conditiones **facti**, v. g. *si vivis*, *si es baptizatus*, et conditiones **juris**, de quibus confessarius judicare debet, v. g. **si es dispositus**, *si vis restituere;* priores quidem admittebant, posteriores vero, ut sacramentum invalidantes, rejiciebant, quasi per illas destrueretur natura judicii, ad cujus instar hoc sacramentum est institutum, cum confessarius eas adhibendo supponat id de quo judicium seu sententiam ferre debeat, ac proinde assimiletur judici qui diceret : *adjudico tibi hanc rem, si res haec sit tua*, seu *si es innocens, te absolvo*, quae sane sententia, aiunt, ridicula foret. Verum haec nonnullorum opinio, qualis fuit ab initio, remansit *singularis*, nec vix ullam meretur considerationem. Contraria sententia « est **longe communior**, ait Bill., et ut arbitror extra [antiquam] academiam Lovaniensem **communissima.** » Utique confessarius, quantum fieri potest, debet de dispositionibus sui poenitentis judicare; sed hoc ex S. Thom. (*Suppl.* q. 17, a. 3) est judicium *discretionis* tantum, ut prudenter absolvat, quod nullatenus pertinet ad essentiam hujus sacramenti : alioquin invalide absolveret, qui absolvit nil judicans de dispositionibus poenitentis aut positive judicans indispositum, qui tamen rite est dispositus. Nec datur rigorosa comparatio inter judicium *forense* et judicium *sacramentale* : nam praeter discrimen supra (pag. 197) indicatum, etiam in hoc differunt, quod judicis civilis sententia suum effectum sortiatur apud homines, ideoque necesse sit, quod pro hominibus, a quibus executioni mandatur, sit absoluta seu plane determinata; sententia vero sacramentalis suum effectum sortitur apud Deum et ab ipso executioni mandatur; unde non essentialiter requiritur, ut pro hominibus sit absoluta seu plane determinata. — Ceterum, quotiescumque absolvendus judicatur *dubie dispositus*, sufficit si confessarius intendat eum absolvere prout exigit ministerium sibi commissum, seu juxta intentionem Christi et Ecclesiae. Unde **in praxi** nulla est difficultas.

Q. 21. *Quandonam* absolutio *sub conditione* de praesenti vel praeterito LICITE impendi possit ac debeat?

R. Quotiescumque, si omnino non daretur, damnum immineret animae, et si absolute daretur, timeretur nullitas et

irreverentia sacramenti. Ceterum, non requiritur, ut haec conditio exprimatur, sed sufficit etiam *mente* retenta *actualiter* seu *expresse*, vel saltem *virtualiter* seu *implicite*, quam habere censetur quilibet confessarius, esto actu nil cogitans de conditione, si intendat quemlibet ex suis poenitentibus absolvere, quantum hic et nunc potest et debet. Immo, juxta nonnullos, ubi agitur de conditione *si es dispositus* seu huic aequivalente, non liceret eam verbis exterius proferre : quia, aiunt, non adeo infundata est sententia quae invalidum dicit sacramentum sub hac conditione collatum, ut timeri possit per hanc conditionem illud exponi periculo nullitatis.

Resolvitur. Hinc *conditionate* absolvendi sunt : 1°) **In mortali constituti,** quoties prudenter dubitatur de impertita aut rite data absolutione ; item in dubio de morali praesentia. 2°) **Moribundi omnes,** de quorum dispositione vel incapacitate certo non constat. 3°) **Semifatui** in dubio de usu rationis aut sufficientis dispositionis : **A**) Si versentur in periculo mortis; **B**) Si urgeat praeceptum annuae confessionis ; **C**) Si confessi sint aliquod peccatum mortale ; immo **D**) Si levia tantum adferant et non receperint sacram. poenit. a notabili tempore ; aut tempore jubilaei, ut possint illud lucrari. 4°) **Poenitentes pii,** in iisdem praefatis circumstantiis, in dubio an materiam sufficientem praebuerint, et alia certa haberi nequeat (pag. 208). 5°) **Consuetudinarii, recidivi, occasionarii** *dubie dispositi :* **A**) Si versentur in gravi mortis periculo, v. g. mulier in partu difficili, nauta aut alius quivis longam navigationem suscepturus, miles ante praelium, infirmus ante periculosam operationem, et a fortiori reus capite plectendus : **B**) Si ex dilatione timeatur, quod praecipitandi sint in desperationem vel ex pusillanimitate lapsuri in graviora delicta ; **C**) Si timeatur quod transituri sint ad haereticos, solidarios vel alias apostatarum sectas ; **D**) Si fundate verendum sit, ne semel dimissi amplius ad confessionale non redeant. — Quae variae necessitates absolvendi facile occurrunt, ubi agitur de sponsis proxime matrimonium contracturis ; et signanter tempore paschali, de quo tempore ipse Stevaertius fatebatur : « *Quod merito,* quia pascha est, *aliquid majoris facultatis possit adhibere confessarius, quam si non esset.* » Similia invenies apud Pauwels (*De Euch.*, cap. 17, § 4).

Q. 22. *An* 1°) PROHIBITUM sit *prius* absolvere a *peccatis* quam a *censuris?* et 2°) *quanam* utendum sit FORMA in absolutione *censurarum?*

R. Ad 1um) *Affirmative.*

Resolvitur 1. Peccaret **graviter**, qui scienter prius absolveret a peccatis quam a censuris : quia contra gravem Ecclesiae prohibitionem ageret. Excipe, si non agatur de *excommunicationibus*, sed tantum de *suspensionibus* et *interdictis :* quia istae censurae non privant *per se* receptione sacramenti poenitentiae. **Resol 2.** Nihilominus, si poeniteus censuris irretitus, citra suam culpam prius a peccatis fuerit absolutus, postea a censuris, vel a peccatis tantum, valet absolutio a peccatis : quia prohibitio Ecclesiae nequit invalidare sacramentum, cujus valor pendet a jure divino, cum omnia ad illud requisita essentialia concurrunt. Immo, cum ignoratur censura, sicut saepissime ignoratur a confessariis indoctis, et confessarius solam adhibuerit formulam absolutionis a peccatis, non tantum absolveret a *peccatis*, sed etiam a *censuris*, in supposito quod habeat potestatem absolvendi a censuris; si enim non possit ab his absolvere, absolveret quidem a peccatis, sed cum onere pro poenitente petendi postea absolutionem a censuris, si ei innotuerint.

R. Ad 2um) *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel agitur de **excommunicatione,** vel **suspensione,** vel **interdicto.**—Si **primum** : *subdistinguendum* est. Si habens facultatem absolvat *in foro sacramentali*, uti debet forma communi in absolutione sacramentali praescripta, nec ulla alia forma vel caeremonia requiritur. Si vero absolvat *in foro exteriori*, debet procedere juxta mandatum quo ipsi committitur potestas absolvendi. Hinc 1°) Si *certa forma* specialiter a superiore praescribitur, haec omnino servanda est. 2° Si praescribitur *forma communis*, utatur illa quae praescribitur in absolutione sacramentali. 3°, Si in mandato requiritur, ut absolvat *in forma Ecclesiae consueta*, servetur ritus absolvendi solemnis cum caeremoniis et precibus in RIT. ROM praescriptus. 4°) Si *nulla forma* praescripta sit, tunc nihilominus pro rei gravitate praedictas caeremonias et preces formae consuetae adhibeat; si vero res non fuerit adeo gravis, sufficit

absolutio per formam minorem desumptam ex forma consueta, ut in Rit. Rom. proponitur. — Si **secundum** et **tertium** : iterum *subdistinguendum*. Si absolutio danda est *in foro sacramentali*, simpliciter adhibenda est forma communis praescripta in absolutione sacramentali. Si vero *in foro exteriori*, quamvis nulla verba sint praecipue determinata, uti poterit sacerdos, cui facultas commissa est, formula in Rit Rom. descripta, facta mentione tum superioris a quo auctoritatem habuit absolvendi poenitentem, tum facti vel causae *suspensionis* vel *interdicti*. — De forma DISPENSANDI super **irregularitate**, sive in foro conscientiae sive extra, dicetur postea.

Q. 23. *Quo* 1°) LOCO et HABITU sacerdos confessiones excipere debeat ? et 2°) *quid* observet poenitens in ACCESSU ad confessionale ?

R. Ad 1^{um}) Ex Rit. Rom. sequentia praescribuntur : « 1°) *In* ECCLESIA, *non autem in privatis aedibus, confessiones audiat*, NISI EX CAUSU RATIONABILI ; *quae cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco praestare.* 2°) *Habeat in ecclesia* SEDEM CONFESSIONALEM, *in qua sacras confessiones excipiat, quae sedes patenti, conspicuo et apto ecclesiae loco posita, crate perforata inter poenitentem et sacerdotem sit instructa.* 3°) *Superpelliceo et stola violacei coloris utatur, prout* TEMPUS *vel locorum feret* CONSUETUDO. »

Resolvitur 1. Licite excipiuntur confessiones **extra ecclesiam** ob infirmitatem poenitentis aut confessarii ; item ob consuetudinem exsistentem pro confessione clericorum, aliamve rationabilem causam. **Resol. 2. Sedes confessionalis** nequit poni in tali ecclesiae abdito recessu, ut videri publice non possit. **Resol. 3.** Ab utendo **superpelliceo** et **stola** sacerdos excusari poterit : sive ratione *temporis*, ut si vocetur ad audiendam confessionem infirmi extra ecclesiam, licet tamen et pro his casibus laudabiliter stolam domi conservet et secum ad infirmum deferat ; sive ratione *consuetudinis*. Interim ad **dubium** : « *Utrum* CONSUETUDO *ministrandi Sacr. Poenit. absque* STOLA, *etiam in ecclesia et sede confessionali servari potest.?* » S. R. C. (31 Aug. 1867) **respondit** : « CONVENIENS *est, ut in ecclesia adhibeatur* STOLA *juxta* S. R. C. *decreta*. » Quod *super-*

pelliceum attinet, Regulares plures, sive per directam concessionem, sive per communicationem privilegiorum, possunt audire confessiones in ecclesia publica, *sola* stola induti. **Resol. 4.** Praeter praescriptiones Rit. Rom., observanda sunt **statuta particularia locorum.** Sic **A**) in Stat. dioec. Mechl. (n. 273) praescribitur : « *Nulli confessario, sive* saeculari, *sive* regulari, *ullo unquam casu aut praetextu, nequidem ob peccati omissi aut injunctae sacramentalis satisfactionis oblitae praetextum, licitum est excipere confessionem vel partem ejus personae* feminei sexus, *ab anteriori parte confessionalis.* » Decretum ejusdem tenoris jam pridem ediderat Thom. Philip. Card. de Alsatia (21 Mart. 1724), insuper declarans : « *Eos omnes et singulos, qui huic nostro praecepto contraire praesumpserint, exsistere ipso facto suspensos ab auditione confessionis et carere omni jurisdictione et potestate absolvendi.* » Quam suspensionem ad totam modernam dioecesim extenderat Card. Engelb. (8 Maii 1849). At hodie, cum nulla hujus poenae mentio fiat in statuto dioecesano, censetur revocata. Sic **B**) in dioecesi Mechl. non tantum consuetudo generalis est, sed et per Stat. dioec. (n. 274) praescribitur, ut « *Confessarii nonnisi* superpelliceo *et* stola *violacea induti in loco sacro fidelium confessiones excipiant.* »

R. Ad 2^um^) Ex Rit. Rom. curandum est, « *ut qua decet humilitate mentis et habitus accedat, et flexis genibus signo crucis se muniat.* »

Explanatur. Humilitas *habitus* postulat, ut accedat vestitu modesto, nudis manibus, armisque si gerat depositis. Ita Rubricistae. Hujus humilitatis, ut vidimus pag. 212, mirum exemplar invenitur in Ord. FF. Praed.

SECTIO SECUNDA.

DE DISPOSITIONIBUS REQUISITIS IN SUBJECTO.

CAP. 1. De contritione.

Praenotandum. Ut liquet ex dictis (tom. II, p. 416 seqq.) solus homo viator baptizatus, qui post baptismum aliquod saltem veniale peccatum commisit, est Sacramenti Poenitentiae **subjectum.** Unde

nemo ante baptismum, nec pueri baptizati ante usum rationis, nec justi, si qua forent, qui uti credendum est de B. M. Virgine, semper ab omni peccato etiam veniali immunes permansissent, sunt talis Sacramenti capaces. Tota igitur quaestio movetur de subjecti **dispositionibus**. Hoc autem speciale est Sacramento Poenitentiae, quod ejus subjectum aliquid conferre debeat non solum ad licite et cum fructu suscipiendum illud Sacramentum, sed etiam ad hoc conficiendum, ponendo scilicet materiam *proximam*, quae ipsius poenitentis actibus constituitur, scilicet contritione, confessione et satisfactione, juxta dicta (pag. 203). Porro de hujusmodi actibus, quatenus sunt proxima Sacramenti Poenitentiae materia, jam dictum est (l. c.). Hic proinde de illis actibus quatenus sunt dispositiones ad remissionem peccatorum per sacramenta mortuorum consequendam, agendum superest. Ceterum quae in praedictis actibus requiruntur, ut sint dispositiones ad Poenitentiae Sacramentum, necessaria sunt etiam, ut illi actus fiant *proxima* ejusdem Sacramenti *materia*.

Q. 24. *Quot* 1°) sint *partes* CONTRITIONIS *generice* sumptae, et 2°) *quotupliciter* CONTRITIO sic sumpta *distinguatur?*

R. Ad 1^{um}) Contritionis *generice* sumptae *tres* sunt partes: 1°) *Dolor* de peccato commisso, non is, qui sensu corporis percipitur, sed dolor voluntatis et moeror mentis. 2°) *Detestatio* seu sincerum peccati odium. 3°) *Propositum* non peccandi de cetero.

Explanatur. Esse **tres** partes contritionis *generice* sumptae, i. e. prout abstrahit a statu V. et N. Legis, a *perfecta* et *imperfecta*, constat ex ejus definitione apud TRID. (Sess. XIV, cap. 4) ubi dicitur: « *Contritio animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.* » Cui definitioni si addas ex TRID. (ibid): « *Cum voto praestandi reliqua... quae ad rite suscipiendum hoc sacramentum* [poenit.] *requirantur* », habebis definitionem contritionis prout convenit statui N. L. — Interim DD. *disputant*, in quanam harum trium partium contritionis **essentia** sit reponenda. In hoc satis conveniunt quod *propositum* non pertineat ad essentiam, licet omnes fateantur, illud esse necessarium ac sua sponte ex *dolore* ac *detestatione* profluere. Quod vero haec duo posteriora

attinet, alii essentiam ponunt in *dolore*, qui praesupponit detestationem; et huic sententiae, quam validissimis argumentis probat Bill., suffragatur S. Thom. (*Suppl.* q. 1, a. 1) contritionem definiens, quod sit : « *Dolor pro peccatis assumptus cum proposito confitendi et satisfaciendi ;* » alii eam ponunt in *detestatione*, quam sequitur dolor; « et haec sententia, ait S. Lig. (VI, 435) est satis communis et verior videtur. » — **Practice** non est movenda difficultas, cum unum *exercite* contineatur in alio, licet non *reflexe* de eo cogitetur : qui enim dolet de peccato, hoc ipso illud detestatur, et vicissim, qui detestatur peccatum, hoc ipso de eo dolet.

R. Ad 2^{um}) Contritio in genere sumpta, *dupliciter* distinguitur : una *perfecta*, quae simpliciter seu antonomastice dicitur *contritio;* altera *imperfecta*, quae vocatur *attritio.*

Explanatur. *Prima* seu **contritio** ex Trid. (Sess. XIV *de poenit.* cap. 4) *charitate perficitur,* adeoque est animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero, ortus ex motivo *charitatis theologicae* (tom. 1, pag. 308 seq.) : i. e. quatenus peccatum est offensa Dei *summi boni in se* super omnia amabilis.—*Secunda* vero seu **attritio,** oritur ex motivo inferiori, seu, ut loquitur Trid. (*ibid.*), « *vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur.* » Quod si unice oriatur ex metu gehennae et poenarum, dicitur **attritio formidolosa.**

Q. 25. *Qua ratione* CONTRITIO et ATTRITIO inter se differant?

R. Differunt : tum ratione *motivi*, tum ratione *effectus.*

Explanatur. Differunt : 1°) ratione **motivi.** Nam **contritio** elicitur ex solo motivo charitatis seu amoris Dei super omnia, quo diligitur Deus propter se, quatenus in se est infinita bonitas, radix et aggregatio omnium perfectionum possibilium atque infinitarum; uno verbo : oritur ex amore *benevolo* (tom. I, pag. 308), i. e. quo Deus amatur propter se, non propter nos, et ideo detestamur super omnia peccatum velut malum ipsi Deo, ejusque infinitae bonitatis offensivum. **Attritio** vero elicitur ex motivo aliquo honesto supernaturali, non tamen charitatis, sed alio inferiori, puta, ex turpitudine peccati vel ex metu gehennae et poenarum, sicque ultimate

oritur ex amore *spei* seu *castae concupiscentiae*, quo Deus amatur non propter se, sed propter nos, i. e. ut nobis bene est, ut est summa nostra beatitudo, et ideo timemus Deum offendere, ne sic ejus infinitam erga nos bonitatem a nobis avertamus.—Differunt : 2°) ratione **effectus** ; quia **contritio,** quantumvis *remissa*, se sola, licet non sine voto, saltem implicito, Sacramenti, semper justificat. Constat ex Trid. (Sess. XIV *de poenit.*, cap. 4) ; item ex S. Thom. (*Suppl.* q. 5, a 1), dum ait : « *Quaelibet gratia gratum faciens delet omnem culpam mortalem, quia simul stare cum ea non potest. Sed quaelibet contritio est gratia gratum faciente informata. Ergo quantumcumque sit parva, delet omnem culpam.* » Et alibi (2. 2. q. 45, a. 4) dicit : « *Charitas non potest esse cum peccato mortali.* » **Attritio** vero non justificat, nisi cum Sacramento reipsa suscepto. Aliis verbis : *attritio* sine Sacramento Poenitentiae non potest perducere peccatorem ad justificationem ; sed illum disponit et quidem proxime et sufficienter ad illam justificationem impetrandam in Sacramento Poenitentiae. Et sic verum est illud Theologorum axioma : « *Homo ex attrito fit contritus per Sacramentum Poenitentiae.* » Non quod attritio fiat contritio formaliter, sed quod juncta Sacramento aequivaleat contritioni, sufficiatque cum eo, ut quis gratiam habitualem recipiat.

Resolvitur. Merito **damnatae** fuerunt sequentes propositiones inter Baianas : 32 « *Charitas illa, quae est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.* » 71 « *Per contritionem etiam cum charitate perfecta et cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.* »

Q. 26. *An* attritio se sola *sufficiat* ad sacram. poenit. *valide* ac *fructuose* suscipiendum ?

R. Attritionem, etiam illam, quae vocatur a TT. *formidolosa*, de qua supra (pag. 226), si voluntatem peccandi excludat, adeoque non sit *serviliter* seu formaliter *servilis*, se solam sufficere in sacram. poenit. ad justificationem obtinendam, est sententia moraliter certa adeoque tuta in praxi.

Explanatur. Probatur ex Trid. (Sess. XIV *de poenit.* 4), ubi de **attritione** dicitur : « *Quamvis sine sacramento poenitentiae*

per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; TAMEN *eum ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam* DISPONIT. » Quod quidem intelligi non potest, nisi de dispositione *proxima*, ut adeo illud DISPONIT idem significet ac *sufficit :* alias enim TRID. nihil dixisset. Sicut enim constat, quod extra sacramentum sit dispositio *remota* (disposuit enim Ninivitas ad impetrandam misericordiam, ut dicit TRID.); sic ignorari non poterat, esse dispositionem saltem *remotam* in sacramento, sicque frustranea fuisset particula TAMEN. Deinde sensus foret : quamvis non sit dispositio extra sacramentum, est tamen in sacramento; cujus prima pars intellecta de dispositione remota est falsa. **Confirmatur 1°**) Si dicam : quamvis Petrus sine Paulo non possit elevare tale pondus, potest tamen cum Paulo, fit sensus : quod accedente Paulo possit absque ullo alio immediate illud elevare; ergo et hic. **Confirmatur 2°**) Loquitur TRID. de attritione, quae est pars sacramenti; sed pars disponit proxime, ergo. **Confirmatur 3°**) Cum TRID. non meminerit dispositionis proximioris in sacramento, doctrina foret manca. — **Nec objiciat** quis : Conc. TRID. (Sess. XI, c. 6) agens in genere de justificatione impii, docet quod peccatores, dum ad justificationem disponuntur, « *Deum.... tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata.* » Ergo ad quamcumque justificationem omnino requiritur saltem *initium dilectionis,* et consequenter *attritio* se sola non sufficit in sacr. poenit. ad justificationem obtinendam. **Respondetur** enim : **1°**) Quod affertur ex TRID. nimis probat : ergo nihil probat. Nam ibi etiam enumerat *timorem justitiae divinae,* qui tamen ad justificationem non requiritur. **2°**) Utique non requiritur initium amoris *charitatis* seu *benevolentiae;* nam hic amor, quantumvis remissus et debilis, extra sacramentum justificat, et ideo Patres TRIDENTINI ad verba : *diligere incipiunt,* noluerunt addere : *per actum charitatis,* ut aliqui petebant. **3°**) Attritus incipit Deum diligere : quia eo fine ad sacramentum accedit, ut in amicitiam Dei recipiatur. Praeterea, timendo divinam vindictam, eo ipso habet initium amoris, dicente Scriptura (Eccli. XXV, 16) : « *Timor Dei initium dilectionis ejus.* » **4°**) Ideo efficaciter fugit gehennam, quia amat beatitudinem : gehenna enim consistit non solum in poena sensus, sed etiam in poena damni seu in privatione visionis beatificae; ergo adest amor spei, quo dili-

gitur Deus, ut est summum bonum nostrum, docente S. Thom. (1.2. q. 40, a. 7) : « *Ex hoc enim quod per aliquem speramus, nobis posse provenire bona, movemur in ipsum sicut in bonum nostrum, et sic incipimus eum* amare. » 5°) Attritus, proponit servare mandata Dei : porro « *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me,* » ait Christus, (Joan. XIV, 21).—**Nec dicat** quis : qui ex solo metu gehennae detestatur peccatum, virtualiter habet hunc actum : *vellem peccare, nisi gehennam metuerem.* **Resp.** *Neg. ant.* Cum enim sciat et agnoscat peccatum ducere ad gehennam, hanc timet et aversatur propter se, et peccatum ejusque affectum propter ipsam. Unde potius dicit : cum detur gehenna, quam metuo et fugere volo, nullatenus volo peccare. Itaque hic actus, licet habeat pro objecto proximo malum poenae, excludere tamen potest affectum peccandi, eo quod talis poena non nisi per exclusionem complacentiae et affectus peccaminosi evitari possit ; neque formaliter aut virtualiter excludit alia etiam motiva detestandi peccatum, sed potius ad illa viam parat, licet hic et nunc ab illis praescindat ; unde etiam nulla est ratio dicendi, quod dolens ex solo metu gehennae, non doleret ex alio motivo, si gehenna non esset. Praeterea, licet attritio ex timore gehennae non causet displicentiam peccati secundum se, sed tantum ut est inductivum gehennae, tollit tamen indirecte et mediate affectum peccati, quia indirecte saltem et mediate non vult peccatum secundum se, cum nolit id quod inducit gehennam.

Ceterum hanc sententiam, quae, teste Bened. XIV (*de Syn.* lib. VII, cap. XIII, n. 7), « *vix nota, scholas omnes pervasit, et tanto plausu excepta est, ut plurimos ac magni nominis statim invenerit patronos ;* » quam decursu temporis, teste Gonet, Theologi « *unanimi fere consensu docent ;* » quam et, teste Lacroix, vocant : « *indubitatam, securam, moraliter certam, practice et indubie certam, certissimam et omnino tutam, determinatam in* Trid., *doctrinam Sanctorum, communem catholicorum et Ecclesiae sensum,* » ut adeo eam De Moya « *certa fide tenendam* » esse dixerit ; hanc, inquam, sententiam ideo tradimus, non ut confessarius aut poenitens **in praxi** contentus sit hac sola attritione concepta ex metu gehennae et poenarum, cum Rit. Rom. confessario injungat ut, audita poenitentis confessione, ejusque peccatis diligenter expensis, « *opportunas correptiones ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna*

charitate adhibeat, et ad dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere conetur; » sed ad utriusque solatium : ut scilicet, casu quo deesset vera contritio, post adhibitum ad eam eliciendam conatum, sciant etiam *sufficere* dictam attritionem formidolosam, quae facilius et certius habetur, eo quod metus gehennae valde feriat imaginationem et potenter retrahat a peccato, ideoque respectu rudium hoc motivum non est facile omittendum.

Dixi in Responsione : **si voluntatem peccandi excludat adeoque non sit serviliter seu formaliter servilis.** Quo circa notandum est. **Timor** *dupliciter* distinguitur : **filialis**, quo timetur offensa Dei, ut summi boni in se super omnia diligendi, nulla habita ratione poenarum, qualis timor invenitur in contritione perfecta; et **servilis**, quo timetur poena, et ideo sic dicitur, quia proprium est servorum seu mercenariorum poenam timere, et ex hoc agere. Porro timor *servilis*, alius est vel **simpliciter** seu *materialiter* servilis; alius vero **serviliter** seu *formaliter* servilis. Primus seu **simpliciter servilis** habetur, quando timor poenae non est ratio finalis, sed tantum impulsiva et proxima ac veluti occasio, cur quis doleat; et talis timor affectum peccandi tollit, et proinde bonus est et ex impulsu Spiritus Sancti procedit. Secundus vero seu **serviliter servilis** habetur, quando timor poenae est tota ratio tum impulsiva, tum finalis, cur quis doleat de peccato, adeo ut non doleret, si poena nulla esset; et talis timor non excludit voluntatem peccandi, cum voluntate actuali paratus sit ad peccatum committendum, si poena abesset, et proinde malus est.

Scholion. Judice Bened. XIV (*loc. cit.* n. 6 seqq), at contradicente Ballerini ap. Palmieri (V, 25 seq.), omnium primi F. Victoria et D. Soto, ambo ex Ord. Praed., docuerunt, ad peccatorum remissionem, virtute clavium, assequendam, satis esse attritionem *mere servilem*, modo tamen haec a poenitente **bona fide** reputetur contritio, ad quam ceteroquin eliciendam eum pro viribus conari debere affirmarunt. At Melch. Canus sententiam Vict. et Soti sequutus, eam praeterea extendit ad attritionem *mere servilem*, sic cognitam, i. e. quae a poenitente non existimetur vera contritio, sed talis esse cognoscatur, qualis revera est. Interim nonnisi dubitanter hanc doctrinam adstruxerat Canus, inquiens : « Contritio *ponitur pars sacramenti, quia est certa et indubitata materia. Quod autem* attritio

sufficiat, quamvis VERUM *sit, non est adeo certum et indubitatum; et ideo Conc.* FLOR., *communisque sententia, tenens certum, relinquens incertum, ponit, contritionem partem esse hujus sacramenti.*» CANUM sequuti sunt SUAR., VASQ., GAMACH., COMITOL., sed pavidi quodammodo et meticulosi. Posteriores DD., ob auctum sibi consentientium numerum, animosiores facti, non solum absque ulla dubitatione et limitatione idem asseruerunt; sed contrariam sententiam, requirentem in poenitente aliquem charitatis amorem saltem initialem, carpere et censura afficere non dubitarunt, eam *omnino improbabilem, periculosam,* TRID. *menti contrariam,* atque *implicite et virtualiter quodammodo ab eodem* TRID. *proscriptam* dictitantes. Verum, cum quaestio ab Ecclesia nondum sit definita, jure meritoque ALEX. VII (5 Maii 1667) sub poena excommunicationis latae sententiae omnibus in posterum prohibuit : « *ut... non audeant alicujus theologicae censurae alteriusve injuriae aut contumeliae nota taxare alteram sententiam sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in praefata* ATTRITIONE *ex metu gehennae concepta, quae hodie inter scholasticos* COMMUNIOR *videtur; sive asserentem dictae dilectionis necessitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum.* » Interim in haec ipsa verba scribit S. LIG. (H. A. XXI, 14) : « Attestando igitur Pontifex sententiam negantem esse *communiorem* inter scholasticos, consequenter testatur in scholis haberi *communiter certam*, dum quisque scit quod circa sacramentorum valorem alias sententias quam communiter certas, non posse DD. amplecti. Nec praefato decreto vetuit Pontifex, sententiam oppositam posse nuncupari *improbabilem;* nam improbabilitas non est nota censurae aut contumeliae per decretum vetita. »— Dixi in initio : **at contradicente** BALLERINI; observat enim pro doctrina de *sufficientia* attritionis plures allegari Doctores, CANO sane antiquiores, quos inter, praeter SCOTUM, PALUDANUM, CAPREOLUM, DURANDUM, ADRIANUM, S. ANTONINUM, SYLVESTRUM, etc., etc., annumerandus est S. THOM. (in 4. dist. 22, q. 2, a. 1, q. 3) ubi scribit : « *Quando aliquis accedit ad confessionem attritus, non plene contritus, si obicem non ponat, in ipsa confessione et absolutione sibi gratia et remissio peccatorum datur.* »

Q. 27. *An* in CONTRITIONIS *formulis,* quae circumferuntur, recte dicatur : *non doleo, quia infernum merui, vel coelum amisi, sed,* etc. ?

R. *Negative.*

Explanatur. Praefata motiva plane imperite et frivole sic positive excluduntur : nam jure merito quis dolet, quia infernum meruit et coelum amisit. Et quod immerito excludatur *timor gehennae* patet, quia juxta Trid. (Sess. XIV *de poenit.*, cap. 4) et *utilis* est, et *donum Dei*, et *Spiritus Sancti impulsus ;* et (Sess. VI *de just.*, can. 8) definitur : « *Si quis dixerit gehennae metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus vel a peccato abstinemus, peccatum esse aut peccatores pejores facere, anathema sit.* » Ubi cum dicatur *per quem*, et non *cum quo*, eo manifestius supponitur, metum gehennae cohibere posse peccandi voluntatem. Accedit damnatas fuisse ab Alex. VIII (7 Dec. 1690) sequentes propositiones : Sub n. 14 « *Timor gehennae non est supernaturalis.* » Sub n. 15 : « Attritio, *quae gehennae et poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.* » Item a Clem. XI, Bul. « *Unigenitus* » (8 Sept. 1713) : Sub n. 60 « *Si solus supplicii timor animat poenitentiam, quo haec est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.* Sub n. 61 : « *Timor nonnisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiae non ducitur.* » Sub n. 62 : « *Qui a malo non abstinet nisi timore poenae, illud committit in corde suo et jam est reus coram Deo.* » Sub n. 67 : « *Timor servilis non sibi repraesentat Deum nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.* » Denique, saltem pro rudibus, omnino securior videtur detestatio tum ex motivo gehennae, tum ex motivo charitatis, ut si forte unum non moveat satis efficaciter, moveat aliud, vel utrumque simul.

Q. 28. *Qualis* debeat esse DOLOR requisitus ad sacramentum poenitentiae?

R. Debet esse : *formalis*, *supernaturalis*, *universalis* respectu mortalium, *efficax* et *summus*.

Explanatur. Dicitur : 1°) **formalis**; i. e. actus positivus, quo voluntas vere et explicite dolet ac detestatur peccatum ut offensam Dei. Ratio est : quia Trid. (Sess. XIV *de poenit.* cap. 3 et 4) expresse ad sacramentum poenit. requirit *contritionem*, quae proprie denotat dolorem *formalem ;* ideoque ad ipsum non sufficit alius dolor mere *virtualis* et *implicitus*. Hinc **A**) etsi actus amoris Dei

super omnia, qui virtualiter est contritio, justificet extra sacramentum (pag. 186); in sacramento tamen est se solo insufficiens : quia dolor *formalis* est de essentia sacramenti. **Practice** tamen vix in homine, suorum peccatorum recordante, dari potest amor Dei super omnia, absque dolore formali de peccatis. **B**) Minus sufficit dolor implicitus in voluntate non peccandi de cetero : cum haec stare possit cum actuali complacentia de peccatis praeteritis. **C**) Neque sufficit dolor implicitus in desiderio dolendi, si revera, quod in praxi rarum est, tunc absit dolor actualis. **D**) Neque etiam dolor implicitus in desiderio absolutionis, esto quis sola peccata venialia confiteatur : cum Trid. sine distinctione peccatorum exigat dolorem formalem.

Dicitur 2°) **supernaturalis**, et quidem : tum ratione *principii*, quatenus elici debet cum auxilio gratiae (pag. 183); tum ratione *motivi*, quod aliquatenus ad Deum referatur. Constat ex prop. damn. ab Innoc. XI sub n. 57 : « *Probabile est, sufficere attritionem* naturalem, *modo honestam.* » Unde vanus est omnis dolor ex motivo *mere* naturali, v. g. deformitatis contra rectam rationem naturalem, vel causationis poenarum et malorum naturalium, qualis fuit dolor Antiochi, qui peccatum unice deflebat propter gravissimum, quo cruciabatur, morbum. Secus dicendum, si dolor sit de peccato : sive ob ejus turpitudinem, quatenus est contra legem divinam; sive prout est inductivum poenarum purgatorii, inferni, amissionis gratiae, gloriae, etc. Immo, juxta veriorem sententiam, quam *probabilissimam* vocat Croix, sufficeret attritio quae oritur ex metu poenarum *hujus vitae*, quatenus irrogantur *a Deo peccatorum vindice*. Quoniam tamen aliqui, quos inter Can. et Conc., id negant, cum Trid. dixerit : « *ex metu gehennae* et *poenarum*, » non vero *ex metu gehennae* vel *poenarum*, adeoque probabiliter utrumque posuerit pro *eodem* non pro *diverso;* ideo *ante confessionem* huic posteriori sententiae, tanquam tutiori, *post confessionem* vero priori adhaerendum esse, censemus.

Dicitur 3°) **universalis** respectu mortalium, i. e. debet se *extendere* ad omnia mortalia non directe remissa, etiam ignorata, saltem *implicite*, ratione scilicet *motivi omnibus mortalibus oppositi;* puta, vel quia peccatum mortale infinitae bonitati repugnat, vel quia per illud amittitur aeterna beatitudo, vel quia meretur

poenas gehennae, vel quia communem habet turpitudinem, quatenus fit contra Deum, summum legislatorem et benefactorem. Ratio est : quia nullum peccatum remittitur sine efficaci de eo dolore, nec ullum mortale sine alio (pag. 191). Dixi : *respectu mortalium;* unde non requiritur, ut dolor se extendat ad omnia *venialia*. Cum enim non sit obligatio omnia venialia confitendi, et unum remitti possit sine alio (pag. 191), etiam haberi potest dolor de uno et non de alio, saltem si hoc ad diversam speciem pertinet. Quod addo : quia si venialia sint *ejusdem rationis*, v. g. plura mendacia jocosa, non possum, juxta communem DD., dolore de uno, quin doleam de altero, quippe impossibile sit, ut quis sincere detestetur aliquod peccatum propter malitiam ei insitam, quin etiam odio habeat aliud eadem malitia affectum. Contradicit De Lugo (disp. XIV, n. 141). Posito tamen, quod quis confiteatur sola venialia, sub gravi tenetur saltem de *uno* ex illis dolere : quia alias sacramentum frustraretur sua parte essentiali, et consequenter suo valore. An autem quis *sub mortali* teneatur dolere de *omnibus* venialibus, quae *hic et nunc* confitetur, DD. *disputant*. Aliqui *affirmant :* quia confiteri aliquod peccatum sine dolore, est apponere aliquid pro materia sacramenti, quod apponi nequit; hoc autem est graviter illicitum, ut patet in eo, qui sacerdoti consecraturo inter plures hostias triticeas, apponeret alias papyraceas. Sed non valet paritas : quia forma consecrationis directe cadit super materiam consecrandam, et ideo si aliqua materia apponatur falsa, forma falsificaretur; ast forma absolutionis directe cadit super ipsam personam absolvendam, quae etiam in isto casu capax est absolutionis. Et ideo, esto quis in confessione aliqua venialia commisceat, de quibus non dolet, non per hoc peccat graviter; immo probabiliter nec leviter peccat : alias peccaret quoque, qui inter peccata etiam enumeraret imperfectiones, quae non sunt materia valida sacramenti. Et exinde concludo, si quis confiteatur multa venialia frequentata, sufficere, si doleat de frequentia excessuum, quin de aliquo in particulari doleat : quia ipsa frequentia habet saltem extensive distinctam deformitatem ab ipsis excessibus in particulari.

Dicitur : 4°) **efficax**; non quidem *effective*, quasi poenitens vi doloris deberet postea nunquum amplius peccare : nam sic quaevis

reincidentia in peccatum semper argueret insufficientiam doloris, quod ex Trid. (Sess. VI *de just.*, can. 23) certo falsum est; sed *affective*, ita ut excludat omnem affectum ad peccatum et voluntatem peccandi; aliis verbis : debet esse talis, ut, quamdiu exsistit, cum illo componi non possit voluntas peccati, de quo est dolor; alias homo non convertitur simpliciter ad Deum. Hinc non obstat, quod praevideas, te voluntatem mutaturum et in peccata relapsurum.

Dicitur : 5°) **summus**; non quidem *intensive*, cum intensitas, vehementia, acerbitas non pertineant ad essentiam doloris, quippe qui insit ratione, non vero appetitu ; quin imo dolor *intensive* summus est quidem impossibilis, quum per Dei gratiam possit semper magis ac magis augeri; sed sufficit *appretiative* summus, quo peccatum super omne malum appretietur, adeo ut poenitens *habitualiter* seu *dispositive* paratus sit quodvis deinceps bonum amittere aut detrimentum pati, potius quam peccatum, de quo dolet, perpetrare. Secus voluntas non averteretur absolute et pro omni casu a peccato. Interim, tam confessarius quam poenitens abstineant a comparationibus particularibus instituendis inter peccatum et hoc vel illud malum subeundum, quia secus via apperiretur infinitis scrupulis. Ita optime notat Cajetanus, inter interpretes S. Thom. primum forte locum occupans. Juvat audire ipsum D. Angelicum hac de re diserte disserentem (*Quodl.* 1, a. 9) : « *Contritus*, inquit, *tenetur* **in generali** *velle magis pati quamcumque poenam quam peccare... sed* **in speciali** *descendere ad hanc poenam vel ad illam, non tenetur. Quin imo stulte faceret, si quis seipsum vel alium sollicitaret super hujusmodi particularibus poenis. Manifestum est enim quod sicut delectabilia plus movent in particulari considerata quam in communi ; ita terribilia plus terrent si in particulari considerentur, et aliqui sunt qui in minori tentatione non cadunt, qui forte in majori caderent. Sicut aliquis audiens adulterium, non incitatur ad libidinem, sed si per considerationem descendit ad singulas illecebras magis moveretur. Et similiter aliquis non refugeret pati mortem pro Christo ; sed si descenderet ad considerandum singulas poenas, magis retraheretur. Et ideo descendere in talibus ad singula, est inducere hominem in tentationem et praebere occasionem peccandi.* » Idem docet in *Supp.* q. 3, 1.

Q. 29. *An* requiratur certa temporis DURATIO ad verum *dolorem* concipiendum?

R. *Neg.*, sed sufficit unicum doloris instans.

Explanatur. Patet ex Scriptura (2 REG. XII, 13). Nam DAVID, dolore tactus, dixit unice : « *Peccavi Domino;* » et NATHAN propheta respondit ei : « *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* » Quaemadmodum igitur unicum instans sufficit, ut homo ex justo fiat peccator, ita quoque sufficit, ut ex peccatore fiat justus. Hinc TT. axioma : « *Homo in momento emendatur a gratia.* »

Q. 30. *An* DOLOR necessario debeat : 1°) elici *ex intentione* sacramenti; 2°) *praecedere* confessionem; 3°) formaliter seu actualiter *coexsistere* absolutioni; 4°) de *novo* elici, si poenitens, statim post absolutionem, peccatum mortale ex oblivione omissum confiteatur?

R. Ad 1^um^) *Neg.*, sed sufficit, juxta sententiam moraliter certam, ut praecedens dolor aliquo modo referatur ad subsequentem confessionem, ita ut cum illa moraliter sit unitus.

Explanatur. Constat ex praxi fidelium : si enim quis, audiendo v. g. concionem, excitetur ad dolorem, dein ex eo dolore moveatur ad confessionem, hic habetur bene dispositus, quamvis intentio confitendi oriatur a dolore et non dolor ab intentione confitendi.

Nec dicatur : dolor debet esse pars sacramenti; sed talis non est, nisi eliciatur ex intentione sacramenti; ergo. *Prob. Min.* Contactus materiae in ordinatione sine intentione suscipiendi sacramentum, quamvis statim post eo referatur, non sufficit : ergo a pari, cum dolor ex se indifferens sit, ut sit *in* vel *extra* sacramentum.

Respondetur. *Neg. Minor.* Satis ordinatur ad sacramentum et fit pars hujus, si ex dolore, adhuc perseverante *moraliter*, movear ad confessionem; sicut, si contactus materiae in ordinando adhuc perseverans, postea ordinaretur ad suscipiendum sacramentum Ordinis; hinc argumentum est pro nobis, cum hac differentia, quod contactus materiae debeat manere *physice*, dum profertur forma; dolorem sufficit manere *moraliter*, ut patet in eo, qui absolvitur distractus vel dormiens.

Dixi : **aliquo modo referatur**, etc. ; nam si dolor praecedens *nullo modo* referatur ad confessionem, ut si hodie dolens non cogites de confessione crastina, nec cras confitens recorderis doloris hesterni, invalide confiteris, nisi novum dolorem concipias ; quia pars debet referri ad compartem, et confessio sacramentalis et valida debet esse dolorosa, qualis non potest esse nisi per dolorem aliquo ex his modis ad se relatum : sive *antecedenter*, ut quando dolor de peccatis elicitur ex fine seu intentione confessionis facienda, v. g. si cras volens confiteri, ideo hodie examino conscientiam et dolorem de peccatis elicio ; sive *concomitanter*, ut si nunc nil cogitans de facienda confessione, elicias dolorem et exinde motus proponas cras vel proxima occasione confiteri et reipsa dolore non revocato, in proxima occasione confitearis ; sive *consequenter*, ut si hodie doleas de peccatis nil cogitans de confessione facienda, cras autem facto proposito confitendi, referas primum dolorem pridie habitum ad istam confessionem, absque novo dolore elicito.

R. Ad 2^{um}) *Neg.*, saltem *speculative* loquendo.

Explanatur. Ratio est : quia confessio fit sacramentalis et dolorosa per hoc, quod fiat ex intentione obtinendae absolutionis, ad quod dolor requiritur ; et qui confitetur, ut habeat absolutionem, satis declarat, vel quod habeat dolorem, vel mox illum sit habiturus ante absolutionem. « Hanc sententiam, ait Sass., multi dicunt esse moraliter certam, ex praxi confessariorum, qui audita confessione conantur efficacibus verbis poenitentem frigidum ad dolorem excitare, vel rudem, de cujus dolore dubitant, et non obligant ad repetendam breviter confessionem. » Quam praxim non esse improbandam, satis indicat Rit. Rom., dum confessarium monet, ut poenitentem « *audita confessione,... ad dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere conetur.* » Deinde, uti cum Bill. observat Sass., « quamdiu poenitens flectit, exspectans absolutionem, censetur moraliter perseverare in confessione eamque ipso facto continuare ac quasi dicere : *ego sum ille, qui haec feci*, etc. Interim bene facis si, dum deprehendis non elicuisse dolorem, elicito dolore dicas : « *Numquid de his et omnibus peccatis tuis te accusas ?* Si dicat : *ita*, hoc omnino sufficiet. Si obliviscaris, angi necesse non est. »

Dixi in Resp. : **saltem speculative loquendo**; quia *in praxi* dolor praemittendus est confessioni, etiam ideo, ne forte postea distractus absolutione praeveniatur, aut perturbatus in exigua mora non satis serio et efficaciter doleat. Et ideo quoque in catechismis et concionibus actus poenitentis semper recenseri debent **hoc ordine** : *contritio, confessio et satisfactio.*

R. Ad 3um) *Neg.*, sed sufficit, ut praecedat absolutionem, sicut in aliis judiciis sententia sequitur alios actus praevios. Interim *quamdiu* possit praecedere, *incertum* est.

Explanatur. Juxta communem sententiam dolor perseverare potest per plures dies, modo non fuerit revocatus ante confessionem, aut per *actum contrarium* : scilicet per complacentiam, vel consensum in idem peccatum, de quo quis doluit; aut per *aliud quodcumque peccatum mortale.* Quod si sub eodem motivo communi quis doluerit de omnibus peccatis tam mortalibus quam venialibus, et solum revocet dolorem venialium, nihil obest valori confessionis : quia per hoc non censetur dolorem suum revocasse etiam de mortalibus. Si vero heri, quando dolorem elicuisti de tuis peccatis, solum recordatus sis venialium, et hodie occurrat mortale, *distinguendum* est, utrum de illis venialibus dolueris modo solis venialibus ordinarie correspondente; an vero sub motivo generali, omnibus peccatis, etiam mortalibus conveniente. Si *prius*, opus erit novo dolore; si *posterius*, sufficit dolor praecedens. Ita Spor.

In **praxi** suadendum est, ut immediate ante absolutionem eliciatur actus contritionis : quia actualis contritio magis disponit poenitentem ad gratiam sacramentalem; sive id fiat ante initium absolutionis sacramentalis, uti communius et securius exigunt TT.; sive saltem ante terminum ejusdem, uti quibusdam adhuc videtur sufficiens, eo quod primum in ultimo instanti prolationis verborum conferatur effectus sacramentalis. Nihil autem prodesset dolor subsequens formam absolutionis : quia finita absolutione tanquam sententia judiciali, finita jam est tota actio sacramentalis.

R. Ad 4um) *Neg.*, saltem *speculative* loquendo.

Explanatur. Ita « *probabilius* » juxta Bill.; estque sententia, teste S. Lig. (VI, 448), « *communis,* » quam « *moraliter certam* » a

Roncaglia, « *probabilissimam* » a Sporer cum Elbel et aliis multis, ac demum « *indubitatam apud omnes* » ab aliis dici testatur; et pro qua « *stat*, ait Lug., *et communis praxis.* » Ratio est : quia prior dolor, qui supponitur fuisse ex motivo universali, ad peccata etiam oblita se extendit, et certo perseverat, cum ex hypothesi poenitens oblitum peccatum immediate confiteatur. Aliunde explicitus dolor adesse videtur in ipso actu illud peccatum accusandi —Dixi : **saltem speculative loquendo** ; nam contraria sententia cui, judice Ballerini, « *neque auctoritas, neque solida ratio ulla suffragatur,* » nihilominus a S. Lig. (l. c.) «*probabilis, imo probabilior*» habetur, et ideo **in praxi** eam «saltem tutius censeo tenendam,» ait. Ceterum in illo casu, consultius est, generatim loquendo, novam poenitentiam imponere, et novam absolutionem iterum impertiri, ne mutilum sit sacramentum; idque ad animae tranquillitatem, ad poenitentis solatium et ob novum fructum a sacramento percipiendum.—Dixi : **generatim loquendo** ; nam excipe, si res sit cum meticulosis qui iterum iterumque redeunt; item si agatur de illis, qui brevi ad eumdem confessarium redire solent; tunc in alia confessione de oblitis directe absolvantur.

Q. 31. *An*, ob defectum doloris, dari possit sacramentum poenitentiae *validum*, sed *informe?*

R. *Controvertitur* (tom. II, pag. 363).

Explanatur. Alii **negant** cum Bill., Sylv., Conc., Vasq., Spor., etc.; alii **affirmant** cum Cajet., Soto, Cano, Sylvest., S. Ant., etc., quibus suffragatur S. Thom. (in 4, d. 17, q. 3, a. 4, q. 1 et *Suppl.* q. 9, a. 1), qui tamen, teste Bill., videtur hanc sententiam retractasse (*Suppl.*, q. 29, a. 8).—Existimat Card. De Lugo, id duplici tantum in casu evenire posse : 1°) Quando quis duplicis peccati reus, ex invincibili oblivione de altero tantum doleat et hoc solum confiteatur; v. g. si quis commisit duplex peccatum, alterum furti, alterum odii, confitetur peccatum furti, de ipsoque dolet propter specialem turpitudinem furti, quam nimirum habet relate ad virtutem justitiae; de peccato autem odii non dolet nec illud confitetur, quia illius invincibiliter est oblitus. In hoc enim casu, cum homo apponat materiam, scilicet confessionem formaliter integram et dolorem efficacem cum proposito absoluto, nihil videtur

deesse ad hoc, ut adveniente absolutione fiat verum et validum sacramentum; et tamen non confertur gratia, quia datur obex peccati odii non retractati per dolorem aliquem formaliter aut virtualiter; atque adeo sacramentum in hoc casu erit validum et informe. **2°**) Quando quis ex ignorantia invincibili crederet, non esse peccatum mortale accedere ad sacramentum sine dolore de omnibus, dum tamen dolor adesset de aliquo. — In *primo* casu, ex De Lugo oportebit *tantum* repetere postea illa peccata, quae non fuerint in confessione exposita; in *secundo*, quae quis sine dolore confessus est.

Q. 32. *An* in sacram. poenit., praeter DOLOREM, requirantur *expliciti* actus *fidei* ei *spei?*

R. *Negative.*

Explanatur. Nec dicatur ideo eos actus exigi, quia a Trid. expresse memorantur, ubi describitur processus justificationis (Sess. VI, c. 6); nam haec ratio nimis probaret, cum evinceret quoque necessitatem audiendi praeconem fidei, cum ibi dicatur : « *fidem ex auditu percipientes*, » et insufficientiam insuper doloris charitate perfecti sine imperfecto, quia ibi legitur : « *timore divinae justitiae concutiuntur.* » Ceterum, poenitens eliciens actum doloris, etiam *explicite* aliquo modo et *exercite* hos actus elicit, etsi non *reflexe* : quia tunc sine dubio credit exercite et sperat sibi per sacr. poenit., in virtute meritorum Christi, peccata remittenda esse.

CAP. 2. De proposito.

Q. 33. *Quid* 1°) sit PROPOSITUM in sacr. poenit.; 2°) *quotuplex* distinguatur, et 3°) *utrum* pro confessione sufficiat *virtuale?*

R. Ad 1^{um}) Est voluntas *non peccandi de cetero.*

Resolvitur. Unde non sufficit **velleitas,** seu simplex desiderium vitandi peccata, ut si quis diceret : vellem abstinere, si possem, si non urgeret tentatio; neque e contra exigitur **promissio** aut **votum** non amplius peccandi; sed requiritur voluntas non tantum non amplius eadem peccata committendi, sed et in posterum cavendi omnia omnino peccata mortalia.

R. Ad 2^{um}) *Duplex* distinguitur.

Explanatur. Unum dicitur **explicitum** seu **formale,** estque actus voluntatis quo v. g. dico : volo emendare vitam, volo deinceps abstinere a peccatis vel simili modo ; — alterum **implicitum** seu **virtuale,** quod includitur in seria detestatione peccatorum, estque realiter dolor : qui enim serio dolet se peccasse, etiam implicite seu virtualiter proponit non amplius peccare.

R. Ad 3^{um}) *Controvertitur.*

Explanatur. Dantur **tres** sententiae. — Alii **negant** cum Cajet., Can., Conc., etc. ; quia, licet dolor necessario includat propositum, tamen Trid. (Sess. XIV *de poenit.*, cap. 4) videtur requirere de facto *formale* propositum, dicens : « *cum proposito non peccandi de cetero.* » Secus frustra id addidisset. — Alii probabilius et communius **affirmant** cum Luc., Sass., Tabern. : quia ex nullo capite ostenditur plus requiri, cum Concilia abstrahant a *formali* et *virtuali*, et nominatim Trid. (*ibid.*) dicat contritionem imperfectam seu attritionem disponere ad gratiam in sacramento, « *si voluntatem peccandi excludat.* » Unde loco verborum : « *cum proposito non peccandi de cetero,* » ponit « *si voluntatem peccandi excludat* » sicque per haec posteriora explicantur illa priora, ut adeo Concilium tantum intenderit non sufficere *quemcumque* dolorem et detestationem de peccato commisso ; sed *efficacem*, qui scilicet conjunctus est cum proposito non peccandi de cetero, sive hoc propositum sit *formale*, sive *virtuale*. Accedit, ut plures referunt, auctoritas Conc. Rom. sub Bened. XIII, quod, in *Instructione* pro pueris sacr. poenit. recepturis ad calcem decretorum subjecta, requirit tantum ad valorem sacramenti, ut habeatur propositum saltem *implicitum*. Denique haec sententia a nonnullis vocatur *communis*, *moraliter certa* aut etiam *verissima*. — Alii demum **distinguunt** cum Bill., Sylv., Spor., docentque requiri propositum *formale*, si poeniteus cogitet de vita futura ; sufficere vero *virtuale*, si nihil de futuro cogitet. « Ratio, ait Bill., quia propositum *formale* non est de essentia contritionis nec consequenter pars essentialis sacramenti, sed requiritur tantum de praecepto, quando quis vult justificari. » — « Hae duae ultimae sententiae sunt quidem probabiliores, » inquit S. Lig. (VI, 450). Quoniam vero **prima** sententia probabilis est, hinc *ante factum*, si cogites de vita futura, debes elicere propositum

explicitum, cum agatur de valore; *post factum*, si bona fide confessus es cum proposito *implicito*, potes esse tranquillus, nec teneris repetere, quia probabiliter aut probabilius satisfecisti legi, et in dubio praesumitur pro valore actus. — Ceterum **practice** non est movenda difficultas : « cum, ut recte notat Scavini, vix eveniat quod poenitens vere contritus propositum etiam *explicitum* omittat, etsi ad hoc non reflectat, quod non est necesse. » Adde, quod fideles formulam contritionis recitare soleant, quae propositi *expliciti* actum continet.

Q. 34. *Quaenam* sint CONDITIONES requisitae in *proposito?*

R. Ut sit *firmum*, *efficax* et *universale* respectu omnium mortalium.

Explanatur. Dicitur 1°) **firmum**; non quidem *effective* seu firmitate eventus futuri : alias nunquam relaberetur; sed *affective* seu firmitate voluntatis praesentis, ita ut, quamdiu haec exsistit, componi non possit cum illa voluntas peccandi. Hinc firmitati propositi non obstat : **A**) *timor peccandi* ex propria fragilitate, cum e contra timor sit signum veri propositi; qui enim timet, non vult; **B**) *credulitas reincidentiae in peccata*. Hic enim actus *intellectus*, quo certo judico, me relapsurum propter fragilitatem, v. g. quam toties sum expertus, non tollit firmitatem voluntatis praesentis, qua firmiter intendo cum Dei adjutorio, quod spero adfuturum, abstinere a peccato. Hinc quoque recte scribit Croix : « *Sicut S. Petrus non ideo judicatus est indispositus ad communionem, quod a Christo sciretur relapsurus; ita nec consuetudinarius censendus est indispositus ad absolutionem, quamvis* MORALITER *sciatur, esse relapsurum.* » Ceterum, consulendum est infirmioribus, ut de judicio formando, an sint perseveraturi, non cogitent.

Dicitur 2°) **efficax**: scilicet *affective*, ita ut homo proponat non solum non committere peccata, sed etiam omnia media necessaria adhibere ad illa evitanda, et praecipue omnes occasiones proximas removere; non vero *effective* : quia relapsus non est signum certum, quod defuit voluntas, sed saepe est signum mutatae voluntatis. Hoc aperte docet S. Thom. (p. 3, q. 84, a. 10 ad 4), inquiens : « *Quod autem aliquis postea peccat vel actu vel proposito, non excludit quin prima poenitentia* VERA *fuerit : nunquam enim veritas prioris actus*

excluditur per actum contrarium subsequentem; sicut enim vere cucurrit qui postea sedet, ita vere poenituit qui postea peccat. » Hanc ob causam quidam existimant a Christo Domino (Joan. VII, 11) dictum fuisse adulterae : « *Jam amplius* **noli** *peccare;* » non autem : *Ne pecces amplius.* Et ideo quoque Rit. Rom., loquens de *recidivis*, ait : « *In peccata* facile recidentibus, *utilissimum fuerit consulere, ut saepe, puta semel in mense, vel certis diebus solemnibus confiteantur, et, si expediat, communicent.* » Non dicit, ut *facile recidentibus* absolutio danda non sit, propter dubium quod subest de eorum proposito.

Dicitur 3°) **universale** respectu omnium *mortalium*. Quod *venialia* attinet, sufficit propositum vitandi saltem unum ex confessis; immo, sufficit propositum de evitandis venialibus confessis praecise quoad *frequentiam* : quia sic habetur voluntas diminuendi venialia, adeoque se emendandi Et ideo S. Thom. (p. 3, q. 87, a. 1 ad 1) docet requiri tantum « *propositum se praeparandi ad peccata venialia minuenda.* » — Ceterum pro confessione **venialium,** notentur sequentia : **A**) Potest homo proponere evitare omnia peccata venialia *plene deliberata,* cum haec omnia possimus moraliter vitare; quoad *semi-deliberata*, sufficit dolor, quod facta sint, et imposterum velle adhibere diligentiam pro illis saltem minuendis. **B**) Nocivum est, texere catalogum longum omnium venialium, dum confiteris; sed melius est, *in specie* se accusare de paucis, de quibus certo habetur dolor ac propositum, de aliis autem omnibus *in genere.* **C**) Quoniam, ut ait Thomas a Kempis (I, 11) : « *Si omni anno unum vitium perfecte exstirparemus, cito viri perfecti essemus;* » ideo consultum est, ut semper quis eligat aliquod veniale gravius et quod forte aliorum est causa, de quo specialiter doleat et singulariter emendare proponat.

CAP. 3. De confessione.
Ubi praesertim de ejus veracitate, integritate et causis ab integritate excusantibus.

Q. 35. *Quid* 1°) sit confessio sacramentalis; 2°) an sit *instituta* ac *necessaria* de jure divino; et 3°) *quaenam* sint dotes confessionis?

R. Ad 1um) Ex S. THOM. (in 4. d. 17, q. 3, a. 2) cum BILL. et DD. communiter sic recte definitur : « *Accusatio legitima peccatorum facta sacerdoti competenti ad veniam, virtute clavium, obtinendam.* »

Explanatur. Dicitur 1°) : **accusatio**; quia peccata non sunt aperienda modo historico, aut ad excusationem aut ostentationem, sed animo se accusandi et se reum exhibendi. Dicitur 2°) : **legitima**; i. e. vestita omnibus suis dotibus, de quibus infra. Dicitur 3°) : **peccatorum**; propriorum scilicet et actualium post baptismum commissorum, ut designetur objectum seu materia confessionis. Dicitur : 4°) : **facta sacerdoti competenti**: i. e. habenti jurisdictionem. Unde facta laico vel sacerdoti non habenti jurisdictionem, non est sacramentalis, adeoque nulla. Dicitur 5°) : **ad veniam obtinendam**; ut ostendatur finis et effectus confessionis ejusque differentia ab aliis tribunalibus, in quibus non venia, sed poena constituitur. Unde si peccatorum manifestatio fit solummodo consilii causa, aut intentione irridendi vel pertrahendi confessarium in peccatum, non erit confessio sacramentalis. Dicitur 6°) : **virtute clavium** ; quia confessarius potestate sibi a Christo tradita vere absolvit, ut antea diximus (pag. 214 seq.). Praeterea hoc additum est, ne intelligantur *confessiones generales*, quae in Officiis divinis peraguntur.

R. Ad 2um) *Affirmative.*

Explanatur. Utrumque de fide definitum est in Conc. TRID. (Sess. XIV *de poenit.* can. 6 et 7) : « *Si quis negaverit, confessionem sacramentalem vel* INSTITUTAM, *vel ad salutem* NECESSARIAM *esse jure divino,... anathema sit.* » « *Si quis dixerit, in sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum* NECESSARIUM *non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, et circumstantias quae speciem peccati mutant, anathema sit.* » Quae catholica veritas 1°) luculenter ostenditur sequenti argumento. Constat ex dictis, sacram. poenit. a Christo fuisse institutum (pag. 197), illudque esse necessarium ad veniam impetrandam peccatorum mortalium post baptismum commissorum (pag. 201). Atqui confessio est pars

essentialis sacramenti poenit.; ergo et ipsa a Christo instituta eademque ratione necessaria est. Prob. *Min.* ex ipsis verbis institutionis hujus sacramenti. His enim, uti argumentatur Trid. (l. c. cap. 5), « *Dominus N. J. C., de terris ascensurus ad coelos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit tanquam praesides et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur in quae Christi fideles ceciderint; quo, pro potestate clavium,* remissionis *aut* retentionis *peccatorum sententiam pronuntient.* » Atqui « *constat sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie ac singillatim sua ipsi peccata declarassent.* » Ergo confessio peccatorum mortalium post bapt. commissorum est pars essentialis sacr. poenit., adeoque necessaria ex institutione Christi. Huic argumento in S. Scriptura fundato accedit : 2°) tum perpetua traditio, de qua testantur innumera SS. PP. eloquia; tum universalis Ecclesiae, tam *orientalis* quam *occidentalis*, praxis; quae non modo probant confessionem sacramentalem ab initio Ecclesiae in usu fuisse, verum etiam habitam fuisse ut a Christo institutam et necessarium. Aliunde 3°) confessio peccatorum secretorum et pudendorum res est adeo ardua et difficilis, ut nunquam tot saeculis observata fuisset, nisi a Christo ut necessaria foret instituta.

Resolvitur. Ex dictis patet, haeretico spiritu falli Kemnitium, Dallaeum aliosque Novatores, dum asserunt praeceptum confessionis sacramentalis esse **inventum** Innocentii III in Conc. Lateranensi IV, quod ideo vocant *tormentum innocentianum*. Quare merito damnati fuerunt in Conc. Trid. (Sess. XIV, can. 6) : «*Si quis dixerit, modum secreto confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi et* inventum *esse humanum, anathema sit.* » Praeterea, ut recte notat Bill., « omnem verisimilitudinem superat, quod ista lex, tam ardua, dura et difficilis, sine Scripturarum et Traditionis suffragio, ab omnibus totius orbis Ecclesiis fuerit recepta, nemine reclamante aut conquerente. Quis enim tunc reclamavit? Quis conquestus est? Insuper ex ipsis terminis Concilii in capite « *Omnis utriusque sexus* » evidens est, in eo non agi de natura aut substantia confessionis, sed de ejus circumstantiis tantum, scilicet de tempore, ut fiat *semel* in anno, et de ministro, ut

fiat *proprio sacerdoti.*» — **Nec objicias** : Si confessio foret juris divini, auctoritate humana auferri non potuisset. Atqui, ut referunt Socrates, Sozomenus et Nicephorus, confessionis usum sustulit Nectarius, Patr. Const., ob scandalum ortum ex confessione cujusdam feminae nobilis, quae se accusaverat patrati cum diacono in Ecclesia sacrilegii. **Resp.** *Dist. Min.* Abrogavit confessionem *publicam* occultorum, *trans.;* abrogavit confessionem auricularem et secretam *neg.* Nec obstat Poenitentiarium a Nectario fuisse exauctoratum : hoc enim optime fiebat ob imprudentiam, quia forte consuluerat aut permiserat istius sacrilegii publicationem, quod in illis circumstantiis erat tacendum.

R. Ad 3^{um}) Ex S. Thom. (*Suppl.* q. 9, a. 4) sunt *sexdecim* dotes seu conditiones legitimae confessionis, his versibus contentae :

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda et discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta et lacrymabilis, accelerata,
Fortis et accusans, et sit parere parata.

Explanatur. Confessio sacramentalis sit 1°) **simplex** : i. e. non immixta impertinentibus, quae, quantum fieri potest, a confessario sunt resecanda. Hinc in « *Inst. pro confess. dioec.* Mech. » legitur : « *Sedulo caveant, ne in confessione misceant quae ad eam non sunt necessaria, nisi quatenus ad salutarem instructionem evidenter pertinent; poenitens, reliqua etiam narrare volens, silere jubeatur.* » Unde quoque perperam agunt et peccant confessarii qui, ubi novum poenitentem audierunt, mox de ejus nomine, domo, familia, etc., inquirunt; item, maxime juniores, qui in excipiendis confessionibus, praesertim puellarum, nimium quam par est temporis insumunt, non sine gravissimo adstantium scandalo, sinistris oblocutionibus, despectu sacramenti gravique poenitentium qui subsequuntur impatientia. 2°) **Humilis** : tum *habitu* juxta dicta (pag. 224), tum *mente*, i. e. cum agnitione suae miseriae, culpam sibi, non daemoni tentanti, marito, uxori, prolibus vel sociis tribuendo. 3°) **Pura** : i. e. facta cum *recta* intentione amicitam Dei recuperandi et cetera bona nobis necessaria obtinendi. « Si ergo,

ait Bill., fit propter finem malum mortaliter, invalida erit confessio; si propter finem venialiter malum, puta propter vanam gloriam, poterit esse valida, si nempe vana gloria non sit causa totalis et adaequata confessionis; cum peccato enim veniali possunt adesse omnia ad validitatem confessionis necessaria.» 4°) **Fidelis** : i. e. *vera*, ita ut poenitens confiteatur peccata, prout conscientia dictat, certa ut certa, dubia ut dubia, mortalia ut mortalia, etc. Huic conditioni, de qua latius infra, adversantur *mendacium* et *hypocrisis*. 5°) **Frequens** : quia confessio est instituta pro peccatoribus : ergo quo quis saepius peccat, saepius ea uti debet, Adde, quod non sit tantum in remedium praeteritorum, sed etiam in cautelam futurorum. Cui doctrinae Angelici Doct. refragantur ii qui, quosvis peccatores relabentes in peccata arcent a confessione eosque interim gravibus operibus addicunt pro expiandis, inquiunt, peccatis praeteritis et cavendis futuris; cum tamen *frequens* confessio non tantum utilis sit piis et devotis hominibus, sed iis quoque qui in gravia peccata prolabi solent, imo pro quibusdam recidivis et consuetudinariis fere unicum sit efficax remedium emendationis. 6°) **Nuda** : i. e. *clara*, sine ambagibus et aequivocationibus, ut confessarius possit intelligere, qualiter peccaverit poenitens, ideoque prout erant peccata in conscientia, dum committebantur. 7°) **Discreta** : tum ex parte *poenitentis*, qui neminem praeter se accusare debet, et peccata, maxime in materia luxuriae, verbis honestis aperire, ita tamen ut species exprimatur; tum ex parte *confessarii*, qui prudenter et caute interrogare debet, ne poenitentem doceat malitiam, quam melius ignorat. « Enormiter hic etiam errant confessarii, ait Sass., qui intellecto uno alterove peccato graviori mox durius increpant poenitentes, quo fit, ut hi non raro perterriti reddantur nimis confusi et pusillanimes, vel etiam reliqua peccata graviora reticeant, et loco gratiae sacramentalis grave sacrilegium reportent. Si increpatio requiratur, in fine facienda est. Interim cogitent hi, qua mansuetudine et discretione Christus fuerit usus erga peccatores contritos; abesse saltem debet verbum mordax, acutum vel contumeliosum. » 8°) **Libens** : i. e. *voluntaria*. Unde confessio *omnimode coacta* est invalida; secus si sit *involuntaria secundum quid*, ut quandoque contingit in pueris qui metu parentum ad confessionem accedunt : nam cum hujusmodi

involuntario consistere potest quod sit integra et cum sufficienti dolore. 9°) **Verecunda** : ita ut poenitens corde et ore prae se ferat verecundiam, non autem per modum nudae historiae proterve enarret peccata, prout faciunt aliqui de quorum dispositione merito dubitatur ideoque serio sunt admonendi. Interim, iterum caveat confessarius, ne poenitentes nimis verecundos inter confitendum deterreat, sed potius alliciat commendando confidentiam et correctionem in finem differendo. 10°) **Integra** : ita ut nihil reticeatur quod juxta Christi praeceptum exponendum est. De hac dote ulterius infra. 11°) **Secreta** : i. e. fieri debet apud solum sacerdotem; id enim postulat decentia, periculum infamiae evitandum et praxis Ecclesiae. Non est tamen de necessitate Sacramenti, ut docet Trid. (Sess. XIV, cap. 5) hisce verbis : « *Etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiae offensae aedificationem, delicta sua publice confiteri possit, non est tamen hoc divino praecepto mandatum.* » Patet ex eo quod olim Ecclesia quaedam peccata publice declarari permiserit; item ex eo quod in naufragio aut incendio liceat aliis audientibus confiteri. Imo, si peccator in articulo mortis constitutus et non valens secreto confiteri, dubitaret an sit perfecte contritus; teneretur, in eo casu, ex charitate sibi debita, id quod tutius est eligere, adeoque publice confiteri; sed sufficeret cum attritione universali confiteri unum alterumve peccatum minus infamans, aut etiam culpam tantum venialem (S. Lig. VI, 494 et H. A. XVI, 29, 35). 12°) **Lacrymabilis** : i. e. *dolorosa*, ita ut conjuncta sit cum aliquo dolore, qui non necessario oculis corporeis, sed corde percipitur. 13°) **Accelerata** : i. e. non nimis dilata post peccatum, juxta dicta (pag. 186 seq.).) 14°) **Fortis** : ne propter ruborem veritas omittatur. Unde juvat juxta S. Bonav. ea prius declarare peccata quae majori confusione afficiunt. Ceterum praestat uni sacerdoti ad sigillum obligato peccata aperire, quam in judicio universali coram omnibus cum irreparabili pudore manifestari. 15°) **Accusans** : non vero *excusans*, ut patet ex definitione. 16°) **Parere parata** ; ita ut poenitens paratus sit confessario obedire ejusque monitis obtemperare. Sunt qui legunt : *punire parata*, quia poenitens debet esse paratus adimplere poenitentium imponendam.

Resolvitur. Ut notat S. Thom. (*ibid.*), non omnes illae *dotes* seu *conditiones* sunt de necessitate confessionis, sed quaedam earum spectant *ad bene esse* ipsius.—Omnium praecipuae sunt : **fidelitas** seu *veracitas*, et **integritas,** cum earum defectu confessio facilius possit esse invalida. Quare latius de his in sequentibus dicetur.

Q. 36. *Quale* peccatum sit MENDACIUM in confessione?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Mendacium committitur : vel in materia *confessioni* **extranea**; vel in materia *ad confessionem* **pertinente**. —Si **primum** : ut si mentiaris in confessione circa parentes tuos, nomen, patriam aut domicilium tuum, etc., mendacium *per se* est leve peccatum. Dico : *per se;* nam secus esset, si mendacium involveret peccatum mortale, ut si v. g. occasione tuorum peccatorum detraheres alteri tertio in re gravi; quo casu grave sacrilegium committeretur : cum sacramentum redderetur nullum propter indispositionem. — Si **secundum** : *subdist. est :* **1°**) *Accusare se de peccato mortali non commisso*, ut aliquando faciunt devotulae ad curiositatem, ad complacentiam in interrogationibus a confessario faciendis habendam, etc., per se grave est sacrilegium : quia est pervertere in re gravi judicium sacramentale. Dico : *per se;* quia *per accidens* excusantur simplices, agentes ex ignorantia invincibili seu bona fide, ut dum in numero peccatorum exponendo putant melius esse abundare, quam deficere. **2°**) *Negare mortale,* quod declarari *debet,* iterum est grave sacrilegium. **3°**) *Confiteri veniale non commissum,* si sit materia unica absolutionis, est grave sacrilegium : quia reddit sacramentum nullum defectu materiae. Secus est mendacium leve. **4°**) *Negare veniale commissum* aut *mortale jam directe remissum* est mendacium per se leve : quia est circa materiam liberam. Dico : *per se;* quia per accidens potest esse grave sacrilegium negare mortale jam confessum, si v. g. confessarius de illo interroget, ratione consuetudinis aut periculi proximi. Hinc Innoc. XI damnavit propositionem sub n. 58 : « *Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* » **5°**) Qui dicit, se de peccatis vere dolere aut firmum propositum habere non peccandi de cetero, cum scientia aut gravi formidine de opposito, si *mortalia* sint, grave committit sacrilegium; si

venialia, sed unica materia hujus confessionis, adhuc graviter peccat frustrando sacramentum suo effectu. Secus, si de aliquo saltem doleat.

Q. 37. *An* peccet, defectu VERACITATIS, qui *prius* confitetur ignoto *mortalia*, et *dein* cognito *venialia*, ne amittatur bona existimatio?

R. *Neg.*, per se.

Explanatur. Ratio est : quia talis utitur jure suo, et licet tunc confessarius ordinarius decipiatur, putans poenitentem illa sola venialia fecisse ab ultima confessione, hic tamen non mentitur, et ad deceptionem confessarii se habet permissive. Imo, juxta plures, verecundiae causa, licet pridie ab alio fuisset absolutus, potest dicere suo consueto : v. g. *a 15 diebus non veni*, vel *ad te non accessi ad confitendum*, quia reipsa ad hunc non venit ; nec mentiretur, si, utendo restrictione mentali, simpliciter negaret *ordinario* interroganti, se apud alium confessarium peccata sua deposuisse. Cum enim confessio sit libera, ratione confessarii eligendi, jus habet poenitens quemcumque approbatum adeundi, quo jure privaretur, si fateri teneretur, se alium confessarium adiisse. — Dixi : **per se**; nam secus dicendum, si hac agendi ratione maneat in morali occasione peccandi, aut ideo circumeat, ut liberius peccet. Quod si ordinario suo *prius* confiteretur *venialia*, et *postea* alteri *mortalia*, patet, confessionem esse sacrilegam. Cfr. LACROIX (VI, 1186); GURY, *Casus conscientiae* (II, 443).

Q. 38. *An* licitum sit, in confessione *generali*, sine distinctione MISCERE mortalia *nondum confessa* cum *confessis?*

R. *Controvertitur.*

Explanatur. Alii **negant** cum BILL. : quia sic intervenit gravis deceptio in ordine ad ferendum judicium ; confessarii enim longe aliter judicant de peccatis rite confessis, quam de non confessis, et ob priora omnino leves poenitentias imponunt ; praeterea de nondum confessis diligentius examinare debent circa numerum et speciem, quod ordinarie supponitur factum circa jam legitime confessa. — Alii cum LUC., MAZZ., **affirmant,** per se loquendo : quia exprimitur tota malitia ex parte peccati, et esse confessum,

vel non esse, est circumstantia ex parte poenitentis, quae non videtur necessario exprimenda. Nec refert, quod confessarius intelligat illud esse peccatum antiquum; id enim poenitens non dixit, et adeoque ad deceptionem se habet permissive. Dicunt : **per se loquendo**; nam excipiunt : 1°) si inter non confessa esset reservatum huic confessario; 2°) si, omnia miscendo, species peccati non confessi non intelligeretur, ut si recenter emisisti votum castitatis et peccatum contra castitatem, quod confiteris, intelligitur factum ante votum; 3°) si poenitens versaretur in occasione proxima. — Utraque sententia *probabilis* est. Ast **in praxi** prima suadenda est. Cfr. Sass.

Q. 39. *An* VALIDE confiteatur, qui peccatum *recens* ut *antiquum* accuset?

R. *Neg.*, juxta communiorem sententiam.

Explanatur. Ratio est : quia sic poenitens ex vi confessionis confessarium in errorem inducit; et, dicendo se peccasse v. g. anno praecedenti, dupliciter mentitur : tum accusando peccatum quod non fecit altero anno; tum negando peccatum quod nunc patravit. Et quamvis circumstantia temporis de se non sit declaranda, cum non pertineat ad peccatum nec mutet ejus speciem, non potest tamen *positive* excludi in accusatione, quia peccator, positive eam excludendo, negat eo ipso, se tunc peccasse, quod falsum est.

Q. 40. Dic : 1°) *quotuplex* sit confessionis INTEGRITAS; et 2°) *qualis* sit integritatis NECESSITAS?

R. Ad 1^{um}) *Duplex* distinguitur.

Explanatur. Una **materialis,** qua quis confitetur omnia mortalia post baptismum commissa, a quibus nondum directe est absolutus, quoad numerum, speciem infimam et circumstantias debitas; —altera **formalis,** qua poenitens confitetur omnia mortalia, quae hic et nunc confiteri tenetur, quamvis aliqua omittat, sive ex oblivione, sive ex justa causa.

R. Ad 2^{um}) Integritas *materialis* est de *necessitate praecepti divini*, ut constat ex TRID. (Sess. XIV, can. 7); sed

saepe est impossibilis; quare sola integritas *formalis* est de *necessitate sacramenti.*

Resolvitur. Itaque confessio *per se* loquendo debet esse integra **materialiter**; *per accidens* sufficit integritas **formalis.** Interim, nunquam potest confessarius poenitentem eximere ab integritate *materiali* ob solum poenitentium **concursum**, ut patet ex prop. damn. ab INNOC. XI sub n. 59 : « *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnae alicujus festivitatis aut indulgentiae.* »

Q. 41. In confessione *mortalium* : 1°) *quis* NUMERUS ; 2°) *quae* SPECIES ; 3°) *quae* CIRCUMSTANTIAE debeant *exprimi?*

R. Ad 1^{um}) Debet exprimi numerus *certus*, si possit; secus, *proximior*, adjecta particula *circiter* vel *plus minusve*; et qui nec proximiorem noscit, dicat quoties circiter per *diem*, vel per *hebdomadam*, vel per *mensem* peccaverit. Quod si neque hoc possit, aperiat *statum*, *consuetudinem* vel *moram*, qua in peccato perseveraverit.

Resolvitur 1. Hinc communis meretrix satisfacit dicendo, se tot annis in statu meretricii fuisse, et quoties fuit occasio, cum *quibusvis*, etiam cum clericis et conjugatis peccasse, addendo, quantum fieri potest, probabilem numerum vel frequentiam lapsuum cum talibus personis *qualificatis*. **Resol. 2.** Quod si *postea* poenitens comperiat, se bona fide declarasse numerum *notabiliter minorem*, ut si v. g. dixerit, se fornicatum fuisse circiter *decies*, et postea deprehendat esse certo factum *vigesies*, excessum in proxima confessione declarare tenetur. Secus dicendum, si vel expresserit numerum *paulo minorem*, quia realis numerus comprehensus fuit in particula *circiter;* vel si expresserit numerum etiam *notabiliter majorem*, quia realis numerus in majori fuit comprehensus, adeoque remissus.

R. Ad 2^{um}) Debent exprimi species *infimae*, cum per eas diversificetur malitia peccatorum; unde non sufficit, quod tantum *genericae* seu *remotae* exprimantur.

Resolvitur. Hinc, qui uni furatus est, alteri detraxit, alium occidit, non satisfacit dicendo : *ter* proximo feci gravem *injuriam ;* sic enim explicat tantum genus peccati, quod est esse contra justitiam; sed debet descendere ad species *infimas*, quae sunt facere injuriam in bonis fortunae, et hoc est *furtum ;* in bonis famae, et hoc est *detractio ;* in bonis corporis, et hoc est *homicidium*. Similiter, qui fornicatus est, non satisfacit dicendo : peccavi *graviter contra castitatem*, ut constat ex prop. damn. ab ALEX. VII sub n. 25 : « *Qui habuit* COPULAM *cum soluta, satisfacit confessionis praecepto dicens : commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando* COPULAM. » Quod si species *infima* desit, ut puta si quis misceat turpia colloquia, vel mulierem turpiter tangat, debet exprimere *supremam*, dicendo, se violatae castitatis graviter esse reum; et si *suprema* quoque excidat, ut si solummodo recorderis in genere, te quidem peccasse mortaliter, nescias vero in qua materia, debes exprimere peccatum *in genere*, dicendo : *peccavi lethaliter*.

R. Ac 3um) Debent exprimi : 1°) CIRCUMSTANTIAE *speciem mutantes mortaliter;* unde fornicans debet explicare, an ipse vel complex sit persona ligata, consanguinea, sacra; an illam vi oppresserit, etc. Dixi : *mortaliter;* si enim superaddat tantum malitiam *venialem*, etiam specie diversam a peccato, non est necessario exprimenda : v. g. si quis hominem occidit ex vana gloria; quia, ut ait LUGO, « *quod per se non erat materia necessaria, nec etiam erit talis, licet conjungatur cum peccato mortali.* » 2°) CIRCUMSTANTIAE *in infinitum aggravantes* (tom. I, p. 56), seu quae de veniali faciunt mortale, quamvis non transferunt actum in aliam speciem, v. g. circumstantia gravis damni ex levi furto vel mendacio praevisi. 3°) CIRCUMSTANTIAE *in infinitum minuentes*, i. e. quae de mortali faciunt veniale aut etiam nullum, *in supposito* quod actus ipse, qui exprimi non debet, nihilominus exprimatur, ut si quis, grave malum imprecatur ex non perfecta deliberatione aut hominem occidit ad sui necessariam defensionem. — Contra non debent exprimi CIRCUMSTANTIAE : 1°) intra eamdem speciem sive *leviter*, sive etiam *notabiliter minuentes*, sic tamen ut maneat mortale : cum potius pertineant ad

excusationem quam accusationèm peccati ; nec 2°) *leviter aggravantes*, cum impossibile sit exprimere in singulis peccatis modum et mensuram gravitatis. Utrum vero 3°) debeant exprimi *notabiliter aggravantes* in eadem specie, DD. disputant.

Explanatur. *Duplex* datur sententia : PRIMA **affirmat** cum CAJET., SYLV., CANO, SUAR., GONET, aliis; eamque *probabiliorem* habent BILL. et SASS. Rationes sunt : — **1°**) Eadem motiva, ob quae juxta TRID. (Sess. XIV *de poenit.* cap. 5) explicari debent circumstantiae *mutantes speciem*, valent etiam pro circumstantiis *notabiliter aggravantibus in eadem specie* : quia secus confessarius non potest : **A**) exactum efformare judicium de poenitentium statu; neque **B**) imponere poenitentiam gravitati criminum proportionatam. — **2°**) In RIT. ROM. legitur : « *Si poenitens numerum et species et circumstantias peccatorum explicare necessarias non expresserit, eum sacerdos interroget.* » Ibi itaque praeter species sermo est de circumstantiis necessario declarandis : tales autem non possunt esse nisi circumstantiae non mutantes speciem. — **3°**) CATECH. ROM., cujus neminem latet auctoritas, aperte dicit (*de poenit.* n. 63) : « *Neque vero solum peccata gravia narrando explicare* OPORTET, *verum* ETIAM *illa, quae unumquodque peccatum* CIRCUMSTANT *et pravitatem* VALDE AUGENT *vel minuunt.* » — SECUNDA **negat**, *per se loquendo ;* et huic sententiae, praeter S. ANTONIN., S. BONAV., SYLVEST., SCOT., LUG., S. LIG., alios, uti «*probabiliori*» **suffragatur S. Thom.** (in 4. dist. 16. q. 3, a. 2, q. 5, inquiens : « *Quidam dicunt quod omnes circumstantiae quae aliquam notabilem quantitatem peccato addunt confiteri necessitatis est, si memoriae occurrant. Alii vero dicunt quod non sint de necessitate confitendae, nisi circumstantiae quae ad aliud genus peccati trahunt* [i. e., ut ibid. explicat, *ad aliam speciem mortalem trahunt*], *et hoc* PROBABILIUS *est.* » Rationes sunt : **1°**) TRID. (Sess. XIV, cap. 5), *ex professo* recensens materiam necessariam confessionis, ultra peccatorum speciem et numerum, tantum meminit circumstantiarum speciem mutantium : ergo satis innuit, aggravantes tantum non esse necessario confitendas. *Consequens* patet : quia in dogmaticis inclusio unius est exclusio alterius. Deinde expresse addit (ibid.) : « *Nihil aliud in Ecclesia a poenitentibus exigi.* » **2°**) Praesumi nequit, Christum voluisse imponere obligationem, qua sacr. poenit, in solamen animarum insti-

tutum, verteretur in tormentum earum. Atqui sic esset, si circumstantiae in eadem specie notabiliter aggravantes forent de necessitate exprimendae. Difficile enim est in hisce circumstantiis determinare, quid sit leve, quid sit grave, sicque poenitentes perpetuis anxietatibus torquerentur, utrum peccata sua sufficienter sint confessi; et confessarii, utrum sufficienter interrogaverint. Unde quoque ait S. Thom. (l. c. ad 2) : « *Determinata quantitas peccati non potest sacerdoti innotescere, quia nec ipse peccator scit; unde sufficit, quod cognoscat quantitatem, quae ex specie peccati consurgit.* » 3°) Lex dubia non obligat, vel saltem in dubio de exsistentia legis, melior est conditio libertatis possidentis, docente S. Thom. (*de verit.* q. 17. a, 4) : « *Nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti* »; scientia autem est notitia certa alicujus rei. Atqui dubia est lex de illarum circumstantiarum accusatione, atque libertas possidet ante illud dubium. Ergo non tenetur homo confiteri circumstantias mortalium peccatorum notabiliter aggravantes intra eamdem speciem. — Et haec quidem sententia, fatente Sass., est **practice tuta**; qui enim illam sequitur, non exponit sacramentum periculo nullitatis, cum ad valorem sacramenti sufficiat confessio *formaliter* integra, nec proinde agit contra propositionem damnatum ab Innoc. XI sub n. 1 : « *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiori.* » Hinc non necessario debent exprimi circumstantiae *durationis, intensitatis, quantitatis, temporis sacri, dignitatis personae;* immo, juxta dicta (tom. I, pag. 245 seq.) nec circumstantia *peccati confessarii simplicis cum poenitente commissi*, modo nullam relationem habeat ad confessionem, quamvis interim omnino conveniat, ut poenitens apud hunc confessarium amplius non confiteatur. — Dixi : **per se loquendo**; quia *per accidens* dari potest gravis obligatio hujusmodi circumstantias confitendi, scilicet : 1°) quando inducunt reservationem vel censuram; aut 2°) quando confessarius interrogat ad medicinam vel restitutionem imponendam, uti constat ex prop. damn. ab Innoc. XI (pag. 249). — **Nec obstant** argumenta *primae* sententiae. **Respondetur** enim : Ad 1^um^) Dato quod ad rectius judicandum de *statu* poenitentis conferat declaratio circumstantiarum in eadem specie aggravantium, inde

non sequitur eam necessario requiri. Quousque enim se extendere debeat judicium confessarii circa statum poenitentis, ex Christi voluntate dimetiendum est. Atqui, ex voluntate Christi, ut liquet ex dictis, sufficit confessario, ad judicandam de statu poenitentis, notitia peccatorum juxta numerum et speciem ; ergo aequum non est propter paritatem motivi ad exercitium istius judicii plura requirere. Praeterea in imponenda *poenitentia* non requiritur omnimoda sed tantum quaedam aequalitas, quae satis servari potest, si manifestentur numerus et species peccati. Ad 2^um^) Non negamus necessitatem exprimendi *aliquando* circumstantias in eadem specie aggravantes, et hoc sufficit ad explicandum textum Rit. Rom. Ad 3^um^) Quoad auctoritatem Catech. Rom. oppositam, « videtur, ait S. Lig. (VI, 468), quod illa nimis probet : nam videtur imponere obligationem explicandi circumstantias non solum aggravantes, sed etiam minuentes quod non est credibile. Quis enim unquam dixit, quod, si quis confiteretur homicidium et taceret, se illud commisisse ex vehementi passione vel in rixa, sacrilegam faceret confessionem? » Ceterum Catech. ipse ibidem doctrinam suam explicat de solis illis circumstantiis, quae vel peccati mortiferi reatum inducunt, vel speciem mutant.

Resolvitur. Curet confessarius, ut de circumstantiis non plus investiget, quam opus sit; praesertim in peccatis **luxuriae** et **inter conjuges** admissis, ne forte, nimia et indiscreta curiositate, christianam modestiam vel leviter offendat; quod pejus est, sanctitatem sacerdotalis ministerii contaminet, poenitentes misere scandalizet, confessionem odibilem reddat, ipseque animae suae detrimentum patiatur.

Q. 42. *An* debeant *exprimi :* 1°) actus EXTERNUS peccati; 2°) EFFECTUS ex actu *externo* secutus?

R. Ad 1^um^) *Affirmative.*

Explanatur. Ratio est : quia, licet ex S. Thom. (I. 2. q. 20, a. 4) actus **externus** *per se* nihil malitiae addat actui interno (tom. I. pag. 49 seq.); illum tamen integrat, et ab actu mere *interno* moraliter differt, docente eodem S. Thom. (1. 2. q. 72, a. 7): « *Consummatio peccati est in* OPERE; *unde peccatum* OPERIS *habet speciem*

completam. » Hinc, qui se polluit, non satisfacit, dicendo : *volui me polluere.*

R. Ad 2^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel effectus **nullo modo fuit praevisus,** et tunc non debet exprimi; sic non est obligatio confitendi homicidium factum in ebrietate, si nullo pacto fuerit praevisum : quia sic nullatenus est in se peccatum.—Vel effectus fuit **praevisus,** et tunc *subdistinguendum* est : Vel **1°**) fuit secutus **post retractationem causae,** et tunc non debet exprimi, quia sic omnino est involuntarius; quare qui projecit breviarium in mare, vel propinavit alteri venenum, si statim rite sit confessus, non tenetur dein confiteri omissiones horarum subsequentes, nec mortem postea secutam. Vel **2°**) fuit secutus **ante retractationem causae,** et tunc DD. *disputant.* Alii **affirmant,** effectum tunc esse exprimendum; alii **distinguunt** hoc modo : si ex peccato sequatur effectus tunc, **dum potes adhuc illum impedire,** est confitendus : quia est malus saltem in causa et peccatum complet in ratione peccati externi. Si vero **non potes impedire,** per se loquendo, non est obligatio illum confitendi : quia sic nec est peccatum, cum nullo modo effectus tunc sit liber; quare in casu veneni satisfacis, dicendo : *propinavi alteri venenum*, tacendo de morte inde secuta.—Dicunt : **per se loquendo;** nam per accidens saepe addi debent tales effectus, aut quia ratione ipsorum contracta est aliqua censura, aut quia poenitens est monendus de restitutione ex effectu secuta.

Q. 43. *An* poenitens *exprimere* debeat NUMERUM *personarum*, cum quibus peccavit?

R. *Neg.*, per se.

Explanatur. Ratio est : quia sufficit declarare *numerum* peccatorum cum variis *speciebus;* peccata autem non ideo mutant speciem, quod cum pluribus patrata fuerint. Hinc, qui fornicatus est cum tribus diversis, vel ter cum eadem, satisfacit dicendo : *se ter fornicatum fuisse.* Dicitur : **per se**; quia tenebitur respondere confessario interroganti, ut sciat, num forte adsit occasio proxima relabendi, ut in consuetudine cum eadem saepe fieri solet. Cfr. dicta (tom. I, pag. 240).

Q. 44. *An* debeant *exprimi :* 1°) in INCESTU circumstantiae *consanguinitatis* vel *affinitatis* et *gradus;* 2°) in peccatis ODII circumstantia *propinquitatis* personarum ?

R. Ad 1^{um}) Circumstantia *consanguinitatis* vel *affinitatis* non debet exprimi, cum ex S. THOM. (2. 2 q. 154, a. 9 ad 2) incestus inter consanguineos et affines *specie* non differant : Quia « *persona affinis*, ait, *conjungitur alicui propter personam consanguinitate conjunctam, et ideo quia unum est propter alterum*, EJUSDEM RATIONIS *inconvenientiam facit consanguinitas et affinitas.* » Quod vero circumstantiam *gradus* attinet, probabiliter solum *primus gradus lineae rectae* tum consanguinitatis tum affinitatis debet exprimi, cum ex S. LIG. (VI, 469) hic solus *specie* ab aliis differat (tom. I, pag. 244 seq.), adeoque inter patrem et filiam, matrem et filium, socerum et nurum *(beau-père et belle-fille)*, inter privignum et novercam *(beau-fils et belle-mère)*.

Resolvitur. Hinc turpiter lapsus cum propria sorore, cum consobrina germana et cum uxore fratris sui, non debet distinguere inter propinquitatem ratione consanguinitatis vel affinitatis, nec declarare gradum. Unde satisfacit dicendo : *ter incestum commisi.* — Interim **attendendum** est : *An* et *quandonam* in aliqua dioecesi incestus sit **casus reservatus.** Sic in dioec. MECHL. in tenore reservationis sub n. 8 reservatur : « *Incestus cum persona consanguinea aut affini in* OMNI GRADU *lineae rectae, et in* PRIMO GRADU *lineae transversae.* » Dicitur : 1°) *In* OMNI *gradu lineae rectae ;* et hinc v. g. si avus commisceatur cum filia filii sui, vitricus cum privigna, conjugata cum avo mariti sui, incurrunt casum : quia est incestus respective inter consanguineos et affines in *linea recta*, in qua non attenditur ad gradum in ordine ad reservationem. Dicitur : 2°) *et in* PRIMO *gradu lineae transversae ;* et hinc ratione *consanguinitatis* adest casus si frater commisceatur cum sorore ; ratione vero *affinitatis* adest, si vir cognoscit uxoris sororem ; item si uxor commisceatur cum fratre mariti. Contra casus non incurritur, quoties in linea collaterali alterutra pars primum gradum consanguinitatis vel affinitatis excedit, ut si vir cognoscit suam consobrinam vel etiam neptem seu fratris filiam vel amitam seu patris sororem ;

neque si cognoscit uxorem consobrini aut nepotis (seu filii fratris) aut avunculi.

R. Ad 2um) *Sub distinctione.*

Explanatur. *Affirm.*, si agatur de propinquitate **propriori** ob strictum virtutis *pietatis* vinculum. Hinc declarandum est odium *grave* in parentes, filios, avos, nepotes, in affines in primo gradu lineae rectae, in patrinos, filiolos, in conjugem et in fratres.—*Neg.*, vero *probabilius*, si agatur de propinquitate **remota** seu inter ceteros cognatos et affines.

Q. 45. *An* debeat *confiteri* poenitens in DUBIO : 1°) an id, quod constat esse mortale, sit a se *commissum;* 2°) an id, quod certo a se est commissum, fuerit *mortale* vel *veniale* ex indeliberatione actus vel parvitate materiae; 3°) an id, quod novit esse mortale et a se commissum, sit rite *confessus?*

R. Ad 1um) Quamdiu non es certus, et a fortiori in dubio mere *negativo*, i. e. si nullam habeas rationem probabilem, te *commisisse* mortale, ut solet contingere scrupulosis et timoratis, non teneris illud confiteri.

Explanatur. Stat enim libertas contra praeceptum confitendi : nam *ante* dubium, certo non tenebaris confiteri; *post* dubium vero, praeceptum confitendi non est certum, sed est dubium, cum fundetur in mortali quod dubie supponitur esse commissum. Ergo per dubium superveniens non debes dejici ex certa tua possessione libertatis.

R. Ad 2um) Quamdiu non es certus, et a fortiori *negative* dubitans, seu si nullam habeas rationem probabilem, peccatum a te commissum *esse mortale,* non teneris illud confiteri, si de hoc judicare valeas.

Explanatur. Ratio iterum est : quia mortale est dubium; ergo dubia lex, et proinde possidet libertas contra praeceptum confitendi. Aliunde venialia sunt materia libera.—Dixi : **si de hoc judicare valeas**; secus, teneris ad deponendum tuum dubium stare

judicio confessarii, cujus est discernere inter lepram et lepram, juxta dicta (pag. 67).

R. Ad 3um) *Sub distinctione.*

Explanatur. Si dubites **negative,** i. e. si nullam habeas rationem probabilem *te confessum fuisse* peccatum mortale **certo** a te commissum, ut si antea solebas non nisi obiter te praeparare ad confessionem, nunc vero dubitas, an mortale illud fueris confessus, teneris illud confiteri : quia lex confitendi certa est, nec ulla ratio suadet, huic legi fuisse satisfactum.—Si vero dubites **positive,** i. e. si positiva et gravis ratio suadeat, peccatum jam fuisse declaratum, ut si solitus fueris debite instituere confessiones tuas, nunc vero dubites an sis confessus, utrum tunc tenearis illud confiteri, DD. *disputant.* Alii **affirmant** cum S. Lig. (VI, 477) : quia possidet lex, seu obligatio est certa, incerta autem est ejus adimpletio. Alii **negant** cum Lug., Sass., Croix, aliis : quia cum detur ratio probabilis, te fuisse confessum, prudenter judicare potes, te satisfecisse, ideoque non amplius te teneri praecepto confessionis. Et haec sententia libertati favens vere probabilis est, quia obligatio confessionis in hoc casu probari nequit. Aliunde ex sententia opposita sequeretur, nequidem per *probabilissimam* satisfactionem praeceptum dici posse adimpletum; nam semper dici potest : certa est obligatio, satisfactio vero est incerta, et sic duceremur ad *tutiorismum.*—Ceterum, **practice** loquendo, in his tribus dubiis, praescindendo tamen a *piis* et *scrupulosis*, confessio est suadenda, ut plurimum conducens ad anxietates deponendas (Cfr. pag. 68).

Q. 46. *An*, qui *bona fide* confessus est aliquod mortale tanquam *dubie* commissum, debeat illud REPETERE, si postea deprehendat se illud certo commisisse?

R. *Negat.*, juxta sententiam probabilem quam docent Lug., Spor., Steyaert, alii; idque « *satis tutum in praxi* » existimat Sass., licet oppositum, quod sequitur S. Lig. (VI, 478) « *probabilius* » putet Bill.

Explanatur. Ratio est : 1°) Qui confessus est se decies circiter peccasse, non tenetur amplius confiteri, si postea recordetur, se

peccasse undecies aut duodecies, et tamen has duas vices tantum expresserat sub dubio; ergo a pari. 2°) Peccatum dubium directe fuit remissum, cum remissum fuerit vi absolutionis, cui, ut erat in conscientia, subjectum fuit; ergo non tenetur illud iterum confiteri; sicut, si absolutus aut dispensatus fueris in voto, irregularitate dubia, non indiges nova dispensatione aut absolutione, si postea certo cognoscas, te votum emisisse aut irregularem fuisse. **Nec objicias** : Debemus confiteri peccata, prout sunt in conscientia; ergo si postea sit in conscientia ut certum, debet ut tale exponi. **Resp.** *Dist. ant.* Confiteri debemus peccata prout sunt in conscientia prima vice, *conc.;* et ideo peccat graviter, qui scienter peccatum dubium confitetur ut certum, vel certum ut dubium. Debemus confiteri peccata ut sunt in conscientia, quando quis illa jam semel secundum speciem infimam et numerum, prout tunc in conscientia erant, est confessus et directe absolutus, *neg.*

Resolvitur 1. A fortiori, si tota actio peccaminosa explicata sit ut in se deliberate facta, licet dubium fuerit, et confessario et poenitenti, an sit mortale vel veniale, nihil postea est repetendum, licet cognoscatur fuisse mortale : quia nulla circumstantia nova esset in priori confessione non subjecta clavibus; nec requiritur, ut confessarius sciat determinate, an peccatum commissum sit mortale an veniale; quia in omnibus hoc scire est moraliter impossibile etiam doctissimis ob variarum circumstantiarum occurrentiam, quae peccatum saepe a statu ordinario extrahunt. Si tamen factum aliquod sit indifferens ad mortale vel veniale, et poenitens meminerit, debet addere, an apprehenderit esse mortale vel veniale : fieri enim potest, ut in re levi propter conscientiam erroneam vel dubiam peccaverit mortaliter, et econtra in re gravi ob defectum plenae advertentiae vel consensus, tantum venialiter; cum ergo hoc ex materia intelligi non possit, debet addi a poenitente. **Resol. 2.** Qui confessus est peccatum tanquam certum et postea agnoscit esse dubium vel nullum, non tenetur repetere : qui enim absolvitur a certo, magis absolvitur a dubio; sicut et, si dixerit numerum majorem prae minori, dummodo bona fide perrexerit; si enim peccatum mortale dubium confiteatur ut certum, aut scienter dicat numerum majorem, nisi excuset invincibilis ignorantia, simplicitas, aut scrupulositas, peccat mortaliter men-

tiendo in re gravi; a fortiori, si confiteatur certum ut dubium. Simplices putant se rem egregie fecisse, si peccatum dubium exprimant ut certum, et loco numeri indeterminati dicant determinatum majorem, qui in hoc instruendi sunt a confessario id advertente.

Q. 47. *Quaenam* sint CAUSAE *generales*, ab integritate *materiali* confessionis *excusantes?*

R. Sunt *tres :* OBLIVIO vel IGNORANTIA inculpata seu saltem non graviter culpabilis; — IMPOTENTIA *physica* et — IMPOTENTIA *moralis*.

Q. 48. *Quinam* excusentur ratione *oblivionis* aut *ignorantiae?*

R. Excusantur : 1°) qui, praemisso congruo examine, non recordantur alicujus peccati mortalis, vel hujus quidem recordantur, sed postea in confessione illud ex inadvertentia omittunt; 2°) qui, ex errore non graviter culpabili putant peccatum mortale, quod commiserunt : vel non esse peccatum, vel tantum esse veniale, vel hic et nunc non esse confitendum. Idque verum manet, tametsi oblivio vel ignorantia ortum traxerit ex gravi culpa praecedente, dummodo de facto sit inculpata vel saltem non graviter culpabilis.

Resolvitur. Unde nihil obstat, quod quis confessionem voluntarie distulerit, etiam ultra annum contra praeceptum divinum et ecclesiasticum, aut veritatem sufficienter inquirere neglexerit, modo de facto vere doleat de peccatis praeteritis et habeat seriam voluntatem confitendi omnia peccata mortalia.

Q. 49. *Quinam* excusentur ob IMPOTENTIAM *physicam?*

R. *Generatim* loquendo, excusantur omnes illi, qui naturaliter confiteri nequeunt.

Resolvitur. *Excusatur :* **1°) Ignarus idiomatis confessarii**, etsi adsit *interpres* (S. C. S. OFF. 28 Febr. 1633); nec obstat dictum S. THOM. (*Suppl.* c. 9, a. 3 ad 2) : quod « *quando non possumus uno modo, debemus secundum quod possumus confiteri;* » id enim, ait BILL., intelligitur intra latitudinem praecepti. Immo talis, nequidem tempore mortis, tenetur confiteri per interpretem, etiamsi, contradicente VIVA cum quibusdam aliis, dubius esset de

sua contritione : tum quia necessitas interpretis excludi penitus videtur his verbis Conc. Later. : « *Sua solus peccata confiteatur;* » tum quia ex communi DD. adest confessio *formaliter* integra, etiamsi poenitens aliquo tantum signo absolutionem petat. Dixi : *contradicente* Viva, etc.; « verum, ait Baller. ap. Palm. (V, 202) ista Vivae exceptio pertinet ad opinionem jam antiquatam, quae nempe dubium habet Sacramenti valorem etiam in mortis articulo, nisi aliquod peccatum speciale clavibus subjiciatur. » Unde quoque illud assertum nonnullorum quod, si quis in periculo mortis sit incertus de sua contritione, teneatur ex propria charitate sibi in tanto salutis periculo succurrere confitendo per interpretem, ut fiat capax absolutionis, « id intelligendum arbitror, ait Bill., si non possit nutibus exprimere aliquod peccatum, quod satis esset ad absolutionem. » Confessio tamen **per interpretem fieri potest,** si placet, dummodo praecaveantur abusus et scandala et *interpres* admoneatur de obligatione observandi secretum (S. C. de Ppop. Fide 16 Juil 1838). Sic autem fieri potest : **A**) interpres avertat faciem a poenitente; **B**) recitet ipsi in suo idiomate interrogationes generales a confessario alta voce factas, circa praecepta Decalogi et Ecclesiae; **C**) interea poenitens ad singulas interrogationes nutu significet confessario, an peccaverit necne, simulque numerum peccatorum digitis exprimat, quantum fieri potest. Ceterum missionarius, ignorans linguam regionis, sat commodo confessiones excipere poterit, si discat nomina praecipuorum et frequentiorum peccatorum ex lingua regionis, eaque enuntiet coram poenitente, qui nutu capitis significabit se deliquisse, ubi opus erit. — *Excusantur* : **2°) Muti,** etsi, juxta probabilem sententiam, quam defendunt gravissimi DD., quos inter etiam Toletus (l. 5, c. 5, n. 3), *scribere* valeant : tum quia scriptura est medium extraordinarium, nunquam ab Ecclesia praescriptum; tum quia talis modus confessionis de se est publicus; tum ob periculum revelationis. Juxta S. Lig. (VI, 479) opposita sententia est « *probabilior* et *communior.* » Hinc ait D'Annib. : « *Ergo lex dubia est.* » Unde et concludimus cum Baller. : « *Igitur obligatio incerta est ideoque nemini imponenda.* » Sufficit itaque, ut se exprimant, quantum possunt. Permitti tamen potest scriptura; at curandum, ut statim laceretur. — *Excusantur* : **3°) Moribundi** nonnisi unum alterumve peccatum exprimere va-

lentes, aut jam usu linguae destituti; necnon **vita periclitantes**, quoties ob temporis angustias, nequit fieri omnium peccatorum confessio, ut in incendio, naufragio, vel praelio; quo casu confessarius praesens petat ab omnibus signum aliquod generale doloris eosque omnes simul absolvat, dicendo : *Ego vos absolvo a censuris et peccatis* (tom. II, pag. 382).

Q. 50. *Quinam* excusentur ob IMPOTENTIAM *moralem?*

R. *Generatim* excusantur, qui non possunt integre confiteri sine gravi damno confessioni extrinseco, vel sui, vel confessarii, vel alterius tertii, sive sit temporale, sive spirituale.

Resolvitur 1. Speciatim ob **damnum proprium** EXCUSANTUR : 1°) Qui *rationabiliter* timent, se ex confessione graviter diffamandos esse, non quidem **apud confessarium** : hoc enim est intrinsecum confessioni, ut si religiosus deberet confiteri peccatum grave sacerdoti saeculari, parochus suo vicario nepoti, poenitens valde pius et notus suo confessario; sed **apud alios** : ut si *sacerdos* mox celebraturus, *moribundus* Viaticum suscepturus, *infans* ad primam communionem accessurus, *ordinandus* ad suscipiendos Ordines jam paratus, confessione generali seu prolixiori indigerent, et non possent integre confiteri, quin adstantes rem suspicarentur; item si poenitens non posset confiteri, nisi *aliis audientibus*, quod potest accidere in *nosocomiis*, dum surdus teneretur confiteri confessario surdo; in *vulneratis*, quando medicus debet adesse aut alii qui eos curent; in feminis *parturientibus*, quando obstetrix debet adesse. 2°) Qui *rationabiliter* timeret : vel suum peccatum fore a confessario revelandum; vel ex confessione peccati carnalis timeret sibi periculum ruinae spiritualis, v. g. ob sollicitationem confessarii, quod tamen non est facile praesumendum; vel ob fragilitatem sibi notam et expertam timeret sibi relapsum ex diligentiori carnalium peccatorum examine, in iisdem peccatis sibi complacendo. 3°) *Scrupulosi*, quorum licite abrumpitur confessio ob nimiam anxietatem in peccatis enumerandis. **Resol. 2.** Ob **damnum confessario imminens** non urget integritas materialis, si confessarius, tempore pestis vel morbi contagiosi, ex mora confessionis integrae incurreret periculum vitae; aut ex confessione certi peccati ipse sibi timeret ruinam spiritualem. (BILL., SPOR.). **Resol. 3.** Ob **damnum**

tertio obventurum ab integritate materiali excusantur : 1°) Confessarius, qui, exponendo proprium suum peccatum, deberet revelare peccatum sui poenitentis, sicque frangere sigillum sacramentale : v. g. male absolvisti Petrum simoniacum, et hoc peccatum tuum confiteri non potes nisi illi, qui facile inde potest conjicere, quod Petrus sit ille, quem ita indebite absolvisti. 2°) Poenitens, si metuat, ne confessarius famulam suam, peccati complicem suspicatus, domo ejiciat. Utrum vero 3°) poenitens licite omittat peccatum suum in confessione, quoties non habeat alium confessarium quam talem, cui peccatum complicis exinde necessario innotesceret; aliis verbis : utrum ab integritate materiali excuset *infamia* complicis apud solum confessarium, inter DD. *disputatur;* de qua controversia in quaestione sequenti.

Q. 51. *An* accusandum sit peccatum *mortale* quod declarari NEQUIT : 1°) *sine complicis manifestatione*, v. g. incestum commisisti cum matre, quam novit confessarius; 2°) *sine infamia alterius*, qui fuit occasio aut objectum peccati, v. g. occidisti matrem viduam ex crimine alterius gravidam, quam confessarius novit non esse maritatam ?

Praenotandum. 1. Quaestio procedit de accusatione peccati **mortalis** : certum enim est apud omnes, non licere grave peccatum alterius manifestare ob peccatum *veniale* explicandum aut *mortale* alias jam *rite confessum*. In his enim nequit dari justa causa diffamandi proximum, cum in confessione exprimi non debeant. 2°) Conveniunt DD. in utroque casu, et praesertim in secundo, **poenitentem curare debere,** quantum *commode* potest, ne confessarius deveniat in notitiam complicis aut peccati alterius, se ipsum occultando, vel quaerendo confessarium ignotum, si facile id possit. Hoc autem supposito, ad utrumque :

R. *Controvertitur.*

Explanatur. Alii communius **affirmant** cum S. THOM. (in 4. d. 16. q. 3, a. 2, q. 5 ad 5; item *Opusc.* ad lect. Bisunt.); S. RAYM., S. BONAV., S. ANTONIN., S. BERN., CAJET., SYLVEST., MED., BILL., SUAR., LUG., alii. Hanc sententiam, quam sequitur S. LIG. (VI, 489), breviter ac praeclare, pro more sua, sic ostendit SASS. : «*Probabilius*

est, inquit, quod non excuset infamia *complicis* apud solum confessarium. *Prob. 1.* Plus juris habeo ad servandam famam meam, quam habet alter, ut servem famam illius : sed teneor cum infamia mea confiteri crimen occultum ; ergo et cum infamia complicis, ubi aliter fieri non potest... *Prob. 2.* Complex mecum peccans et sciens me debere confiteri, hoc ipso resignat juri ad famam apud confessarium ; ergo ruit fundamentum oppositum. » Tum addit : « Major est difficultas, si alter non sit complex, sed tantum *objectum* tui peccati : v. g. occidisti sororem gravidam, quam confessarius novit non maritatam ; ubi certum est, te cum majori incommodo teneri quaerere confessarium cui ignota est soror. Hunc si habere non possis, *probabilius* est te posse, adeoque debere confiteri integre ; » nam **1.** licitum est ex communissima sententia peccatum alterius uni aperiri, consilii vel auxilii causa ; ergo et ad servandam integritatem sacramenti jure divino praeceptam, praesertim cum hic secretum sit maximum. **2.** Religiosus tenetur confiteri suum peccatum quantumcumque enorme extraneo, licet inde suo modo infametur religio, quae est innocens ; ergo a pari. **3.** S. Bern. (in *Form. hon. vitae)* ait : « *De nullo prorsus sinistre loquaris, quantumcumque sit verum, nisi in confessione, ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.* » **Nec obj. 1.** Laedere famam alterius est contra jus naturale ; integritas confessionis est de jure tantum divino ; ergo praeceptum naturale praevalet. **Resp.** *Dist. Maj.* Laedere famam alterius injuste sine rationabili causa, est contra jus naturale, *conc.* ; aliter, *neg.* **Nec obj. 2.** Non teneor confiteri per interpretem, ne me infamem apud personam distinctam a confessario ; ergo nec prodere complicem, ne eum diffamem apud personam distinctam ab ipsius confessario. **Resp.** *Disparitas* est : quia datur praeceptum confitendi integre, non autem confitendi alicui non sacerdoti. **Nec obj. 3.** Excusat grave damnum, quod hic est. **Resp.** *Dist. ant.* Extrinsecum damnum, *conc.* ; intrinsecum, quod sequitur ex ipsa integritate confessionis, *neg.*

Alii non pauci **negant,** quos inter M. Can., P. Soto, Ledesm., Navar., Valent., Ban., Dian. ; idque *probabile* esse, expresse tradunt, praeter alios, Bus. et Mazz. Praecipua eorum ratio est : quia praeceptum integre confitendi est solum positivum, praeceptum vero non infamandi proximum naturale, quod adeoque praevalet. Argu-

menta autem prioris sententiae dicunt esse *petitionem principii*. Imo contendunt *per se* non posse declarari circumstantiam, ex cujus confessione infamia alterius consequeretur. Dicunt : **per se**; nam si poenitens speciali de causa indigeat directione confessarii, quia v. g. in complice habet occasionem peccati, alius vero confessarius non adsit, aut cui complicis persona sit ignota, aut qui ad apta consilia suppeditanda idoneus sit; hic certe non tenebitur aliquod animae suae discrimen subire, quo alterius famae consulat.

Resolvitur. Liceat mihi concludere : cum haec **secunda** sententia saltem *extrinsece* probabilis sit, **prima** impar evadit ad certam obligationem inducendam, et adeoque, per se loquendo seu exclusis incommodis de quibus supra, integrum manet alterius jus ad famam suam servandam. — Interim saepe excusantur matres et uxores manifestantes peccata filiorum et virorum confessario qui hos novit, ratione petendi consilii, doloris leniendi, etc. Nimis enim durum ipsis esset, si novum confessarium adire tenerentur.

Q. 52. *An* liceat confessario PETERE nomen *complicis?*
R. *Negative.*

Explanatur. Constat ex BENED. XIV, qui hac de re varias edidit Constitutiones : « *Suprema* » (7 Jul. 1745); « *Ubi primum* » (2 Jul. 1746); « *Ad eradicandum* » (28 Sept. 1746). Porro in Const. « *Ubi primum*, » declarat confessarios, qui requirunt nomen complicis sub poena denegandae absolutionis peccare graviter, et eos incurrere suspensionem ab audiendis confessionibus, aliasque graviores poenas, sed ferendae sententiae tantum. Praeterea qui ausus fuerit docere licitam esse hujusmodi praxim, vel scribere aut loqui in ejusdem damnatae praxis defensionem, ipso facto incidit in excommunicationem R. P. reservatam; quam excommunicationem confirmavit PIUS IX, Const. « *Apostolicae Sedis*, » estque ordine prima ibidem inter *excommunicationes latae sententiae R. Pontifici simpliciter reservatas*. Ad haec, quicumque, non ex propria confessione, sed aliunde, noverit aliquem deliquisse sive doctrina ista, sive praxi, quae suspicionem pravae doctrinae ingerat, jubetur infra mensem S. Officio delinquentem denuntiare, sub poena excommunicationis, quae saltem hodie sublata est. — Interim confessarius licite interrogat, an poenitens sit in occasione proxima

peccandi, licet inde venturus sit in notitiam complicis; hoc enim per accidens fit; et hinc, dum advertis ancillam esse in occasione proxima, potes interrogare, an domestica sit, an extranea, licet herus tibi notus sit et domus. Immo, **potest aliquando confessarius cogere poenitentem, ut peccatum complicis manifestet** illi, ad quem spectat emendare, vel cavere periculum alienae seductionis, qualis est superior, pater, herus. Non expedit tamen, ut confessarius se offerat ad talem manifestationem faciendam, imo nec, ut rogatus a poenitente eam assumat : per hoc enim confessio fit odiosa saltem apud alios; quare, si in raro casu hoc necesse foret, petat potius a poenitente, ut extra confessionem sibi loquatur de his. Et haec quidem dicta non adversantur doctrinae Bened. XIV, quippe qui non ita interdixerit confessariis quaerere nomen complicis, ut in nullo casu id liceat. Ipse enim Pontifex casus supponit in quibus id liceat, cum Constitutiones suas interpretatus (*de Syn.* l. VI, c. XI, n. 1), dixeret : « *Certum tamen est,* raro *evenire posse, ut liceat confessario complicis nomen a poenitente sciscitari multoque minus ad illud sibi patefaciendum eumdem obligare.* » Si **raro**, ergo **aliquando** casus evenire potest.

Q. 53. *An* absolvendi sint moribundi *sensibus destituti?*

R. Regula generalis est (pag. 221) : Conditionate *absolvendos esse* moribundos omnes, *de quorum dispositione vel incapacitate certo non constat.*

Resolvitur 1. Hinc loquendo de **CATHOLICIS**, absolvendi sunt sub conditione moribundi non tantum : **1°**) si, antequam sensibus destituerentur « *confitendi desiderium, sive per se, sive per alios, ostenderint,* » ut constat ex Rit. Rom.; sed etiam **2°**) si *nullum poenitentiae signum dederint;* sive *christiane* vixerint, sive *impie*, sive etiam *in ipso actu peccati* usum rationis amiserint, v. g. in duello, in ebrietate voluntaria (pag. 63); immo **3°**) etiamsi sensibus orbati fuissent, eo ipso momento quo, sive ob impoenitentiam, sive ob incredulitatem, *confiteri recusassent,* dummodo tamen in isto casu absolutio detur clanculo ad vitandum aliorum admirationem. Ratio horum est : possum praesumere, quod moribundus, antequam sensibus destitueretur, aut saltem postea, in aliquo lucido intervallo, damnationis suae periculum agnoscens,

velit ac etiam petat absolutionem *signis sensibilibus*, v. g. suspiriis, oculorum aut oris motibus, aut saltem anxia respiratione, licet hujusmodi signa *clare* et *perspicue* non percipiam ; uno verbo : forte adest confessio, et nunc resipiscit, qui antea confiteri nolebat. Jam vero in extremis extrema sunt tentanda ; seu, aliis verbis : in extrema necessitate ex charitate est gravis obligatio succurrendi proximo per remedium probabile ; et licitum est tunc uti non tantum materia dubia, sed etiam tenuiter probabili. Aliunde, per conditionem mente adjectam, reparatur injuria sacramento, si qua adsit ; et si ex mille unus tantum sic salvaretur, sufficit. Ceterum, quod non immerito sic praesumamus, ostendit factum Petri Marchantii, relatum in opere suo « *Tribunal sacramentale,* » ubi de se ipso, in extremo periculo constituto, testatur : « *Sensibus omnibus destitutus eram, excepto auditu ; ratione autem et judicio firmo et recto utebar intus, ita ut, cum me deficere et ex medico foris loquente et ipsius naturae debilitate perciperem, firmiter me misericordiae Dei commendabam et pium aliquem affectum foris conabar praestare ; quare mirum est, si forte gemitu aliquo vel respiratione, vel doloris nutu illud non ostenderim, quamvis adstantes illud non notarent, nisi forte ut erant signa naturae patientis.* » Sic quoque non semel contigisse, praeter Marchantium, narrant alii quos citat Bill. Praeterea huc spectat quod dicit Cicero (*de divinat.* lib. I, n. 30) : « *Appropinquante morte, animus multo est divinior... Eos qui secus, quam decuit, vixerunt peccatorum suorum tum maxime poenitet.* » Accedit auctoritas S. Aug. (lib. I *de adulterinis conjugiis*), ubi loquens de *catechumeno* qui subito oppressus baptismum petere non potest, docet eum posse baptizari (cap. 26), inquiens : « *Etiamsi voluntas ejus* incerta *est, multo satius est,* nolenti dare, *quam* volenti negare, *ubi velit an nolit sic non apparet, ut tamen credibilius sit eum, si posset, velle se potius dicturum ea sacramenta percipere, sine quibus jam credit, se non oportere de corpore exire.* » Quod et repetit (cap. 28) de catechumenis qui, antequam desperati jacuerint, adulterina conjugia retinebant : « *Quis enim,* ait, novit *utrum fortassis adulterinae carnis illecebra usque ad baptismum statuerant detineri?* » Et tandem concludit hisce verbis : « *Quae autem baptismatis eadem reconciliationis* [i. e. sacram. poenit.] *est*

causa, si forte poenitentem finiendae vitae periculum praeoccupaverit. » —Et quoniam contingere potest, quod prima absolutio defectu dispositionis ex parte moribundi fuerit invalida, et dein post aliquod tempus moribundus absolutionem desideret, ideo ex S. Lig. (*H. A.* XIV, 37) : « *Si sensuum destitutio* diutius *perseveret, cum actuale mortis periculum adsit, potest pluries repeti absolutio*, v. g. *ter aut quater in die.* » **Nec objicias 1.** Rit. Rom. requirit, ut moribundi « *confitendi desiderium, sive per se, sive per* alios *ostenderint.* » Ergo. **Resp.** *Neg. cons.* Rit. Rom. et jura praecipiunt quod certum est; non autem impediunt nec prohibent quod probabile est. **Nec objicias 2.** Clemens VIII, ut dictum est (pag. 217) damnavit confessionem factam absenti. Atqui talis est confessio facta per signa aut aliter, absente confessario. **Resp.** Ipse Clemens casum moribundi a suo decreto excepit, ut ex ore Pontificis testati sunt Lessio, Bellarminus et Archiep. Armachanus. Praeterea dicendum est, confessionem moribundi in casu non fieri absenti, sed praesenti, sive per adstantes uti interpretes, si desiderium confitendi manifestare potuerit, sive per gemitus, suspiria, anxiam respirationem, etc., et ratione hujus confessionis praesentis etsi dubiae, moribundum absolvi sub conditione.

Resol. 2. Hinc loquendo de **HAERETICIS** moribundis, ad sciendum, utrum tales, sensibus destituti, sub conditione absolvi possint ac debeant, *distinguendum* est. Vel agitur **1°**) de haereticis qui ex gremio Ecclesiae Catholicae postea ad **haeresim** *seu* **sectam deflexerunt**; vel **2°**) de haereticis in **haeresi natis.** Si 1^{um}) : sub conditione absolvendi sunt, praesertim si signa poenitentiae dederint. Si **2^{um}**) *Subdistinguendum* est. Haeretici « qui licet catholicam fidem nunquam professi sunt, **voluntatem in eam proclivem** ostenderunt, possunt eo in discrimine sub conditione absolvi a censuris et peccatis, si in suis sectis fuerint jam baptizati : est enim ratio quaedam conjiciendi eos velle in Ecclesiae communione vita fungi. » Ita Kenrick (XVIII, 211) cum aliis. Si hujus voluntatis **nullum datum sit signum,** utrum tunc absolvi possint, DD. *disputant.* Plures **negant** cum S. Lig. (VI, 483) tales posse absolvi, nisi expresse absolutionem petiverint : quia nunquam prudenter praesumi valent ea signa praebere in ordine ad confessionem, a qua summopere abhorrent. Alii vero, quibus

assentior, **affirmant,** si non constet eos esse in mala fide. Nam haereticus ex bona fide seu materialis vult omnia ad salutem necessaria; ergo implicite vult et conteri, et confiteri, et sacramentum poenitentiae recipere. Praeterea « etiam cum aliqua probabilitate praesumi potest, quod ille, ratione suae bonae fidei, gratiam agnoscendi veritatem a Deo impetravit, ideoque hic et nunc velit in catholica religione mori et absolvi. Ergo sub conditione absolvendus est. » Ita Bonal. Quin etiam juxta quosdam DD., quos inter insignis Lacroix (VI, 1886), in casu extremae necessitatis absolvi potest **haereticus materialis** *sensibus adhuc gaudens*, si fateretur, se velle amplecti aliam fidem, imo et confiteri, si sciret suam non esse veram. Audiatur magnus ille S. J. theologus, quem tanti faciebat Benedictus XIV : « Si catholicus sacerdos intelligat hominem acatholicum esse ad extrema deductum, prudenter facit, nisi quid aliud obstet, si eum accedat, etiam dissimulando se esse catholicum, si id expediat. Unde quamvis putetur esse Praedicans vel Minister haereticus, potest cum eo dicere actus fidei, spei et charitatis, perfectae contritionis de peccatis, manendo in illis, quae nobis communia sunt cum haereticis. Quod si patiantur circumstantiae, potest postea rogare : an non, si sciret se non esse in vera fide, vellet amplecti aliam, et facere omnia ad salutem necessaria; an non vellet confiteri et absolvi, si hoc ad salutem foret necessarium. Si ad haec annuat, secundum Gobat absolvi potest sub conditione, *si dispositus es*, ideoque docet Caram., quod Lutheranus dicens : *O Deus! moriar in vera religione, utra sit vera, tu scis; propitius esto mihi peccatori!* possit absolvi. *Vindex* Gob. ad prop. 4 addit : Si spes sit, ut religionem catholicam admittat, hanc proponendam; si autem absolute renuat, posse ita disponi et absolvi; potest enim esse haereticus *materialis* tantum, qui quamvis absolute posset salvari per contritionem perfectam, tamen cum haec sit difficilis et ad valorem sacramenti sufficiat dolor inferior, pro necessitate serviendum est moribundo, prout securissime fieri potest. » Hucusque Lacroix. In eamdem doctrinam conspirat Lehmkuhl, qui tamen aliam praeparandi methodum proponit : « Si autem, ait, tractandum est cum acatholico *sensibus non destituto*, quem propter instantem mortem et propter periculum inducendi gravem tentationem, cui forte succumbat, non possim prudenter

aperte monere de vera Ecclesia, ante omnia *contritio perfecta* cum aliis actibus praeviis elicienda est; dein ut dari possit *clam* absolutio conditionata, praestat eum adducere, ut se peccatorem coram Deo et me declaret, et concepto dolore de peccatis, etiam declaret, sibi placere, ut per meum auxilium in assequenda melius aeterna vita, quantum possim, ipse juvetur. Nam, quod aliquando dicitur, proponendum illi esse, num, si sciret necessarium esse, vellet confiteri et absolvi, hoc in se nil est : non enim quaeritur, quid vellet, sed quid velit et re ipsa faciat. Summum tali velleitate dici potest includi etiam quamdam voluntatem et actualem accusationem non velleitate, sed voluntate praestitam; qua ratione explicatio non prorsus improbabilis conficitur. » — « Haec sententia, ait Bonal, cum non sit improbabilis et a pluribus TT. magni ponderis defendatur, videtur **in praxi** tenenda. » Tenemur etenim ex charitate in extremo periculo succurrere proximo, meliori modo quo possumus. « Aliunde, addit Bonal, confirmatur ex praxi passim vigente in Helvetia et Germania tales haereticos in articulo mortis absolvendi, saltem sub conditione. »

Resol. 3. Hinc **in dubio**, an agonizans *paganus* sit, *haereticus* vel *catholicus*, tutius est, eum absolvere sub conditione, praesertim in iis regionibus in quibus pagani permixtim vivunt cum aliis. Cui resolutioni suffragatur auctoritas, non modica sane, **insignis Magistri Bill.**, qui de moribundo sensibus destituto et tam adstantibus quam confessario prorsus ignoto, nec ullum habente apud se religionis indicium, ita pronuntiat : « *Quia non est certum non esse christianum et inde neque certum quod motus ejus corporales non sint signa quibus vellet significare suum desiderium, et inde nascitur aliquod dubium de materia, non auderem condemnare qui illum absolveret; sicut non foret condemnandus qui in necessitate baptizaret in quocumque liquore, de quo dici potest, forte est aqua.* » Quae ratio **tanti Doctoris** valet pro omnibus resolutionibus quas circa absolutionem moribundorum sensibus destitutorum tradidimus.

Q. 54. *An* mortalia ex *oblivione* vel propter *impotentiam*, sive physicam, sive moralem, omissa et indirecte remissa, sint 1°) adhuc *confitenda*; et 2°) *absolutione* indigeant?

R. Ad 1^{um}) *Affirm.*, non tamen ante communionem; sed sufficit, ut exponantur in subsequenti confessione, etiamsi

forte primum in paschate sequentis anni contingeret. Attamen nulla alia confessio, iis omissis, interponi potest (pag. 66). Constat ex prop. damn. ab ALEX. VII sub n. 11 : « *Peccata in confessione omissa seu oblita, ob instans periculum vitae aut ob aliam causam, non tenemur* IN SEQUENTI *confessione exprimere.* »

R. Ad 2^{um}) *Affirm.*, quia licet jam indirecte remissa, non tamen, vi sacramenti seu absolutionis, remissa sunt, sed tantum vi gratiae et concomitanter cum aliis peccatis. Jam vero ex Christi institutione omnia peccata mortalia sub clavibus sunt directe subjicienda. Ita sententia *communissima* contra paucos quos inter COLLET, PONTAS, P. VAN DER VELDEN (*de poenit.* n. 208). « *qui audiendi non sunt,* » ait GURY. Cfr. N. R. T. (V, 653 seqq.).

Explanatur. Ut antea monuimus (p. 239), si poenitens, *statim* post absolutionem, peccatum mortale ex oblivione omissum confiteatur, consultius est, *generatim loquendo*, novam absolutionem iterum impertiri : tum ne mutilum sit sacramentum, tum ad poenitentis solatium et animae tranquillitatem, tum ob periculum ne poenitens eumdem confessarium amplius adire non possit.—Dixi : **generatim loquendo**; nam minime tibi necessaria est nova absolutio, si ad eumdem confessarium brevi accedas : quia tunc peccata, quae modo accusas, in subsequenti confessione directe ab eodem confessario remittentur.

Q. 55. *An* CONFESSIO debeat esse *vocalis?*

R. Etsi non ex natura sacramenti, ex usu tamen et traditione Ecclesiae, juxta communem DD., graviter obligante, tenetur valens loqui ad confessionem *vocalem* seu ore factam.

Resolvitur. Hinc peccat graviter, si confiteatur nutibus, vel signis, aut **scripto**, nisi excuset justa aliqua causa, v. g. nimia verecundia, difficultas loquelae, vel surditas confessarii (Cfr. p. 218). Satisfacit tamen, si post traditionem confessionis suae scriptae confessario ad legendum, dicat : *de his omnibus scriptis et lectis ego me accuso ;* quia sic adhuc salvatur confessio vocalis (SPOR.).

CAP. IV. De examine conscientiae deque iteratione confessionis et confessione generali.

Q. 56. Dic : 1°) *an* et 2°) *quale* requiratur EXAMEN *conscientiae?*

R. Ad 1^{um}) *Affirm.*, regulariter loquendo, cum hoc sit medium communiter necessarium ad servandum praeceptum divinum confessionis *integrae.*

Explanatur. Dixi : **regulariter**; nam excipe cum SPORER et aliis communiter : si quis quotidie annotet sua peccata; vel post eorum commissionem statim soleat recurrere ad confessionem; vel moraliter certus sit, se non deliquisse mortaliter, ut est in personis timoratis, quibus per se statim incideret, si peccassent mortaliter.

Resolvitur. Qui confitetur absque debito examine, excepto articulo mortis, peccat mortaliter et tenetur ad iterandam confessionem, etiamsi suam negligentiam tunc confessus fuerit, nisi vero confessarius per diligentes interrogationes hunc defectum supplevit. (MAZZ.).

R. Ad 2^{um}) EX TRID. (Sess. XIV *de poenit.*, cap. 5) requiritur examen seu discussio « *diligens.* » Docet enim : « OPORTERE *a poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post* DILIGENTEM *sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri.* »

Resolvitur 1. Non ergo requiritur examen **exquisitum** seu **summum**, ita ut absit omnis timor etiam fundatus quidpiam omittendi : hoc enim viam aperiret innumeris anxietatibus et confessionem redderet odiosam. Quare non valet regula : si plus me examinarem, plus invenirem, ergo teneor me plus examinare. Ratio est ex CARD. DE LUGO : « *Quia scilicet non est attendendum solum ad exactam et integram confessionem peccatorum, sed etiam est maxime attendendum ad* CONDITIONEM HUMANAM, *et ne ex eo capite sacramentum reddatur* GRAVE *et* ODIOSUM, *nec detur causa impudentibus et ignaris haereticis vocandi illud conscientiae* **Carnificinam.** » Hujuscemodi **exquisitae** seu **summae** diligentiae, *laudabilis* quidem, sed *non requisitae*, exemplum habetur in eo, qui, praeter praecepta Deca-

logi, praecepta Ecclesiae et Obligationes sui status, recogitat, ubi quovis die fuerit, quae negotia gesserit, quid in iis circumstantiis, cogitatione, affectu, verbo et opere vel omissione deliquerit; quomodo domi, in templo, in conversatione cum proximo se habuerit, etc. **Resol. 2.** Sufficit itaque diligentia **mediocris, humana** seu **ordinaria,** « qualem adhibere solent, ait Bill., viri prudentes in seriis et gravibus negotiis; » seu, ut loquitur Sporer., « qualem communiter homines prudentes in re seria ad memoriam revocanda adhibere solent. » Et quamvis examen illud non debeat esse *idem* et *unum* pro omnibus, sed mensurandum sit spectatis circumstantiis personae, temporis a proxima confessione, negotiorum et occasionum in quibus versatus est poenitens, — et ita, ait Bill., «minori examine indigent qui frequenter confitentur, quam qui raro; majori indigent qui negotiis gravibus et periculosis implicantur, quam qui privatam vitam ducunt; item rustici et rudes non possunt tam accuratam diligentiam adhibere in sui discussione quam intelligentes et docti; timoratis autem frequenter confitentibus sufficit modicissimum examen, si enim peccant mortaliter, peccatum semper prae oculis haberent; »)—attamen pro omnibus sufficit diligentia *mediocris, humana* et *ordinaria*, quaeque proin ex se non generat fastidium et taedium hujus sacramenti. Et hinc fit, ut minus distincta notitia requiratur ab eo, qui propter peccatorum multitudinem difficilius posset exactam notitiam reddere. Audiatur Card. De Lugo : « *Haec est ratio*, ait, *cur a* **meretice** *et* **concubinario** *et similibus minus exacte et distincte petamus numerum peccatorum, quam si per mensem vel hebdomadam solum in eo peccato fuissent : quia nimirum diligentia, quae pro peccatis unius hebdomadae distincte confitendis sufficeret, eadem si pro longo tempore examinando adhiberetur, difficultatem et molestiam ingereret talem, ad quam praeceptum confessionis integrae non obligat, quia redderet praeceptum ipsum et confessionem* **nimis molestam** *et* **gravem.**» **Resol. 3** Ex dictis sequitur, poenitentem, qui timet, ne peccata e memoria excidant, non teneri ea **scribere** et scripta legere. Ita Bill. cum Cajet., Soto, Sylv., Spor., Valent., aliis. Ratio est : quia non teneor adhibere nisi diligentiam *moralem*, ne peccata excidant; sed hanc possum sine scriptione. Deinde confessio petit esse *secreta ;* sed scriptura ex sui natura est publica, praesertim si debeat diu

asservari. Addit tamen Sass. : « Probabilius est, si quis per experientiam sciat, se non posse integre confiteri nisi ex scripto et prudenter non timeatur manifestatio apud alios, quia poterit statim chartam comburere, minutim dilacerare, esse obligationem *scribendi* : quia tunc scriptura est medium facile, et abest morale periculum manifestationis. » **Resol. 4.** Si poenitens seipsum debite examinare non potuerit, ut si sit rudis et imperitus, non est facile dimittendus ad se melius examinandum : frustra enim plerumque id fieret; sed ad confessarium, tanquam medicum et patrem, pertinet, ipsi opem suam praestare, quod facillime faciet breviter percurrendo praecepta Decalogi et Ecclesiae, juxta uniuscujusque conditionem, et prae oculis habendo, quod venialia sint materia *libera*.

Q. 57. Dic : 1°) QUANDONAM et 2°) QUOMODO confessio sit *iteranda?*

R. Ad 1^{um}) *Omnis* et *sola* confessio peccatorum mortalium *certo invalida* repetenda est; sive invalida fuerit *culpabiliter*, sive *inculpabiliter*; sive ex defectu *poenitentis*, sive ex defectu *confessarii*.

Explanatur. Ratio est : quod illa peccata nunquam sint directe per absolutionem sacramentalem remissa, cum supponatur absolutio seu sacramentum fuisse invalidam. — Dixi : **certo** *invalida;* quia in dubio de validitate « *standum est pro valore actus.* » Praeterea non potest dari *certa* obligatio peccata iterum confitendi, nisi certo de ea constet; atqui in hypothesi non certo constat de obligatione, cum dubium sit, utrum valida fuerit confessio necne. Ergo in dubio v. g de contritione, de proposito sufficiente, ut quandoque in consuetudinariis et recidivis, vel de accusatione debita, **confessio non est necessario repetenda.**

Resolvitur 1. Confessio potest esse *invalida* ex parte **confessarii** : si v. g. non habuit intentionem absolvendi; si formam omisit aut substantialiter mutavit; si jurisdictionem non habebat, nequidem ex titulo colorato, ut postea videbitur; etc. **Resol. 2.** Confessio potest esse *invalida* ex parte **poenitentis** : si v. g. non habuit debitum dolorem de peccatis, aut firmum propositum se emendandi; si gravem negligentiam commisit in examine con-

scientiae; si in confessione voluntarie et sine justa causa omisit peccatum mortale; si confessionem fecit etiam in finem venialiter malum et hic est causa totalis et adaequata confessionis, juxta dicta (pag. 247); si in ipsa confessione peccat mortaliter mentiendo, aut per hypocrisim suo ordinario prius confitetur sua venialia, et postea alteri mortalia (pag. 250); si tempore absolutionis non habuit propositum adimplendi poenitentiam sacramentalem, eo quod defuerit tunc pars essentialis, scilicet contritio. **Resol. 3.** Si poenitens sit scrupulosus, confessarius ordinarie non permittat aliquid repetere ex praeteritis, nisi certum sit, pro tunc agnitum fuisse ut mortale, dum committebatur et nunquam rite confessum; quamdiu autem dubitat, non est certus. Ratio est : quia his confessio generalis ordinarie noxia est. **Resol. 4.** Licet quis non sit scrupulosus non tamen facile est obligandus ad repetendas confessiones, nisi moraliter certum sit, eum antehac fuisse invalide confessum. **Resol. 5.** Si adfuerit defectus in confessione **valida**, huic tantum supplendum est. Sic adolescens, qui peccatum pollutionis (quod *culpabiliter* ignoravit esse mortale, prout communiter fit) non est confessus, quia ante confessionem non incidit ipsi ut necessario confitendum, non debet compelli ad repetendas confessiones, sed tantum ad confitenda peccata culpabilis ignorantiae, quae tunc omisit. Secus tamen dicendum, si retinuerit illo tempore affectum erga illud peccatum, ut si vixerit in consuetudine pollutionis, de quo ex frequentia relapsuum est judicandum. Quo casu confessiones omnes, tempore illius affectus institutae, fuerunt invalidae et sacrilegae, non praecise ob defectum integritatis, sed contritionis et propositi, adeoque sunt repetendae. — Similiter si quis tempore absolutionis habuerit propositum saltem implicitum adimplendi poenitentiam, licet postea etiam culpabiliter oblitus sit poenitentiae sibi injunctae, non ideo tenetur repetere peccata ob quae injuncta fuit : quia essentia sacramenti jam ab initio fuit completa, sed sufficit confiteri peccatum culpabilis oblivionis. **Resol. 6.** Ex dictis patet, confessionem posse esse *invalidam*, quin sit *sacrilega*. Erit simpliciter invalida ex parte poenitentis, cum defectus se tenuit solum ex parte confessarii, vel cum ex parte poenitentis quidem, sed citra ejus culpam defuit aliquid essentiale, v. g. verus dolor vel propositum, quin poenitens ad talem defectum

attendat. Erit nulla et simul *sacrilega*, si ad defectum attendat et mala fide agit. **Resol. 7.** Patet quoque confessionem aliquam posse esse invalidam, imo sacrilegam, quin *omnes subsequentes confessiones* sint idcirco invalidae, ut si quod in praecedentibus confessionibus omissum fuit voluntarie et culpabiliter, in aliis subsequentibus omissum fuit involuntarie et ex oblivione naturali; quo casu iterandae tantum sunt confessiones priores, non aliae bona fide factae : quia fuerunt integrae formaliter, et ut suppono, alia necessaria fuerunt adhibita. Idem dicendum est, si confessiones fuerunt invalidae ex aliquo defectu ipsius confessarii, v. g. defectu jurisdictionis in eo requisitae.

R. Ad 2^um^) *Sub distinctione.*

Explanatur. Si confessio invalida reiteretur apud **diversum** confessarium, *ex integro* seu tota est repetenda, tam quoad numerum peccatorum, quam quoad speciem et circumstantias necessario exprimendas. Ratio est ex Bill. : quia prior confessio nulla fuit et respectu *diversi* confessarii perinde est, ac si non esset facta.—Si vero fiat apud **eumdem**, et hic adhuc recordetur in confuso peccatorum; vel, si eorum penitus sit oblitus, acciperet nunc a poenitente confusam notitiam ipsius status, sufficit uno verbo se accusare de omnibus prius expositis, dicendo : *accuso me de peccatis jam declaratis in tali confessione;* addendo, si quae sunt alia mortalia ab illa confessione commissa, vel mortale in illa forte confessione omissum. « Ratio est, ait Bill. : quia cognitio distincta singulorum peccatorum non est necessaria, dum poenitentes indispositi remittuntur ad certum tempus, aut dum faciunt confessionem generalem per multos dies; quamvis enim confessarius non recordetur distincte singulorum peccatorum, absolvit tamen, absque eo quod cogat illas praecedentes confessiones ex integro repetere. Imo saepe in eadem confessione, praesertim si sit prolixa, confessarius dum absolvit, non meminit singulorum peccatorum confessorum. »

Q. 58. *An* REPETENDA *sint* peccata, *eidem* confessario antea *historice* extra confessionem enarrata?

R. *Negat.*, saltem *probabilius*, si confessarius eorum adhuc *in confuso* recordetur; sed sufficit, si poenitens gene-

raliter ea confiteatur, dicendo : *Accuso me de omnibus, quae tibi jam enarravi.* Per hanc enim summariam confessionem, peccata, prius *historice* declarata, satis declarantur *sacramentaliter*. Ita Lug.

Q 59. *An* debeas REPETERE confessionem, si, *peracta confessione*, animadvertas confessarium ob *somnum* aut *distractionem* peccata aliqua non percepisse, et nescias qualia?

R. *Controvertitur.*

Explanatur. Alii **affirmant** cum Bill. Alii **distinguunt** cum Lug. hoc modo : Vel confessio **prolixa** fuit, vel **brevis**. Si **primum** : *Neg.*, quia non potes in tanta multitudine de singulis prudenter dubitare. Aliunde non praesumitur Christum voluisse imponere praeceptum integritatis cum tanto onere, scilicet repetendi omnia peccata in tali casu. Si **secundum** : *Affirm.*, ob rationem contrariam.

Q. 60. Dic : 1°) QUANDONAM *exigi* vel *permitti* possit confessio *generalis;* 2°) QUANDONAM sit *prohibenda*, et 3°) QUALIS *methodus* in ea sit servanda?

R. Ad 1^{um}) Nunquam *exigi* potest, nisi confessiones praecedentes moraliter *certo* fuerint *invalidae. Permitti* autem potest, quando, spectatis circumstantiis, poenitens *notabilem* fructum spiritualem ex ea sit percepturus, v. g. ratione humilitatis, devotionis, aut ad meliorem directionem.

R. Ad 2^{um}) *Prohibenda* est, etiam in dubio de validitate praecedentium confessionum, ubi ex illa metuenda sint incommoda notabilia ratione scrupulorum, perturbationis conscientiae, etc.; quia ob dubiam obligationem subeunda non sunt gravia ac certa incommoda.

R. Ad 3^{um}) Quod *methodum* spectat, nulla generalis regula statui potest.

Explanatur. Interim, docente Christo (Matth. XI. 30) : « *Jugum enim meum suave est et onus meum leve*, » cum confessio nequeat converti in *carnificinam*, et confessarius munus *patris* explere debeat; ideo, nisi poenitens sit satis instructus et confessioni assuetus, totum fere onus confessionis in se alacriter assumat, interro-

gando per ordinem de certo mortalibus contra praecepta Decalogi et Ecclesiae, quae a poenitentibus talis conditionis committi solent; non quidem adhibendo, ut recte notat GIRIBALDI, « *exactissimam diligentiam quantum simpliciter adhiberi potest, sed* MORALEM *et* HUMANAM, *quae non reddat hoc judicium confessario et poenitenti nimis molestum et onerosum.* » Praeterea, ut supra diximus (p. 251), **in praxi** suadendum est, ut nondum confessa a jam confessis secernantur.

CAP. 5. De satisfactione sacramentali. Ubi de impositione et impletione poenitentiae, deque ejus effectibus.

Praenotandum. Definivit Conc. TRID. (Sess. XIV *de poenit.*, can. 13) : « *Si quis dixerit, pro peccatis* QUOAD POENAM TEMPORALEM, *minime Deo per Christi merita* SATISFIERI *poenis ab eo inflictis et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus; atque ideo optimam poenitentiam esse tantum novam vitam, anathema sit.* » Itaque **de fide** est : hominem pro peccatis quoad poenam temporalem Deo per Christi merita posse **satisfacere**, et quidem **triplici** modo, scilicet : 1°) poenis a Deo inflictis patienter toleratis; 2°) sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis pietatis operibus; 3°) a sacerdote injunctis in sacramento poenitentiae. De hac **sacramentali satisfactione** hic agitur.

Q. 61. Dic : 1°) *An* et 2°) sub *qua* OBLIGATIONE imponi debeat *poenitentia?*

R. Ad 1^um^) *Affirm.*, regulariter loquendo.

Explanatur. Ratio est : quia confessarius, ut **minister** sacramenti, ejus integritatem, licet accidentalem, in quantum fieri potest, procurare debet; ut **judex** vindicare peccata, et ut **medicus** curare poenitentis vulnera et praecavere futura. Constat ex TRID. (Sess. XIV, cap. 8), ubi dicitur : « *Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate,* SALUTARES *et* CONVENIENTES *satisfactiones*

injungere : ne, si forte peccatis conniveant et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. » — Dixi : **regulariter** ; nam excipe, si poenitens sit incapax eam faciendi, ut sunt moribundi, sensibus aut viribus destituti ; expedit tamen, quantum fieri potest, etiam his leve aliquid imponi, v. g. invocationem SS. Nominis Jesu, saltem corde, aut osculari Crucifixum.

Resolvitur. A fortiori sacerdotes **possunt** confitentibus injungere satisfactionem **auctoritate a Christo ipsis collata,** qua possunt ligare et obligare ad certas poenas, ut definivit Trid. (*ibid.*, can. 15) contra haereticos his verbis : « *Si quis dixerit, claves Ecclesiae esse datas tantum* ad solvendum, *non etiam* ad ligandum, *et propterea sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem clavium, et contra institutionem Christi ; et fictionem esse quod, virtute clavium, sublata poena aeterna, poena temporalis plerumque exsolvenda remaneat, anathema sit.* »

R. Ad 2^um^) Ad hoc tenetur confessarius *sub gravi*, si pro mortalibus nondum confessis sit injungenda ; si vero pro venialibus aut mortalibus jam confessis, DD. *disputant.*

Explanatur. Juxta Bill., Suar., alios, peccaret **mortaliter** confessarius, qui pro venialibus aut mortalibus jam confessis nullam injungeret satisfactionem, nisi ex inadvertentia excusaretur. « Nec refert, ait Bill., quod satisfactio pro solis venialibus aut mortalibus jam confessis videatur quid leve : esto sit ita secundum se, est tamen respectu sacramenti quod manet mutilum quid grave in ratione irreverentiae. » — Juxta Lug., Salm., Mazz., Dicast., confessarius peccaret tantum **venialiter,** idque, judice S. Lig. (H. A. XVI, 47), « *probabile est.* » Ratio eorum est : quia privare sacramentum parte integrali levis momenti non est gravis inordinatio, sicut non graviter deesset muneri suo judex omittens in judicio ferendo complementum aliquod levis momenti. Praeterea non peccat graviter poenitens qui non adimplet levem satisfactionem sibi pro levibus impositam ; ergo neque peccat graviter confessarius, qui eam non imponit : tam enim requiritur ad integritatem sacramenti satisfactionis impletio quam ejus impositio. — « In **praxi** tenendum est, ait Sass., esse obligationem gravem : quia saltem vix aberit contemptus virtualis. »

Q. 62. Dic : 1°) *quid* et 2°) *quantum* pro POENITENTIA imponi debeat?

R. Ad 1um) Ex S. THOM. (*Suppl.* q. 15, a. 1) debet esse aliquid *poenale*, quod simul sit *vindicativum* seu tendens ad punienda peccata praeterita, et *medicinale*, non solum pro sanandis *praesentibus* vulneribus, sed etiam pro cavendis *futuris*. Unde dici solet quod poenitentia debeat esse : *vindicativa*, *medicinalis*, *praeservativa*, seu talis, juxta TRID. (Sess. XIV *de poenit.* cap. 8), ut : « *non sit tantum ad novae vitae* CUSTODIAM *et infirmitatis* MEDICAMENTUM, *sed etiam ad praeteritorum peccatorum* VINDICTAM *et castigationem.* »

Explanatur. Satisfactio, quatenus 1°) **vindicativa** dicitur, respicit *praeteritum*, eamque praestando poenitens, peccata sua punit, justitiae vindicativae satisfacit et remissionem alicujus poenae temporalis obtinet, et quidem *ex opere operato*. Quatenus 2°) **medicinalis** dicitur, respicit *praesens* : poenae enim satisfactoriae, ut explicat TRID. (l. c.), « *medentur peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt.* » Quatenus 3°) **praeservativa** dicitur, respicit *futurum*, seu conducit « *ad novae vitae custodiam,* » seu, ut habet S. THOM. (*l. c.*), « *a culpa* FUTURA *praeservat, quia non facile homo ad peccata redit ex quo poenam expertus est.* » Unde quoque TRID. (*l. c.*) de poenis satisfactoriis pronuntiat : « *magnopere a peccato revocant, et quasi fraeno quodam coercent, cautioresque et vigilantiores* IN FUTURUM *poenitentes efficiunt.* » — Opera autem **poenalia** (quo nomine intelligitur omnis actus virtutis, quippe qui in statu naturae lapsae, cum repugnet concupiscentiae indesinenter ad malum allicienti, eo ipso laboriosus seu poenalis sit), docente CATECH. ROM., post S. THOM. (*Suppl.* q. 15, a. 3), ad haec **tria** praecipue reducuntur : « *orationem, jejunium, eleemosynam;* » quae, veluti totidem medicinae, tribus peccatorum causis : *concupiscentiae carnis*, *concupiscentiae oculorum* et *superbiae vitae* opponuntur; priori scilicet, seu *concupiscentiae carnis*, **jejunium,** per quod intelligitur quaelibet corporis afflictatio; alteri, seu *concupiscentiae oculorum*, **eleemosyna**, i. e. quodlibet opus misericordiae; tertiae, seu *superbiae vitae*, **oratio**, i. e. quidquid spectat ad cultum Dei, ut sacrificium, laus, gratiarum actio, contemplatio, etc. Porro,

juxta eumdem Catech. Rom., cujus, ut saepius jam dixi, neminem latet auctoritas, « *ex omni satisfactionum genere* maxime *convenit poenitentibus praecipere, ut certis aliquot et definitis diebus orationi vacent, ac pro omnibus, et* **praesertim** *pro iis, qui ex hac vita* **IN DOMINO DECESSERUNT,** *preces Deo faciant.* »

Resolvitur 1. Confessarius ex Rit. Rom. « *Curet,* quantum fieri potest, *ut contrarias peccatis poenitentias injungat, veluti avaris eleemosynam, libidinosis jejunia, vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia. Rarius autem vel serius confitentibus, vel in peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut saepe, puta semel in mense vel certis diebus solemnibus confiteantur, et, si expediat, communicent.* » **Resol. 2.** Ex venerabili auctoritate Catech. Rom., ex omnibus satisfactionibus **praesertim** imponenda est **ORATIO PRO DEFUNCTIS,** « *in qua,* addit De Lugo (*de poenit.* XXV, 61) *includitur* eleemosyna *acceptissima et illi rursus pro poenitente* orabunt. » Accedit, hanc poenitentiam summopere esse **medicinalem** et **praeservativam,** quatenus, *novissima hominis* in mentem revocando, eumdem a peccato révocat, dicente Scriptura (Eccli. VII, 40) : « *In omnibus operibus tuis memorare* novissima *tua, et in aeternum non peccabis.* » Testor praeterea, me nullum unquam poenitentem, quantumvis durissimum, invenisse, qui non alacriter eamdem acceptaverit, hancque rite adimpletam eximias poenitenti impetrasse gratias. Nec mirum : « *quia* charitas *operit multitudinem peccatorum,* » ut dicitur (1 Petr. III, 8); est autem **Oratio pro defunctis** eximium *charitatis* opus : nedum in *proximum* extrema necessitate laborantem; sed in *nosmetipsos,* qui procul dubio orationibus justorum adjuvabimur; quin et in ipsum *Deum,* dicente Christo (Matth. XXV, 36) : « *In carcere eram et venistis ad me.* » Fuerunt quidem nonnulli, quos post Lug. citat S. Lig. (VI, 514), qui docuerunt : non posse imponi opus applicandum *defunctis,* hac ducti ratione, quod tunc opus non proderit poenitenti ad satisfaciendum pro seipso, ut tenetur. Sed, teste S. Lig. (ibid.), DD. « *communius* affirmant et *probabilius;* » **imo,** propter auctoritatem Catech. Rom. haec sententia, quae aliunde fundatur in doctrina S. Thom. (*Quodl.* 3, q. 13, a. 1), et quam, teste Bill., « *confirmat praxis confessariorum,* » **omnino certa** est, et

adversariorum allegata ratio **prorsus nulla** : quia, ut docet Bill. ex S. Thom. (*loc. cit.*), poenitentia sacramentalis seu « opus quod quis facit ex injunctione sacerdotis *dupliciter* valet poenitenti : uno modo *ex opere operantis*, alio modo *ex opere operato* seu ex vi clavium. Poenitens itaque jussus a confessario tale opus facere pro vivis vel defunctis, illis applicat valorem sui operis *ex opere operantis* de quo disponere potest ; valor autem ejusdem operis *ex opere operato* sibi manet, utpote quem pro suo arbitrio alienare non potest. » Sicut dum martyr applicaret satisfactionem suae passionis ex opere operantis pro aliquo vivo vel defuncto, passio tamen illa retinet quasi ex opere operato expiationem totius poenae propter martyrii privilegium (tom. 2, pag. 449).

R. Ad 2^um^) Quod *quantitatem* poenitentiae attinet, nulla datur *determinata mensura ;* sed ut constat ex verbis Trid. (Sess. XIV, c. 8) supra (pag. 280 seq.) relatis, tota relinquitur prudenti et rationabili arbitrio confessarii, qui, considerata quantitate et gravitate criminum, qualitate et dispositione poenitentis, aliisque circumstantiis, debet poenitentiam taxare et injungere.

Resolvitur 1. Per se loquendo **gravior** poenitentia pro **gravioribus** peccatis est imponenda : ne sacerdotes, ut dicit Trid. (*l. c.*). « levissima *opera pro* gravissimis *delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* » Quae verba indicant obligationem gravem. Quapropter graviter errant confessarii, qui omnibus indiscriminatim aliquot *Pater* et *Ave* injungunt, non reflectentes, an poenitentia sit peccatis proportionata, an medicinalis. **Resol. 2.** Quoniam tamen ex Trid. (l. c.) poenitentia imponenda est « *pro qualitate criminum*, » non quidem **absolute,** sed **relative,** seu « *pro poenitentium facultate ;* » patet quoque in poenitentia injungenda rationem esse habendam non solum qualitatis *criminum*, sed etiam qualitatis *personae* et variarum circumstantiarum ad illam pertinentium, adeoque satisfactionem esse imponendam, ut habet Rit. Rom., « *habita ratione* status, conditionis, sexus *et* aetatis, *et item* dispositionis *poenitentium.* » **Resol. 3.** « Graviter errant qui obligatis cum familia manducare injungunt abstinentiam a carnibus ; famulis longas orationes ; continuo labore

occupatis jejunia, pauperibus eleemosynas. » Ita Sass. cum Bill.. **Resol. 4.** « *Meminerit porro sacerdos* AEGRIS *non esse injungendam gravem aut laboriosam poenitentiam ; sed indicendam tantum illam quam si convaluerint, opportuno tempore peragant. Interim juxta gravitatem morbi aliqua oratione aut levi satisfactione imposita et acceptata, absolvantur, prout opus fuerit.* » Ita Rit. Rom. **Resol. 5.** Quamvis erret confessarius *sine justa causa* pro gravibus peccatis injungens levissimas poenitentias, v. g. pro peccatis carnalibus aliquot *Pater* et *Ave*, cum sic praebeat ansam licentiosius peccandi; dantur tamen plures **causae justae** imponendi poenitentias justo minores. Tales ex communi DD. sunt sequentes : **A**) Vehemens dolor poenitentis et animus paratus subeundi alia opera satisfactoria. **B**) Indulgentiae vel lucratae vel lucrandae. Interim, propter jubilaeum aut indulgentiam plenariam propositam non licet confessario omittere satisfactionem sacramentalem, ut declaravit Bened. XIV, Const. « *Inter praeteritos* » (3 Dec. 1749). **C**) Poenitentiae ab ipso confessario pro poenitente heroice susceptae (Spor.). Et ita S. Franc. Xav. cruentis flagellationibus luebat crimina eorum, quorum confessiones exceperat. Constat autem ex S. Thom. (*Suppl.* q. 13, a. 3), quod unus pro alio possit satisfacere, idque sequitur ex dogmate de *communione Sanctorum*, qua fit, ut fideles sibi invicem per pias actiones prosint tanquam membra unius corporis. **D**) Fragilitas animae qua creditur poenitens majorem poenitentiam non acceptaturus, vel acceptatam non adimpleturus. **E** Fundata spes minori poenitentia alliciendi poenitentem ad saepius confitendum. **Resol. 6.** Hinc, quasi viveret hisce miserrimis diebus, recte scribit Giribaldi : « *Quia ob infirmitatem humanam res eo devenit, ut jam* PAUCI *inveniantur, qui graviores poenitentias sibi injunctas* EXSEQUANTUR, *expedit, ac* **in praxi** *receptum est, ut* LEVIORES SATISFACTIONES *poenitentibus imponantur, ne poenarum gravitate* **deterreantur** *et a sacramentorum susceptione* **avocentur**, *quin potius poenitentiae levitate ad illorum frequentiam* **allicientur.** » Quo spectat duplex comparatio, quam promit S. Thom. Dicit enim (*Suppl.* q. 18, a. 4, : « *Sicut ergo* MEDICUS *aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem, quae ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturae majus periculum oriatur ; ita sacerdos divino instinctu motus non semper totam poenam, quae*

uni peccato debetur, injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine poenae desperet, et a poenitentia totaliter recedat. » Et (*Quodl.* 5, q. 13, a. 28) ait : « *Sicut* PARVUS IGNIS *a multis lignis superpositis de facili exstinguitur ; ita posset contingere, quod parvus affectus contritionis in poenitente nuper excitatus, propter grave onus satisfactionis exstingueretur, peccatore totaliter desperante.* » Et **haec praxis Tridentino haud est contraria** : ait enim expresse, satisfactiones injungendas esse « *salutares et convenientes*, » non tantum « *pro qualitate criminum*, » sed etiam pro « *poenitentium facultate*, » i. e. pro viribus seu « *dispositione* » eorum, ut explicat RIT. ROM. Et quoniam plerumque ii, qui plus peccaverunt, generatim aliis debiliores sunt, hinc fit, ex prudenti oeconomia, ut ordinarie ipsis multo adhuc leviores, quam aliis poenitentiae imponantur. **Resol. 7.** Dum minor poenitentia ex justa causa imponitur, tunc, ut dicit SASS., « **moneatur** poenitens hanc non correspondere peccatis, ne ex levitate poenitentiae, leviora putet peccata, et ut ex suis sponte addat. » Quod jam pridem docuerat S. THOM. (*Quodl.* 5, q. 13, a. 28) inquiens : « *Sacerdos poenitenti indicet quanta poenitentia esset sibi pro peccatis injungenda.* » Praeterea ex eodem ANGELICO (*ibid.*), per verba post absolutionem prolata : « **Passio Domini**, etc. **quidquid boni feceris et mali sustinueris**, etc., » omnia bona opera poenitentis, quamvis ex ejus electione fiant, ad satisfactionis sacramentalis meritum elevantur, idque S. LIG. (VI, 507, dicit « *longe probabilius et communius.* » Concinit Magister BILL. cum SPOR., SUAR., aliis; ast sub duplici conditione, inquiens : « Si tamen id intenderet confessarius de bonis **futuris** poenitentis, et id ipsi **indicaret**, non video quid obstaret, etiamsi fieret pro toto vitae tempore. » Quapropter dum ex justa causa satisfactio justo minor imponitur, a confessario moneri poterit poenitens quod quotiescumque v. g. audiat missam, jejunabit, molestias et afflictiones patienter tolerabit, haec omnia ipsi vi sacramenti suscepti esse valitura in satisfactionem, ac si ipsi pro poenitentia sacramentali fuissent imposita, dummodo eo fine eaque intentione illa perficiet. **Resol. 8.** Ceteris *paribus*, tum etiam *in dubio*, an adsit justa causa imponendi poenitentiam justo minorem, inclinandum est in partem **benigniorem** : tum quia ex TRID. (l. c.) sacramentum poenitentiae « *non est forum irae vel*

poenarum, » sed veniae et misericordiae; tum « quia satius est, quod poenitens cum leviori poenitentia adimpleta residuum poenae luat **in Purgatorio,** quam graviori neglecta damnetur **in inferno.**» Ita Bill. In eamdem sententiam conspirant : S. Antonin., Gerson., Cajet., Lug., Girib., alii, quibus praeierat S. Thom. (*Opusc.* 63 § 4) de confessario inquiens : « *Faciat temperamentum ex* misericordia *et* severitate, *ut poeniten ia non sit nimis dissoluta nec nimis rigida... Tamen* tutius *est imponere minorem debito, quam majorem ; quia melius excusamur apud Deum propter multam* misericordiam *quam per nimiam* severitatem. Cfr. *Instr.* S. C. de P. F. pro sacerdotibus Tongkinensibus sive Annamitis 1736. »

Q. 63. *An* 1°) opus *alias* debitum imponi possit pro poenitentia ; 2°) *quandonam* haec sit imponenda ; 3°) utrum *eadem* pro nova absolutione imponi possit?

R. Ad 1um) *Affirmative.*

Explanatur. Ratio est : quia, cum opus illud sit satisfactorium, bene potest per claves ad meritum satisfactionis sacramentalis elevari, non solum **valide**, sed etiam, ex justa causa, **licite,** v. g. ob debilitatem vel occupationem poenitentis, juxta prudens arbitrium confessarii. Sicut igitur *duplex* habebitur *meritum* in adimpletione istius operis, sic *duplex* quoque *peccatum* aderit in ejus omissione; sicut fit in eo qui voto se obstrinxit ad audiendam missam die dominica, ad quam praecepto Ecclesiae tenebatur. Ceterum opus a confessario impositum censetur alias indebitum, nisi confessarius contrarium insinuet, aut ex rei circumstantiis aliud colligi queat.

Resolvitur 1. Si poenitens fuerit negligens in servandis praeceptis Ecclesiae, poterit eorum diligens observatio usque ad proximam confessionem imponi? Item si fuerit negligens in persolvendis suis poenitentiis, poterit imponi earum suppletio. Similiter imponi possunt ipsae obligationes restituendi, satisfaciendi, remittendi, etc., alias ex peccatis suis contractae, saltem in partem poenitentiae, et praesertim opera in confraternitate poenitentis etiam sine peccato praescripta (Spor.). **Resol. 2.** Si confessarius dicat : *Audias missam*, intelligitur praeter illam, ad quam aliunde teneris. Contra si dicat : *per mensem audias quotidie missam*, satisfacis die festo audiendo unam, juxta dicta (tom. I, pag. 149seq.).

R. Ad 2um) Quamvis *praxis* habeat, ut poenitentia imponatur ante absolutionem; tamen ex CAIETANO (*Summ.* verb. SATISFACTIO) « *Nihil refert imponere ipsam* ANTE *vel* POST *absolutionem; sufficit siquidem praeparatio poenitentis ad ipsam.* »

Explanatur. Ratio est ex BILL.: « quia utroque modo censetur moraliter conjungi ceteris partibus sacramenti, et in eo fieri. Convenientius tamen imponitur ante absolutionem : quia sic materia praesupponitur expressius formae. »

R. Ad 3um) *Controvertitur.*

Explanatur. Si poenitens statim post absolutionem addat novum peccatum, cujus nova detur absolutio, cum sit novum sacramentum, juxta **alios,** quibus adhaeret S. LIG. (VI, 513), aliquid saltem leve est injungendum. Juxta **alios** vero, quos inter LUG. (*de poenit.*, disp. XIV, 28), poterit *novo titulo* injungi poenitentia, quae fuit in prima confessione imposita; nam opus alias debitum potest in satisfactionem sacramentalem injungi. Cui sententiae *ita* expositae non deest probabilitas.

Q. 64. *An* possit imponi POENITENTIA : 1°) sub *conditione relapsus;* 2°) *publica?*

R. Ad 1um) DD. *disputant.*

Explanatur. Alii **negant,** alii **affirmant,** alii **distinguunt,** dicuntque *confessarium* non posse ad id obligare; *poenitentem* tamen *teneri* ad eam adimplendam, si ipsam acceptaverit. Existimaverim, **in praxi** abstinendum esse ab hujusmodi poenitentia *conditionali* seu *disjunctiva* imponenda; si nihilominus adhibeatur, expedit, ut praeter illam *absoluta* quaedam imponatur.

R. Ad 2um) *Sub distinctione.*

Explanatur. *Negat.*, si agatur de peccatis **occultis** : per hoc enim indirecte frangeretur sigillum. Hinc RIT. ROM. : *Pro peccatis* OCCULTIS, *quantumvis gravibus,* MANIFESTAM *poenitentiam non imponant.* » *Affirm.*, si agatur de **publicis,** v. g. in casu ingentis scandali. Interim non debet confessarius illam imponere *reluctanti,*

cum aliter possit salus ejus obtineri et scandalum reparari, v. g. publice ad sacramenta accedendo, ecclesias devote visitando, missam audiendo, nomen dando piae confraternitati, etc.

Q. 65. *An* 1°) poenitens *teneatur* ACCEPTARE poenitentiam; 2°) QUOMODO et 3°) QUANDONAM debeat illam *adimplere?*

R. Ad 1^{um}) Tenetur *acceptare* poenitentiam rationabilem, sicut confessarius tenetur justam imponere.

Explanatur. Dixi : **rationabilem** : si enim talis non sit, aut videatur nimis difficilis, potest de hoc monere confessarium, qui si nollet condescendere, potest ante acceptam absolutionem alium adire ; vel si hoc experiatur post absolutionem, petere commutationem.

R. Ad 2^{um}) Poenitentia implenda est *sub mortali*, si sit gravis et pro peccatis mortalibus ; *sub veniali*, si levis, et pro venialibus aut mortalibus antea rite confessis.

Resolvitur. Hinc **1°**) Omittere omnino levem, etiam pro mortalibus injunctam, est tantum veniale : materia enim levis est incapax obligationis gravis (SPOR.). **2°**) Omittere gravem pro venialibus vel mortalibus rite antea confessis impositam, etiam est veniale tantum : quia materia erat libera ; ergo censetur obligatio levis. **3°**) Idem dic de omissione poenitentiae in se quidem gravis et pro culpis gravibus impositae, sed sub levi tantum obligantis : quia tunc non est simpliciter gravis. Et hoc fieri potest, cum quilibet legislator possit materiam gravem praecipere sub obligatione levi, juxta dicta (tom. I, p. 138).

R. Ad 3^{um}) Dico : 1°) Non est necesse adimplere satisfactionem *ante absolutionem*, et confessarius *per se loquendo* non potest nec debet ad hoc *cogere* poenitentem confessum aliunde rite dispositum.

Explanatur. Probatur **prima pars** resp. : **1°**) Quia satisfactio non est pars essentialis sacramenti, sed integralis tantum, sine qua subsistere potest. Adde quod contritio et confessio, quae praemittuntur absolutioni, habeant aliquam rationem satisfactionis.

2°) Ex praesenti Ecclesiae disciplina, quae si non semper viguit, saltem a pluribus saeculis ubique viget, et Scripturae auctoritate comprobatur. Filio namque prodigo redeunti jubet pater evangelicus proferri cito stolam primam, nec eum remittit, ut pascendo porcos majorem concipiat adversus peccata horrorem, et ut ad paternum amplexum disponatur. Hinc Sixt. IV Bull. « *Licet ea* » (1479) damnavit hanc Petri Oxomen. propositionem sub n. 8 : « *Non sunt absolvendi poenitentes, nisi peracta prius poenitentia eis injuncta.* » Item Alex. VIII (7 Dec. 1690) damnavit sequentes propositiones : Sub n. 16 « *Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia, non institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante;* » sub n. 17 « *Per illam praxim mox absolvendi ordo Poenitentiae est inversus;* » sub n. 18 « *Consuetudo moderna quoad administrationem sacr. poenit. etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu sed abusu.* » Pariter Clem. XI Bull. « *Unigenitus* » (8 Sept. 1713) diris devovit has Quesnel. propositiones : sub n. 87 « *Modus plenus sapientia, lumine et charitate est dare animabus tempus portandi cum humilitate et sentiendi statum peccati, petendi spiritum poenitentiae et contritionis et incipiendi ad minus satisfacere justitiae Dei, antequam reconcilientur;* » sub n. 88 « *Ignoramus quid sit peccatum et vera poenitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, et detrectamus separationis istius ferre confusionem.* » Tandem Pius VI Bull. « *Auctorem fidei* » eumdem errorem instauratum in Syn. Pistorien. damnavit sub n. 55. — Probatur **secunda pars** sequentibus argumentis ex Bull. : « 1°) Quia non licet privato a communi Ecclesiae praxi in re tam gravi recedere. 2°) Quia poenitens confessus et aliunde rite dispositus, habet jus ad absolutionem statim recipiendam, nec absque gravi injustitia illi denegari aut differri potest, cum ipsius maxime intersit non diutius manere in statu peccati et statim in Dei amicitiam redintegrari. 3°) Quia satisfactio post absolutionem in statu gratiae peracta, est meritoria, Deo gratior et longe efficacior ad satisfaciendum pro peccatis praeteritis et ad praecavenda futura quam ante absolutionem in statu peccati. » Quo spectat illud S. Thom. (*Suppl.* q. 14,

a. 2) : « *Sine charitate opera facta non sunt satisfactoria.* » Dixi : **per se loquendo** : quia si confessarius advertat poenitentem esse negligentem in adimplendis satisfactionibus, aut dubitet de ejus legitima dispositione, ut contingere potest in consuetudinariis et frequenter recidivis, potest, nulla urgente necessitate, ipsum ad praemittendam satisfactionem saltem ex parte adstringere. Cfr. *Instr.* S. C. de P. F. (1736) pro sacerd. Tongkinen.

Dico : 2°) Poenitentia implenda est *tempore a confessario designato*, vel *quam primum commode* fieri potest, si nullum fuerit assignatum.

Explanatur. Ratio est : quia sic postulat tum sacramenti integritas, tum ratio medicinae, tum justa sententia judicis. Ad determinandum vero quaenam **dilatio** reputanda sit *gravis*, oportet *distinguere* : 1°) Si poenitentia fuerit *levis* vel *gravis*, pro materia *libera*, quantacumque sit dilatio, nequit ad culpam gravem pertingere, cum ipsa omissio veniale non excedat. 2°) Si vero fuerit *gravis* pro mortalibus imposita, grave est, eam vel ejus partem notabilem sine justa causa differre tempore **notabili**. — Quodnam autem tempus hic *notabile* reputetur, regula generali determinari nequit, cum desuper fere tot sint DD. sententiae, quot sunt intermedia temporis spatia inter *octiduum* et *annum*. Nihil autem *de mortali* damnandum est, nisi evidens ratio id suadeat, dicente S. Thom. (*Quodl.* 9, a. 15) : « *Omnis quaestio, in qua de peccato* MORTALI *quaeritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur.* » Immo, dilationem integri anni omnis culpae expertem judicant nonnulli cum Diana, cum possit differri confessio per annum. Aliunde, si poenitentia fuerit medicinalis, aliis remediis infirmitas curari potest.

Resolvitur 1. Si poenitentia tempore statuto non sit adimpleta, non ideo cessat obligatio : quia principale quod in ea spectatur non est circumstantia temporis, sed opus praescriptum (Bill.). **Resol. 2.** Merito damnata fuit ab Alex. VIII propositio sub n. 22 : « *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint.* »

Q. 66. *An* SATISFACIAT : 1° qui poenitentiam implet *in*

mortali; 2°) qui ponit opus praescriptum, poenitentiae *immemor;* 3°) qui memor obligationis *excludit* intentionem *satisfaciendi?*

R. Ad 1um) *Affirmative.*

Explanatur. Ratio est : quia ad satisfaciendum praecepto sufficit ponere opus injunctum, licet finis praecepti non obtineatur. Ita, judice S. Lig. (VI, 522), « sententia *communis* et *probabilior.* » Et confirmatur ex sensu fidelium qui non solent repetere poenitentias in statu peccati mortalis peractas neque ad eas repetendas consueverunt a confessariis obligari. Tunc quidem non habebitur meritum et effectus satisfactionis injunctae, nempe remissio poenae debitae, quae haberi non potest sine charitate (et hoc sensu intelligitur S. Thomas qui contra objicitur); sed dici nequit ipsum non adesse implementum. — Nec *certo* peccat **mortaliter,** nec *probabiliter* juxta Lug., Mazz., etiam **venialiter**, qui poenitentiam implet *in mortali :* quia nulla est culpa soli poenarum remissioni obicem ponere. Aliunde, si alicui injunctae essent certae preces per annum, peccaret eas recitando in mortali, quod videtur nimis durum. Praeterea in sententia multorum, quos inter Cajet., P. Soto, Suar., Reiff., poenitentia, etsi in statu peccati *mortalis* adimpleta, recedente obice per status gratiae recuperationem, suum sortitur effectum : cum enim sit opus sacramentale et applicatio satisfactionis Christi, semper est opus ex se vivum, etsi quodammodo mortificatum ob obicem peccati mortalis; et ideo, remoto obice, jam reviviscit et incipit suum habere effectum, sicut sacramenta cum obice suscepta, eo postea sublato, reviviscere docuimus (tom. II, pag. 573 seqq.).

R. Ad 2um) *Affirmative*, juxta sent. communiorem.

Explanatur. Ratio est : quia poenitens, acceptando poenitentiam, habet animum eam adimplendi; ergo, quoties ponit opus injunctum, illud ponit ex intentione saltem habituali satisfaciendi. Quisque enim, in quolibet opere satisfactorio quod ponit, semper intendit operi debito prius satisfacere quam operi supererogatorio. Ita Spor., Lug. (*de poenit.* disp. XXIV, n. 43) et alii communius, contra Mazz., Vasq., Lacroix, Dicast., alios, dicentes : poenitentiam

persolvendam esse cum aliqua intentione saltem virtuali integrandi sacramentum. — Utramque sententiam probabilem habet S. Lig. (H. A. XVI, 58).

R. Ad 3^um^) *Controvertitur.*

Explanatur. Alii **affirmant** cum De Moya : alii, quibus assentior, probabilius **negant** : ideo enim satisfacit immemor obligationis, quia censetur habere habitualem intentionem satisfaciendi ; ergo, si excludat hanc intentionem, jam non satisfacit, quia non vult satisfacere. Praeterea opus satisfactorium, a confessario impositum, habetur instar debiti. Atqui, si quis eroget donum immemor debiti, censetur obligationi justitiae satisfecisse, juxta axioma : « *nemo censetur liberalis, nisi sit liberatus* » (tom. II, pag. 144). Secus vero, si positive voluntatem satisfaciendi excludat. Ergo a pari.—**Nec obstat,** quod diximus (tom. I, pag. 147 seq.) de audiente missam cum expressa intentione non satisfaciendi : nam in eo disparitas est, quod praeceptum missae imponitur fidelibus independenter ab eorum voluntate ; poenitentia vero imponitur poenitenti et ab eo acceptatur ; quare ejus adimpletio, sicut in voto, ab ejus voluntate pendet.

Q. 67. *An* 1°) poenitens, *oblitus* poenitentiae injunctae, teneatur confessionem REPETERE, ut aliam accipiat ; *an* 2°) possit SATISFACERE *per alium?*

R. Ad 1^um^) *Negative.*

Explanatur. Ratio est : quia, ubi poenitentia tum a poenitente tum a confessario ignoratur, facta est impossibilis et desinit obligare : « sicut, ait Bill., ab observantia aliarum legum excusatur, qui eas ignorat. » Idque DD. communiter admittunt cum eodem Bill. : « *etiamsi oblivio fuerit culpabilis, puta quia diutius distulit.* » Unde sufficit, si poenitens oblivionem culpabilem confiteatur. — **Nec obstat** quod sacramentum non integretur : nam, praeterquam quod sufficienter fuerit integratum per impositionem et acceptationem poenitentiae, adest sufficiens excusatio, ne quis cogatur bis confiteri eadem peccata. Immo, juxta graves DD., non constat de obligatione redeundi ad confessarium, ut poenitentiam resciat, si quis *absolute* ab eo discessit : quia est completum judi-

cium sacramentale, et deficit unio moralis inter illud judicium et poenitentiam injunctam. — **Utrum** vero tunc teneatur poenitens sibi ipsi **aliud opus subrogare,** DD. *disputant.* Multi *negant* cum Mazz. : quia opus illud non foret poenitentia sacramentalis, cum non veniret a potestate clavium. Alii *affirmant* cum Bill., qui ita scribit : « Non eximitur tamen ab aliqua satisfactione, sibi ipsi prudenter, attentis peccatis, injungenda : quia debet Deo satisfacere. Consulunt quidam, ut in proxima confessione petat sibi injungi aliam poenitentiam congruam peccatis, qualia confiteri solet. »—Liceat mihi **concludere** : quamvis confessarius probabiliter novam poenitentiam subrogare pro alia oblivioni data non teneatur, **in praxi** tamen expedit ut aliquod opus saltem leve imponat, ad satisfaciendum devotioni poenitentis, vel ad ejus anxietates compescendas. Aliunde praestat in hac quam in alia vita satisfacere.

R. Ad 2^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. Alium substituit : vel **propria auctoritate,** vel **de consensu confessarii.**—Si **primum** : *Negat.*, ut constat ex prop. damn. ab Alex. VII sub n. 13 : « *Poenitens* propria auctoritate *substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.* »—Si **secundum** : *Affirm.*, et sic debilibus posset subin injungi, ut ab aliis peregrinationem vel simile quid perfici curent ; quo casu ipsa procuratio operis tanquam molesta, seu ipsa cura, qua poenitens alium ad quidpiam praestandum movet, vicem poenitentiae sacramentalis habet. — Interim ego ab hujusmodi poenitentiis injungendis **abstinerem.**

Q. 68. Dic : 1°) A *quonam* et 2°) *quomodo* poenitentia possit commutari?

R. Ad 1^{um}) *Poenitens* non potest sua auctoritate poenitentiam justam mutare, etiam in opus evidenter melius.

Explanatur. Ratio : quia est reus, non judex ; et illud, in quod commutat, non est sacramentale seu vim non habet ex opere operato, quia non est a potestate clavium. Secus est de voto, ubi ipse voveus est suus legislator (tom. I, pag. 415).—Dixi : *poenitentiam* **justam** ; quia poenitentia *manifeste* injusta nulla opus habet

commutatione, ut constat ex dictis (pag. 289); neque etiam *dubie* injusta : quia tunc ad quemcumque virum doctum et probum, adeoque etiam ipsum poenitentem, si talis sit, spectat dijudicare, an confessarius in imponendo errarit.

R. Ad 2^{um}) Dico : 1. Non tantum *idem* confessarius, qui poenitentiam imposuit, sed etiam *alius* quicumque, potest, *ex rationabili causa*, mutare poenitentiam prius impositam, *saltem si is aequalem potestatem habeat cum imponente* : quia licet sint diversi ministri, est tamen idem tribunal et eadem potestas non tantum ad remittenda peccata, sed etiam ad solvenda vincula peccatorum. Cfr. N. R. T. (III, 325 seqq.).

Explanatur. Dixi : 1°) **ex rationabili causa** ; ut si poenitentia imposita nimis fuisset rigida, sive ex se, sive habita ratione status, conditionis, sexus et aetatis necnon dispositionis poenitentium, juxta dicta superius (pag. 284 seq.), aut si nova imponenda credatur magis profutura, etc. — Dixi : 2°) **saltem si is aequalem**, etc. ; si enim poenitentia imposita sit pro casibus reservatis, in quos posterior confessarius nullam habet potestatem, multi putant hunc non posse commutare poenitentiam : quia accessorium sequitur principale ; et hinc impotens solvendi peccata, est etiam impotens solvendi poenas peccatorum. Sed adhuc probabile est, juxta Sporer, Castropal., Viva, Vasq., Ronc., Bonac., alios, quod possit, licet peccata fuerint reservata : quia per priorem absolutionem sublata fuit reservatio peccatorum adeoque etiam poenarum.—Quod vero, facta commutatione poenitentiae, **liberum** sit poenitenti redire ad primam, communius *affirmant* DD. : « quia ista commutatio, ait Bill., tota est in favorem poenitentis, cui cedere potest, et ea videtur intentio confessarii. »

Resolvitur 1. « Quamvis confessarius possit poenitentiam ab alio injunctam commutare, imprudentissime tamen se gereret, quoties commutaret non aliam habendo causam commutationis, nisi quia **ita exposcit** poenitens. Videat ergo primo confessarius, an vere poenitentia nimis rigida dici posset vel ex se, vel attenta conditione poenitentis ; et si talis non sit, suadeat quantum potest ipsius exsecutionem, repraesentando poenitentias debere peccatis proportionari, adeoque pro gravibus excessibus non esse injungen-

dam poenitentiam nullam vel exiguam afferentem molestiam. Quod si his, aliisque motivis non videat poenitentem omnino determinatum ad exsequendam injunctam satisfactionem, timeatque **ex ipsius fragilitate** non adimpleturum, mitiorem reddere potest; et videat quantum potest, ne tam tenuem imponat satisfactionem, ut poenitens peccata parvi faciat, ac ad eadem redire non detrectet. » (Ita Roncaglia.) **Resol. 2.** « Animadvertat etiam confessarius, antequam commutet poenitentiam an imposita fuerit pro necessaria poenitentis **praeservatione**; ut si illi in poenitentiam impositum fuisset ne luderet, quia ludus non erat sine gravi familiae detrimento, vel sine pluribus blasphemiis. Eodem modo discurrendum, si in poenitentiam impositum fuisset, ne accederet ad aliquam domum, ubi consuetus erat peccare; ut aliquoties in die quasdam breves faceret orationes ad exstirpandam longam consuetudinem peccandi, etc. Ego puto istas medicinales satisfactiones pessime commutari, si non sint fere *moraliter impossibiles*. Poenitens utique hujusmodi commutationem expostulando demonstrat vere de peccatis non dolere, cum respuat media sibi necessaria ad non peccandum. Hinc male agit etiam confessarius et illum absolvendo et poenitentiam commutando, **quoties alia aeque utilia non darentur media**, ut poenitens a lapsu *praeservaretur*. Certe confessarii nimis faciles in poenitentiis commutandis, quod alii aedificarunt destruunt, ac verificatur, quod dicitur (Eccli. XXXIV, 28) : *Unus aedificans et unus destruens, quid prodest illis nisi labor.* » (Roncaglia.)

Dico : 3. Sive *primus* confessarius commutet, sive *secundus*, juxta sententiam quam S. Lig. (VI, 529) vocat « *satis probabilem* » non requiritur summaria confessio ad statum poenitentis cognoscendum, sed sufficit ut ipse aperiat solam poenitentiam : quia non agitur de judicio ferendo circa culpas deletas in praecedente confessione, sed tantum de poenitentia commutanda, ad quam sufficit prioris poenitentiae cognitio. Et haec sententia in praxi probabilis visa est Busemb., Laym., Lug., Salm., aliis, qui oppositam sententiam, quae *communior* est, tuentur; imo Diana existimat « *probabilissimam esse illam sententiam*, » additque : « *Et ita docet... communis usus confessariorum.* » Ast *primus* confessarius, qui

poenitentiam imposuit, potest eam commutare *probabiliter* etiam *extra confessionem* : quia judex, qui poenam imposuit, potest agere de ejus impletione et mutatione, si reus consentiat ; *secundus* vero *nonnisi in tribunali* seu cum actu audit confessiones : quia nullam habet potestatem nisi in judicio sacramentali. Cfr. N. R. T. (III, 329 seqq.). S. Lig. (VI, 529).

Q. 69. *Quinam* sint EFFECTUS satisfactionis *sacramentalis?*

R. *Triplex* effectus assignatur : 1°) *remissio poenae temporalis, majoris vel minoris ;* 2°) *augmentum gratiae sanctificantis ;* 3°) *auxilia supernaturalia ad peccata postea praecavenda.* - De PRIMO certo *constat ;* de SECUNDO et TERTIO inter DD. *disputatur.*

Explanatur. Ad **primum effectum** quod attinet, vi satisfactionis sacramentalis adeoque *ex opere operato* remittitur *poena temporalis* peccatis debita, major vel minor, prout opus satisfactorium fuerit majus aut minus, major aut minor devotio et dispositio satisfacientis.—**1**ma) PARS patet ex Trid. (Sess. XIV *de poenit.*, cap. 3) docente : satisfactionem sacramentalem esse ex *institutione Christi*, ut poena condonetur, eamque esse suo modo *partem sacramenti*. Unde S. Thom. (*Quodl.* 3, a. 28) ait : *Cum satisfactio a sacerdote absolute injuncta sit* PARS SACRAMENTI, *manifestum est, quod in ea operatur* VIS CLAVIUM, *ita quod amplius valet ad expiandum peccatum, quam si* PROPRIO ARBITRIO *homo faceret* IDEM OPUS. » —**2**da) PARS probatur. Si parva satisfactio remittat ex opere operato aliquid poenae temporalis, ergo plus remittit major satisfactio. Et sicut sacramenta majorem vel minorem conferunt gratiam secundum dispositionem recipientis, ita et hic fit de remissione poenae. **Hinc** confessarius sine justa causa ob peccata gravia levissimam imponens poenitentiam praeter peccatum scandali etiam defraudat poenitentem. Praeterea, quia poenitentia sacramentalis majorem omnino vim habet, quam non sacramentalis, bene facit, si poenitenti, qui ex devotione v. g. in dies audit missam, orat rosarium, etc., horum aliqua pro poenitentia injungat.—Ad **secundum effectum** quod attinet, satisfactionem, quae absolutionem subsequitur, *ex opere operato* conferre etiam *augmentum gratiae* defendunt insignes TT., cum Bill., Suar., post S. Thom., qui (p. 3, q. 90, a. 2 ad 2) ait : « *Dicendum quod satisfactio confert gratiam prout est in pro-*

posito, et AUGET *eam prout est in* EXSECUTIONE. » Alii cum VASQ., TOURN., illum effectum non admittunt, aut saltem magis in dubium vocant. — Ad **tertium effectum** quod spectat, censent plures, etiam ex iis qui negant gratiae sanctificantis augmentum, quod satisfactio sacramentalis causet *ex opere operato* auxilia supernaturalia ad peccata in posterum praecavenda : « *Quia cum propter hunc finem primario sit instituta haec pars, non videtur dubium, quin illi sit data haec virtus adjuvans in hunc finem.* » Ita SUAR.

Resolvitur 1. Si quis poenitentiam sacramentalem ex praescripto confessarii impleret ante absolutionem, ut quandoque fit, ista satisfactio, licet virtute clavium niteretur, non haberet totum suum effectum *ex opere operato* nisi postea, consummato nempe sacramento. **Resol. 2.** Praeter **effectus** satisfactionis sacramentalis, sunt plures ejus **utilitates,** quas recenset TRID. (Sess. XIV, cap. 8), scilicet : 1°) Ne leviora reputentur peccata, tam duris poenitentiae laboribus expianda. 2°) Ut deterreantur poenitentes a peccatis futuris, et in iis cavendis vigilantiores reddantur. 3°) Per illas satisfactiones eradicantur habitus vitiosi. 4°) Imminentem Dei iram avertunt. 5°) Nos Christo capiti conformes efficiunt. 6°) Sunt in exemplum et aedificatiònem aliorum.

SECTIO III.

DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE.

CAP. 1. De potestate ministri. Ubi de jurisdictione et approbatione.

Q. 70. *Quisnam* sit 1°) MINISTER sacramenti poenit., et 2°) *quaenam* requirantur ad EXPEDITAM ejus potestatem?

R. Ad 1^{um}) Minister legitimus sacramenti poenitentiae est solus sacerdos jurisdictione praeditus ac simul approbatus.

Explanatur. Dicitur : 1°) **Minister legitimus** ; i. e. validae administrationis hujus sacramenti, seu qui potest absolvere a peccatis confessis.

Dicitur : 2°) **sacramenti poenitentiae** ; i. e. *confessionis sacramentalis* seu talis quae fit in ordine ad absolutionem a ministro

concedendam : quia non negamus olim viguisse morem confitendi *laicis*, praesertim ubi deesset sacerdos. Et ista confessio non erat sacramentalis seu in ordine ad absolutionem, sed ad erubescentiam et majorem humiliationem, seu ad consilium aut auxilium petendum, utque inde et ex magno desiderio confessionis Deus flecteretur ad veniam concedendam; quo sensu intelligendus est S. Thom. (*Suppl.* q. 8, a. 2 ad 1) inquiens : « *Quando necessitas est imminens, debet facere poenitens quod ex parte sua est, scilicet conteri et confiteri cui potest..., et quod defectum sacerdotis supplet summus Sacerdos..., et ex desiderio sacerdotis, talis confessio, sacramentalis est quodammodo.* » Quibus, inquam, verbis S. Thom. non praecipit, sed hortatur ad hujusmodi confessionem secundum morem qui vigebat suo tempore, eamque vocat *quodammodo sacramentalem*, non quod esset in ordine ad sacramentum aut esset pars sacramenti; sed quia : vel fiebat in imitationem confessionis sacramentalis, vel quia habebat adjunctum sacramenti desiderium. — Ista autem consuetudo nunquam vim legis habuit, et jam diu est abrogata.

Dicitur : 3°) **solus sacerdos**; et hinc in nullo casu hoc sacramentum valide administratur a non sacerdote, nec est ulla obligatio etiam extra sacramentaliter confitendi laico, quantumvis extrema sit necessitas mortis imminentis. *Solis* namque Apostolis et in eorum persona solis episcopis et sacerdotibus, eorum successoribus, Christus (Matth. XVIII, 18) promisit claves regni coelorum seu potestatem ligandi et solvendi, retinendi et remittendi peccata, iisque solis eam contulit (Joan. XX, 22 seq.). Unde Conc. Trid. (Sess. XIV, can. 10) de fide definivit : « *Si quis dixerit...* non solos *sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum :* Quaecumque ligaveritis, etc.; quorum remiseritis, etc., *quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem, anathema sit.* » Quod dictum sit : — tum contra Waldenses et Wicleffistas, contendentes quemlibet laicum probum posse sacramentum poenitentiae administrare; — tum contra Lutherum, qui cum existimaret absolutionem nihil aliud esse quam declarationem remissionis peccatorum, docuit quemlibet fidelem, etiam mulierem, esse ministrum confessionis, saltem in casu necessitatis; — tum contra Morinum

consentem hanc facultatem olim fuisse concessam diaconis. — **Nec objicias** : Ex Scriptura, cuilibet sacramentaliter confiteri possumus : dicitur enim (Jac. V, 16) : « *Confitemini alterutrum peccata vestra.* » Ergo quilibet est minister Poenitentiae. **Resp.** *Neg. ant.* Etenim dato, quod negant aliqui cum Scoto, Apostolum de confessione sacramentali, non autem de confessione humilitatis disserere, sensus ejus est : non uni Deo confitendum, sed etiam hominibus, iis nempe qui ad hoc potestatem habent et idonei sunt. Sic, cum S. Paulus (Eph. V, 2) vult ut fideles *subjecti* sint *invicem*, et S. Petrus (1 Epist. IV, 9) *invicem hospitales*, neuter jubet omnes esse subjectos, sed inferiores superioribus ; nec omnes, etiam egenos, hospitalitatem exercere, sed divites aut qui domus habent. A pari verba illa : *Confitemini* etc., ita explicat Hugo a S. Vict. : « *homines hominibus, oves pastoribus, subjecti praelatis, laici sacerdotibus, ii qui habent peccata iis qui peccata dimittendi potestatem habent.* » Nec ulli eorum, qui cum S. Thom. (*Suppl.* q. 6, a. 6 ad 2) verba S. Jac. de sacr. poenit. intellexerunt, in mentem venit ex iis deducere potestatem solvendi laicis perinde ac sacerdotibus esse concessam.

Dicitur : 4°) **jurisdictione praeditus** ; unde ad *valide* absolvendum, praeter potestatem *ordinis*, requiritur *jurisdictio* seu auctoritas in alium ut subditum. Constat ex Conc. Flor. in decreto de sacr. poenit. : « *Minister hujus sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam vel ex commissione superioris.* » Eamdem doctrinam proponit Trid. (Sess. XIV, cap. 7) : « *Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse synodus haec confirmat,* NULLIUS *momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert in quem ordinariam aut subdelegatam non habet* JURISDICTIONEM. » Cui doctrinae contraria propositio Syn. Pistor. damnata fuit sub n. 37 a Pio VI Bull. « *Auctorem fidei.* » — Hinc infertur *jurisdictionem* **differre** a potestate *ordinis* : 1°) Quod potestas ordinis conferatur cuilibet sacerdoti per suam ordinationem ; potestas vero jurisdictionis per deputationem legitimam superioris vel Ecclesiae ad absolvendum poenitentem modo judiciali ut subditum. 2°) Sacerdotes omnes in potestate ordinis sunt aequales, non vero in potestate jurisdictionis. 3°) Potestas ordinis est invariabilis et indelebilis,

utpote fundata in charactere sacerdotali; potestas vero jurisdictionis potest augeri vel minui, aut etiam totaliter tolli.

Dicitur : 5°) *ac simul* **approbatus**; nam ex Trid. (Sess. 23 *de reform.* cap. 15), ut sacerdos possit audire confessiones *saecularium* necesse est, ut aut « *parochiale beneficium* » obtineat, aut ab episcopo « *per examen aut alias idoneus judicetur et approbationem obtineat.* » Nomine autem *parochialis beneficii* intelligitur etiam dignitas vel officium cui cura animarum annexa est, licet non sit beneficium proprie dictum. Cui itaque tale munus seu beneficium, curam animarum annexam habens, committitur, eo ipso declaratur idoneus ad audiendas confessiones, et habetur approbatio saltem *implicita.* — Dixi : *saecularium;* quo verbo indicat Conc. Trid., se quoad *regulares* non mutare jus antiquum, vi cujus pro eorum confessione excipienda sufficit approbatio superiorum regularium.

R. Ad 2^{um}) *Tria* requiruntur : 1°) potestas *ordinis sacerdotalis;* 2°) potestas *jurisdictionis;* 3°) *approbatio* episcopi ad audiendas confessiones saecularium. Quorum si unum desit, sacramentum ministratur invalide.

Resolvitur. Hinc verba in ordinatione : *Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata*, etc., dant solummodo potestatem *radicalem*, *incompletam*, *inchoatam* seu *remotam*, usque dum accesserint jurisdictio et approbatio, quibus fiet *completa*, *proxima* et *actu* exerceri poterit; uti patet in judicibus humanis, qui licet habeant omnia requisita in esse physico ad judicandum, puta scientiam, prudentiam, etc., indigent tamen adhuc jurisdictione qua ipsis assignantur subditi, et approbatione Gubernatoris.

Q. 71. *Quid* 1°) sit jurisdictio sacramentalis; 2°) quotuplex; et 3°) quinam ea *potiantur*?

R. Ad 1^{um}) Est auctoritas exsequendi potestatem ordinis sacerdotalis in alium ut subditum; seu facultas sacramentaliter absolvendi poenitentem tanquam subditum in foro interno seu conscientiae.

Explanatur. Ideo requiritur, quia absolutio est actus judicialis; jam vero, docente Trid. (Sess. XIV *de poenit.* cap. 7) : « *natura et ratio* judicii *illud exposcit, ut sententia in* subditos *dum-*

taxat feratur. » — **Nec dicas** : ergo Papa non poterit absolvi, quia nullius subest jurisdictioni. **Resp.** *Neg. seq.* Nam Papa, eligendo sibi confessarium, hoc ipso dat illi jurisdictionem in se, non ut Papam, sed ut hominem peccatorem. Quo spectat illud S. Thom. (*Suppl.* q. 8, a. 4 ad 4) : « *Sicut etiam unus* MEDICUS *ab alio curatur, non in quantum* MEDICUS, *sed in quantum* INFIRMUS. » Nec tamen ex eo sequitur, quod Papa possit etiam conferre alteri jurisdictionem in seipsum in foro *exteriori*, puta ut ipsum excommunicet : quia, ut habet S. Thom. (*Suppl.* q. 22, a. 4 ad 3, « *absolutio et ligatio in* FORO CONFESSIONIS *est quoad Deum tantum, apud quem aliquis alio superior redditur inferior per peccatum ; sed excommunicatio est in* JUDICIO EXTERIORI, *in quo aliquis non amittit superioritatem ex hoc ipso quod peccat.* »

R. Ad 2^{um}) *Duplex* distinguitur : *ordinaria* et *delegata*.

Explanatur. Prior seu **ordinaria** est, quae alicui competit ratione muneris, officii, vel beneficii cui cura animarum est annexa ; et dicitur *ordinaria ;* quia, collato officio, ordinarie censetur conferri. Posterior seu **delegata** est, quae habetur ex delegatione seu commissione, immediata vel mediata, expressa vel tacita illius, qui habet ordinariam.

R. Ad 3^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. Jurisdictionem **ordinariam** habent : *Papa* in omnes fideles ; *episcopus* in suos dioecesanos ; *parochus* in suos parochianos sed dependentem ab episcopo, qui potest ex justa causa jurisdictionem suspendere et coarctare ; *praelatus regularis* in suos subditos. — Et illi quidem qui pollent jurisdictione *ordinaria*, possunt eam exercere *ubique locorum*. Cujus ratio est : quod jurisdictio *ordinaria* magis afficiat personas quam locum, et absolutio sacramentalis sit actus jurisdictionis gratiosae, quae etiam in alieno territorio exerceri potest ; et hinc episcopi et parochi possunt, extra propriam dioecesim, absolvere fideles sibi subditos, etiam a reservatis in loco confessionis. Constat ex S. C. C. (3 Dec. 1707). — **Delegatam** jurisdictionem habent : sacerdotes saeculares et regulares, quibus independenter ab officio, dignitate aut beneficio curato datur facultas excipiendi confessiones derivata ab habente

ordinariam. Item illi sacerdotes, qui in confessarios eliguntur a certis personis quibus permittitur electio confessarii, uti v. g. ex privilegio permittitur episcopis, regibus, necnon regularibus, qui in itinere, deficiente socio idoneo, confiteri possunt cuilibet sacerdoti *idoneo*, i. e., juxta probabiliorem sententiam approbato (tom. II, pag. 349 seq.).

Q. 72. *Quomodo* acquiratur JURISDICTIO : 1°) *ordinaria*; 2°) *delegata?*

R. Ad 1^{um}) *Ordinaria* acquiritur per legitimam obtentionem beneficii, dignitatis vel officii, cui annexa est cura animarum.

Resolvitur. Unde quaecumque obstant legitimae acquisitioni beneficii, etc., ut excommunicatio, irregularitas, simonia, similiter obstant acquisitioni jurisdictionis annexae.

R. Ad 2^{um}) *Delegata* vero acquiri potest *quatuor* modis : 1°) *ab homine*; 2°) *a jure*; 3°) *ab Ecclesia supplente*; 4°) *a consuetudine approbata.*

Explanatur. Dicitur : 1°) *ab* **homine**; idque fieri potest : sive *immediate* et *expresse*, ut quando habens ordinariam, illam alteri committit verbo, scripto aut alio signo externo; sive *mediate* et *tacite*, ut si alteri licentiam concedit confessarium sibi eligendi; aut, si sciens sacerdotem sine jurisdictione audire confessiones, illum non prohibeat, cum facile possit; aut si episcopus missionarium advocet ad missionem in aliqua parochia agendam; eo enim ipso censetur illi tribuere jurisdictionem ad confessiones illic excipiendas. Non sufficit tamen licentia *interpretativa* vel prudenter *praesumpta*, quam daret Ordinarius aut certo creditur daturus, si rogaretur; nec *ratihabitio* de futuro : quia ad valorem absolutionis requiritur jurisdictio *actualis*, quae tunc non adest (tom. I, pag. 11 seq.).

Dicitur : 2°) *a* **jure**; i. e. in casibus in quibus lex vel decretum jurisdictionem concedit; et ita quilibet sacerdos, etiam suspensus vel nominatim excommunicatus, sive sit haereticus, sive schismaticus, habet jurisdictionem in quemlibet circa quaelibet peccata et censuras *in articulo* vel *morali periculo* mortis (quod ex S. Lig. (VI, 561) adesse censetur in morbo periculoso, in operatione chi-

rurgica periculosa, in partu difficili, ante longam navigationem, in praelio et similibus casibus, « *in quibus*, ut ait Bill., *probabile est aut fundate dubitatur quod iste homo, si nunc non confiteatur, morietur sine confessione*; » ita ut valide absolvat, *saltem in defectu habentis jurisdictionem*. Constat ex Trid. (Sess. XIV, cap. 7), simul rationem hujus assignante, his verbis : « *Pie admodum*, **ne hac occasione aliquis pereat,** *in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo* omnes sacerdotes *quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.* » — Dixi : **saltem in defectu habentis jurisdictionem**; nam utrum idem dicendum sit, si talis *adsit*, DD. *disputant*. — Alii **affirmant** : quia Trid. absque ulla distinctione docet, sacerdotes omnes tunc posse absolvere; et haec sententia probabilis est, quam multi et graves defendunt DD., quos inter Lug. et Daelm. Neque haec probabilitas destrui posse videtur, ex eo quod conditio adjiciatur, tum in Rit. Rom. ubi dicitur : « *Si periculum mortis immineat* approbatusque desit confessarius; » tum in Catech. Rom., ubi quoque legitur : « *Si mortis periculum imminet* et proprii sacerdotis facultas non datur. » Nam, praeterquam quod supponi nequeat haec verba a tot DD. fuisse ignorata, dici potest : tam Rit. Rom., quam Catech. Rom., docere quod est certum, non vere negare probabilitatem oppositi. Quapropter cum hic agatur non de materia sacramenti, sed de jurisdictione quam supplere potest Ecclesia, licet in praxi, praesertim accedente aliqua rationabili causa, uti hac sententia, cujus probabilitatem non negat etiam Bill. (1) — Alii cum Sylv., Bill., Suar., Steyaert, S. Lig. (VI, 562) **negant** : tum quia tunc non adest necessitas, cui tantum voluit consulere Ecclesia; tum propter auctoritatem Rit. Rom. et

(1) Imo, huic sententiae aperte favet S. C. Inq. (17 Jun. 1891 et 13 Jan. 1892) declarans : « *Non sunt inquietandi qui tenent validam esse absolutionem in articulo mortis concessam a sacerdote non approbato, etiam quando facile advocari seu adesse potuisset sacerdos approbatus; nec qui tenent validam esse absolutionem in eodem articulo mortis concessam a peccatis reservatis sive simpliciter sive cum censura per sacerdotem non habentem jurisdictionem in reservata, etiamsi advocari seu facile adesse potuisset sacerdos habens praedictam jurisdictionem.* » Ap. Rev. Théol. Franç. (I, 95 seq.). Et re quidem vera : inter illum qui adest et illum qui facile adesse potuit, vix in praxi discrimen reperitur.

Catech. Rom., *exceptis sequentibus casibus :* **A**) Si poenitens abhorreat ab habente jurisdictionem, forte inimico, vel consanguineo, vel familiari, vel minus idoneo. **B**) Si habens jurisdictionem nolit confessionem excipere, aut nequeat, seu facto, ut surdus, seu jure, ut suspensus vel complex infirmi in peccato turpi. **C**) Si supervenerit post coeptam confessionem, immo et post absolutam, si, forte invalida, sit repetenda. — Interim, qui in periculo mortis absolutus fuit a simplice sacerdote, non tenetur postea, si convaluerit, confessario habenti jurisdictionem seu approbato de novo confiteri. Qui tamen in articulo vel periculo mortis a **censura** S. Pontifici *speciali modo* reservata per sacerdotem facultate non pollentem absolutus fuerit, tenebitur ex Bull. « *Apostolicae Sedis,* » si convaluerit, **stare mandatis Ecclesiae**. Quae obligatio « *standi mandatis Ecclesiae* » importat « *onus sive per se, sive per confessarium recurrendi ad S. Pontificem ejusque mandatis obediendi, vel novam absolutionem petendi ab habente facultatem absolvendi a censuris S. Pontifici speciali modo reservatis;* » idque « *sub poena* **reincidentiae** *in easdem censuras.* » De quibus omnibus constat ex declarationibus S.C. Isq (17 Jun. 1891 ; 19 Aug. 1891 ; 16 Jan. 1892) ap. N. R. T. (XXIV, 158-171).

Dicitur : **3°**) *ab* **Ecclesia supplente**; i. e. in casibus in quibus supplet defectum jurisdictionis, ut infra videbitur.

Dicitur : **4°**) *a* **consuetudine approbata**; i. e. cui accedit consensus saltem tacitus superioris. Ita confessarius, licet pro una tantum dioecesi admissus, valide absolvit subditos alterius cujuscumque dioecesis ad se venientes, dummodo *praecise non venerint in fraudem reservationis*, i. e. ex S. Lig. (VI, 589) *principaliter* ut a suis reservatis absolvantur (tom. I, p. 151 seq.). Similiter **capellani militum**, si careant speciali delegatione S. Pontificis, possunt tamen ex consuetudine universali audire confessiones militum propriae cohortis, etiam extra dioecesim episcopi a quo jurisdictionem acceperunt, quando sunt in *itinere* et in *castris*. Non item cum in *stationibus* vel in *praesidiis* (S. C. C. 6 Mart. 1694). Quod vero **navigantes in Oceano** attinet, dicebant plures, consuetudine introductum esse, ut detur jurisdictio ab episcopo ejus loci in quo suscipitur navigatio. Et licet hunc morem, teste Kenrick,

olim non probaverit S. C. *de P. F.*, quin imo reprobaverit in Rescripto Em. Card. Praefecti hujus Congr. ad Rectorem Collegii Amer. Lovanii, hodie tamen **constat** ex S. C. Inq. (29 Mart. 1869): « *posse sacerdotes iter accipientes ab Ordinariis locorum unde naves solvunt adprobari, ita ut itinere perdurante fidelium secum navigantium confessiones* VALIDE *et* LICITE *accipere valeant, usque dum perveniant ad locum ubi alius superior ecclesiasticus jurisdictione pollens constitutus sit.* » Ap. N. R. T. (XVII, 598 seqq.) ubi simul reperies **privilegia** a SS. PP. concessa presbyteris Seminarii Parisiensis Missionum ad exteros.

Q. 73. In *quibus* casibus Ecclesia censeatur SUPPLERE *defectum* jurisdictionis?

R. 1°) *Certo* supplet, ubi intervenit *error communis* cum *titulo colorato*.

Explanatur. « Est communis sententia TT. fundata in benigna interpretatione voluntatis piae Matris Ecclesiae, quae in *communi errore* cum *titulo colorato* censetur conferre jurisdictionem ad singulos actus ob utilitatem publicam, ne scilicet innumerae animae in sua bona fide pereant aut gravissimis crucientur scrupulis et anxietatibus circa suas confessiones. » Ita Bill. Concinit S. Lig. (H. A. XVI, 90) inquiens : « Certum est apud omnes Ecclesiam supplere. » — Tunc autem adest **error communis**, quando sacerdos, qui actum jurisdictionis exercet in aliquo loco, ab omnibus vel saltem a plerisque ibi exsistentibus existimatur habere jurisdictionem, cum tamen eam non habeat ex parte rei. — Habetur autem **titulus coloratus** seu *apparens*, quando quis jurisdictionis titulum habet, sed qui est invalidus seu a parte rei non exsistit; ut est : 1°) *collatio* beneficii habentis annexam curam animarum aut 2°) *delegatio* jurisdictionis; quae utraque apparet legitima, sed revera talis non est, quia vel ab initio invalida fuit ob occultum defectum, v. g. simoniam, irregularitatem, etc., vel postea desiit esse valida ex causa superveniente.

Resolvitur 1. Hinc valide absolvit parochus occulte simoniacus, suspensus, sed qui communiter habetur ut pastor, etiamsi alibi non sit talis error. Item si jurisdictio confessarii, ad biennium concessa, occulte revocetur, sicque ex communi errore putetur

adhuc habere jurisdictionem, valide absolvit toto illo biennio. Et confessiones illis bona fide factae, cognito errore, non sunt repetendae. Interim graviter peccat, qui sciens se habere tantum titulum coloratum, nihilominus absolvit : usurpat enim jurisdictionem, quam non habet, et quam Ecclesia velut invita concedit in favorem filiorum suorum. **Resol. 2.** Contra, si non sit error communis, sed privatus, v. g. tuus tantum vel etiam paucorum, invalide absolveris : quia Ecclesia non censetur supplere, nisi ratione boni communis, ad instar gubernatoris generalis, qui ad solum bonum generale societatis attendit. **Resol 3.** Diaconus, aut quilibet alius non sacerdos, habens titulum cum communi errore populi invalide absolvit : quia defectum sacerdotii, cum sit juris divini, Ecclesia supplere non potest.

R. 2°) Utrum Ecclesia suppleat, si adsit *error communis*, etiam *sine tituto colorato* seu cum titulo *ficto* tantum, ut si *simplex sacerdos* fingat se parochum aut putetur legitimus confessarius, inter DD. *disputatur*.

Explanatur. Alii **affirmant** cum Lug., Suar. : quia eadem ratio boni communis occurrit, ne scilicet multi pereant. Et haec sententia, quam *probabilem* censet S. Lig. (VI, 572), « videtur mihi *probabilior*, » ait Bill. — Alii **negant** cum Bonac., Laym., Sanch. : quia secus sacerdotes impii hinc occasionem sumerent simulandi se esse confessarios, et errores disseminandi. Cui sententiae favet declaratio S. C. C. (11 Dec. 1685), quam refert Bened. XIV (*Instit.* 84, n. 22). **Interrogata** enim, an Capucini, qui in Patavina dioecesi confessiones saecularium exceperant sine licentia episcopi illius dioecesis, valide absolvissent, quia aliqui ex his erant in aliena dioecesi approbati, alii vero ab episcopo quidem Patavino ad annum, sed jam elapsum, **respondit** : « *Illicite et* INVALIDE *confessiones excepisse, sed non esse inquietandos illos, qui bona fide confessi sunt. Attamen si ipsi confessi hoc resciverint, vel de invaliditate confessionis dubitaverint, eosdem teneri reiterare confessionem.* » — In hoc ergo omnes convenire debent : non esse obligandos fideles ad repetendas confessiones bona fide factas apud sacerdotem qui ex communi errore reputabatur confessarius.

R. 3°) *Probabilius* supplet *in jurisdictione dubia* vel *probabili*.

Explanatur. *Non licet* tamen absolvere cum jurisdictione **dubia,** v. g. cum dubitatur an jurisdictio revera a superiore concessa fuerit, an perduret, etc. nisi *sub conditione* et adsit *necessitas*, qualis est, si urgeret praeceptum annuae confessionis ; si poenitens deberet communicare vel celebrare, et alias infamiae notam incurreret ; si deberet complicem patefacere alium adeundo, vel secus remanere in mortali ; item si confessarius timeret ne secus poenitens apud alium sacrilege confiteretur, etc. — *Licet* vero, ex communi DD., absolvere cum jurisdictione **probabili** probabilitate juris, ut si confessarius sequitur opinionem solide probabilem DD. sentientium, ipsum habere jurisdictionem absolvendi ab hoc vel illo reservato in tali vel tali casu, etc. Ratio est : quia haec est consuetudo et praxis communis confessariorum ; jurisdictio autem secundum jura acquiritur consuetudine seu consuetudo est signum jurisdictionis acquisitae. — **Nec obstat** prop. damn. ab Innoc. XI (tom. I, pag. 97) : quia loquitur de opinionibus circa ea, in quibus nil potest Ecclesia, ut circa materiam et formam sacramentorum ; sed circa jurisdictionem supplere quidem potest Ecclesia, et praesumitur eam certe supplere in casu, cum haec communis persuasio sit saltem error communis cum titulo colorato, nempe auctoritate Ecclesiae per communem praxim satis nobis explicata. — Ad id tamen plures requirunt aliquam rationabilem causam cum S. Lig. (VI, 573 ; alii cum Suarez (*de poenit.* disp. XXVI, sect. 6) hoc minime exigunt : quorum sententia ex Lug., Mazz., aliis, est tuta et moraliter certa.

Q. 74. *Quid* 1°) sit approbatio ; 2°) *quotuplex* distinguatur ; 3°) an sit *necessaria* ; 4°) *cujusnam* episcopi requiratur ; 5°) an possit *denegari, limitari* et *revocari ;* 6°) quomodo *exspiret?*

R. Ad 1^{um}) Communius definitur : « *Ordinarii de alicujus sacerdotis, ad audiendas confessiones, idoneitate judicium* »

Explanatur. *Approbatio* sic definita est actus intellectus. Unde exsistere potest absque actu voluntatis quo conferatur jurisdictio ;

nec ad concedendam approbationem requiritur essentialiter examen, cum judicium prudens absque examine haberi possit; sed sufficit quod constet aliquo modo de subjecti idoneitate.— Dixi : **communius**; nam juxta plures, *approbatio* ultra judicium importat actum voluntatis, scilicet consensum, permissionem et licentiam episcopi ut is, quem judicat idoneum, vel habeat jurisdictionem, vel illa aliunde habita utatur. « Et id mihi *probabilius* est » ait Bill. Nec infundate quidem : tum quia Conc. Trid. in verbis allatis (p. 301) ut duo *diversa* ponit judicium et approbationem, inquiens : *nisi idoneus et judicetur et approbationem, quae gratis detur, obtineat* : tum quia in jure canonico et bullis pontificiis approbatio saepe vocatur *licentia*, ut in Clement. « *Dudum* » de sepult.; Extrav. « *Inter cunctae;* » Bull. Clem. X « *Superna.* » Quidquid sit, ex actuali consuetudine, episcopi quando approbant sacerdotes saeculares, et praecipue cum aliquem mittunt ad excipiendas confessiones in certo loco, jurisdictionem simul cum approbatione conferunt, nisi aliud exprimant. Quare in praxi post Trid., quoad sacerdotes *saeculares*, approbare et jurisdictionem dare delegatam idem sunt. — Dixi : *quoad sacerdotes* saeculares; nam quod *regulares* attinet, idem dici nequit, ut patebit ex infra dicendis.

R. Ad 2^{um}) *Duplex* distinguitur.

Explanatur. Alia est **expressa,** quae datur verbo vel scripto : alia est **implicita** seu **tacita,** quae datur ipso facto vel facti conniventia, cujusmodi est approbatio eorum quibus beneficium parochiale conceditur juxta dicta superius (pag. 301), et regularium praesentatorum Episcopo et admissorum sine praesentiali sistentia et examine jam ante approbationem in scripto datam.

R. Ad 3^{um}) Ad *valide* suscipiendas confessiones *saecularium* omnino necessaria est approbatio episcopi.

Explanatur. Constat ex decreto Trid. supra (p. 301) allato. Item ex duabus prop. damn. ab Alex.VII, tum sub n. 13 : « Satisfacit *praecepto annuae confessionis, qui confitetur regulari Episcopo praesentato, sed ab eo injuste* reprobato; » tum sub n. 16 : « *Qui beneficium curatum habent possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab Ordinario.* » Haecque

approbatio necessaria est nedum pro absolutione mortalium, sed etiam venialium et mortalium jam antea confessorum, uti constat ex decreto Innoc. XI (12 Febr. 1679), quo praecipit Ordinariis « *ne permittant, ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab Episcopo aut Ordinario.* » Nomine autem *episcopi* in decreto Trid. intelliguntur non solum episcopi dioecesani, sed etiam omnes qui habent jurisdictionem episcopalem, ut vicarii apostolici, capitula, sede vacante, eorumque vicarii. Non vero intelliguntur superiores regulares, qui adeo sacerdotes suos ad audiendas confessiones saecularium approbare nequeunt, nisi habeant proprium territorium, in quo ex privilegio Papae exerceant jurisdictionem episcopalem privative ad episcopos, uti abbates *nullius dioecesis.*

R. Ad 4^{um}) Ad audiendas confessiones saecularium requiritur et sufficit approbatio episcopi loci ubi confessiones excipiuntur.

Explanatur. Haec sententia, quam « *veritati magis consentaneam* » vocat Bened. XIV (*Inst.* 84, n. 16), « hodie est omnino tenenda » ait S. Lig. (VI, 548). Constat ex Innoc. XII Const. « *Cum sicut* » (19 April. 1700), ubi declarat confessarios tam saeculares quam regulares, quicumque illi sint, nullatenus posse audire poenitentes sine approbatione episcopi loci « *in quo ipsi poenitentes degunt et confessarios eligunt;* » alias confessiones fore invalidas et confessarios suspensos. Quam Constitutionem confirmavit Bened. XIV Bull. « *Apostolica indulta* » (3 April. 1744). — Dixi: *requiritur* **et sufficit**; unde non requiritur approbatio ab episcopo ipsius confessarii, ut hic in aliena dioecesi approbatus confessiones excipere valeat; nec requiritur etiam approbatio ab episcopo ipsius poenitentis, ut hic in aliena dioecesi absolvi possit ab approbatis ibidem.

Resolvitur 1. Quod in sacerdotes regulares decernit Clem. X Const. « *Superna* » (21 Jun. 1670) inquiens : « Religiosos *ab episcopo ad confessiones saecularium in sua dioecesi audiendas approbatos, non posse in alia dioecesi eos absque episcopi dioecesani approbatione audire, quamvis poenitentes subditi sint ejus episcopi a quo religiosi jam fuerunt approbati ;* » id quidem, docente Bened. XIV (*Instit.* 86, n. 7) « *multo magis de sacerdotibus* saecularibus *statuendum est,* » ut adeo extra dioecesim, in qua appro-

bati sunt, nulla gaudeant potestate absolvendi, nequidem in subditos loci aut dioecesis pro qua approbati sunt, excepto mortis periculo. **Resol. 2.** Qui habet beneficium parochiale, **de jure** non censetur approbatus extra territorium beneficii sui. Quare parochus vocatus a parocho alienae dioecesis non potest in hujus parochia, sine approbatione Ordinarii loci confessiones alienorum subditorum excipere. Constat ex S. C. C. (3 Dec. 1707) apud Bened. XIV (*Inst.* 86, n. 7), ubi ad **quaesitum** : « *An curati unius dioecesis vocati a parochis alienae dioecesis possint in ista audire confessiones, tam suorum subditorum, quam alienorum, absque licentia episcopi?* » **responsum** fuit : « Affirmative *quoad subditos*; negative *quoad alios.* » Imo, possidens beneficium pastorale nequit de jure in aliis dioecesis partibus confessiones audire, ut constat ex S. C. C., quae teste Bened. XIV (*ibid.* n. 4) ad **petitum** : « *An provisus de parochiali per concursum censendus sit approbatus idoneus minister ad audiendas confessiones in illa dioecesi in qua illam parochialem obtinet?* » ita **respondit** : « *Censeri dumtaxat in ea civitate vel oppido, ubi sita est parochialis, non autem passim per totam dioecesim.* » — Dixi : **de jure**; nam secus dicendum, si in utroque casu constaret de episcopi loci consensu expresso vel tacito. Sic consuetudine multis in locis receptum est, ut in confinibus diversarum dioecesium parochi accersant vicinos alterius dioecesis parochos, ut opem sibi ferant in confessionibus excipiendis; quae consuetudo, si nota sit episcopis, jurisdictionem confert ex *tacita* episcoporum approbatione (1). Similiter multis in

(1) Quocirca Em. Card. P. L. Goossens, Arch. Mechl. in suis litteris (7 Jan. 1890) expresse declaravit : « Ad majorem confessariorum in confiniis diversarum dioecesium laborantium commoditatem, praesentium tenore RR. DD. Parochis, Rectoribus et Vicariis dioecesium *Gandaven. Tornacen. Namurcen.* qui in locis harumce dioecesium nostrae dioecesi Mechliniensi proxime finitimis pastorale ministerium obeunt, licentiam concedimus confessiones audiendi et verbum divinum praedicandi in nostrae dioecesis paroeciis propriae suae paroeciae contiguis, cum facultate circa reservata quae respective Parochis, Rectoribus et Vicariis apud nos competit. — Vice versa, talis ab Ordinariis praefatarum dioecesium facultas impertitur Parochis, Rectoribus et Vicariis dioecesis *Mechliniensis*, qua juxta eumdem sensum in extera quaque vicina parochia uti possint. — Quod spectat ad dioecesim *Leodiensem*,

locis, uti in dioecesi Mechl., parochi pro tota dioecesi et approbationem et jurisdictionem habent. Quod solet etiam exprimi in litteris approbationis et jurisdictionis quae dantur simplicibus sacerdotibus.

R. Ad 5^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel loquimur de **validitate,** vel de **liceitate**. —Si **primum** : episcopus potest *valide*, etiam *sine causa*, DENEGARE, LIMITARE aut REVOCARE approbationem. Est enim actus qui dependet a voluntate episcopi et superioris. Constat ex prop. damn. ab ALEX. VII sub n.13 (pag.309).—Si **secundum** : non potest *licite*, absque *causa*, DENEGARE aut RESTRINGERE approbationem; multo minus sine causa REVOCARE concessam, siquidem ex effato « *turpius ejicitur, quam non admittitur hospes.* » Ratio est : quia episcopus uti tenetur sua potestate ad majorem fidelium et sacerdotum utilitatem.

Resolvitur 1. Nequeunt episcopi citra injustitiae peccatum alicui, maxime *Regulari*, legitime praesentato et idonco reperto, *denegare* approbationem sine justa causa : quandoquidem approbatio non sit mera gratia seu privilegium ex libera concedentis voluntate dependens, sed auctoritativa declaratio hunc esse idoneum, cui jurisdictio ad confessiones audiendas conferatur, quod testimonium dignis repertis de jure debetur, praesertim *Regularibus* jurisdictionem ex Summo Pontifice adeptis sub conditione idoneitatis ab Episcopo judicatae. **Resol. 2.** Potest Episcopus dare approbationem, etiam Regularibus, cum limitatione ad certam temporis *durationem*, *locum* aut *genus* personarum. Constat ex Const. CLEM. X « *Superna* » et BENED. XIII « *Pastoralis officii.* » Item ex ALEX. VII, qui, teste BENED. XIV (*Inst* 86, n. 9), tanquam falsam, temerariam pravamque proscripsit (30 Jan. 1659) sequentem propositionem : « *Non possunt Episcopi limitare seu restringere*

quum juxta statuta illius dioecesis Ordinarius Leodiensis in simili casu concedat jurisdictionem dioecesis nostrae confessariis non tantum proxime finitimis seu paroeciae Leodiensi contiguis, sed etiam e vicina ad duas leucas exsistentibus : Nos quoque in iisdem circumstantiis dioecesis Leodiensis confessariis, nostrae dioecesis parochiis ad duas leucas vicinis, facultatem concedimus verbum Dei annuntiandi et confessiones fidelium excipiendi, cum facultate circa reservata quae respective Parochis, Rectoribus et Vicariis apud nos competit. »

approbationes quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas neque ulla ex parte revocare. » **Resol. 3.** Episcopus, ex justa causa, sicut potest approbationem **revocare**, sic pariter potest tam intra quam extra visitationem, **ad examen revocare** omnes confessarios, etiam parochos, quamvis regulares. Constat ex variis declarationibus S. C. C., quas citat Bened. XIV (*Instit.* IX, n. 16); ubi et observat quod, si agatur de pastoribus qui a Decessoribus praepositi fuerunt, causa sufficiens novi examinis ex S. Rota sit *libitum et sola quies conscientiae Episcopi;* si vero agatur de parochis ab eodem Episcopo jam examinatis, pro novo examine faciendo jam sola conscientiae sedandae ratio non sufficiat, sed ex S. C. C. (22 Sept. 1668) requiratur, ut adsit « *vehemens suspicio de illorum imperitia,* » quamvis interim ad dictum examen faciendum haud necesse sit, « *ut judiciales probationes imperitiae praecedant.* » **Resol. 4.** Cum sacerdotes **saeculares** dependeant immediate a jurisdictione ordinaria Episcopi, cui succedit capitulum, « *gaudet consequenter* vicarius capitularis *plena potestate limitandi eorum facultatem, eosque etiam suspendendi ab audiendis confessionibus, vel ob graves culpas spectantes ad sacram. poenit., vel ob defectum illius doctrinae, honestatis et integritatis vitae, quae requiritur in sacris ministris. Idem dici non potest de confessariis* **regularibus**; *quin imo cum isti approbati fuerint praevio examine et sine temporis limite vel etiam* ad beneplacitum nostrum *ab Episcopo defuncto, non potest* capitulum, *neque* vicarius capitularis *eos punire poena suspensionis, etiam ob justas rationes, cum hoc sit jus personale Episcopi, cui secundum communiorem sententiam DD. non succedit* capitulum, *sede vacante. Cum vero ex hoc potestatis defectu gravia inconvenientia producerentur, recurrendum est ad S. C.* » Ita S. C. EE. et RR. (19 Jun. 1866). **Resol. 5.** Clausulae : *de consensu quorum interest, de licentia parochorum,* et similes, quae quandoque in litteris approbationis apponuntur, non sunt **limitativae** approbationis, quasi absolutio data sine consensu parochorum foret invalida; sed tantum sunt **modales** seu **designativae** modi quo congruit ministerium exerceri, ita ut consensus parochi tantum requiratur ut approbatus licite sacramentum administret in ejus ecclesia. Imo, teste S. Lig. (VI, 564), ex S. C. EE. (3 April. 1584), « *Decretum Episcopi in quo habetur quod nullus confessarius possit*

TEMPORE PASCHALI *confessiones alicujus audire* SINE LICENTIA PROPRII CURATI, *nullo modo est observandum, cum satis valide faciat poenitens deferendo parocho fidem confessionis auditae a persona approbata.*

R. Ad 6^{um}) Approbatio exspirat *quadruplici* de causa.

Explanatur. Exspirat : 1°) Per **amissionem** beneficii seu officii, cui erat annexa : destructo enim principali, corruit accessorium; et hinc parochus amittens parochiam non potest amplius valide absolvere, nisi alias approbetur ab Episcopo. 2°) Per **lapsum temporis** pro quo fuit concessa. 3°) Per **revocationem** hancque notificatam : per quas enim causas res nascitur, per easdem solvitur. 4°) Per **excommunicationem** et **suspensionem** *in vitando*, extra casum necessitatis, aut nisi error communis cum titulo colorato aut etiam probabiliter sine eo suppleat jurisdictionem; unde si *vitandus* non sit, impeditur tantum licitus jurisdictionis usus.

Resolvitur. Approbatio seu jurisdictio delegata non exspirat **per mortem** aut amotionem Episcopi vel alterius qui eam concessit, idque probat generalis praxis et regula generalis, quod gratiae factae non exspirent finita jurisdictione concedentis. Deinde salus fidelium nimiis periculis exponeretur si, moriente Episcopo, omnes habentes jurisdictionem delegatam simul ea privarentur. « Si vero delegatio fuit *in particulari*, ait S. Lig. (VI, 559), scilicet de audienda alicujus tantum confessione, recte Salm... tenent, quod exspiret morte concedentis, nisi confessio jam fuerit incoepta. »

Q. 75. A *quonam* JURISDICTIONEM et APPROBATIONEM accipiant *Regulares ?*

R. *Jurisdictionem* accipiunt immediate a Papa. *Approbationem* vero, qua hac jurisdictione uti valeant, accipiunt a SUPERIORIBUS sui Ordinis pro confessionibus *suorum*, et ab EPISCOPO LOCI, ubi confessiones excipiendae sunt, pro confessionibus *saecularium*.

Explanatur. Dixi : **suorum**; quo nomine intelliguntur : 1°) Religiosi *masculi* sui Ordinis, non vero moniales ejusdem Ordinis, pro quibus semper specialis requiritur Episcopi approbatio.

2°) Illi saeculares, qui sunt *quasi de familia*, i. e. qui continui commensales diu noctuque in domo commorantur, ut v. g. famuli, qui familiae quasi incorporantur. 3°) Probabilius etiam *alumni convictores*, qui pecuniam tribuunt ut, ibi commorantes, victum, doctrinam et educationem a magistris accipiant, cum actu habeant omnimodam dependentiam a Regularibus. Immo de hoc non videtur dubitandum : cum enim privilegium familiaritatis pro ipsorum *convictoribus alumnis* competat pluribus Ordinibus regularibus, uti Benedictinis, Theatinis, Somaschis, etc., illud quoque ex communicatione privilegiorum ceteris competere dicendum est. Decretum vero S. C. *EE. et RR.* (21 Junii 1848), quod dicunt huic doctrinae adversari, non est ad rem : nam ibi lis non erat de excipiendis alumnorum confessionibus sine Episcopi approbatione, sed de juribus parochi in causa mortis.

Q. 76. *Quid* in specie dicendum de Episcopi APPROBATIONE, qua indigent *regulares* quoad *saecularium* confessiones?

R. Ex variis decretis RR. PP. et SS. CC. sequentia sunt notanda.

Explanatur. Imprimis **Nota** : 1°) Quamvis regulares jurisdictionem immediate accipiant a Papa, mediante, quoad *saecularium* confessiones, Episcoporum approbatione, qua deficiente, cessat et papalis delegatio; nihil tamen impedit, quominus Episcopus loci, eos approbando pro *saecularium* confessionibus, simul ipsis tribuat suam episcopalem jurisdictionem : non enim repugnat, quod regulares jurisdictionem ex *duplici fonte* accipere valeant. Et in hoc casu, regularis, contra voluntatem sui superioris confessiones *saecularium* audiens, peccaret quidem contra obedientiam, mortaliter vel venialiter, prout superior scitur graviter vel leviter invitus; ast *valide* absolveret episcopo subjectos : quia et jurisdictionem et approbationem in subditos episcopi haberet. Constat ex S. C. *EE.* et *RR.* (2 Mart. 1866). — **Nota** : 2°) Approbationem regularibus, qui idonei sunt, denegare nequit episcopus; illam tamen non nisi iis qui in praevio examine idonei reperti sunt, concedere tenetur. Ex Bened. XIV, Const. « *Apostolicum ministerium* » § 7 (30 Maii 1753).—**Nota** : 3°) Regulares idonei generaliter reperti, ab episcopo generaliter quoque et illimitate quoad tempus, locum, personas, in

dioecesi propria sunt admittendi. Secus dicendum, si non adeo idonei reperti fuerint. Ex Clem. X Const. « *Superna.* » Nequit tamen episcopus prohibere, quominus approbati confessiones tempore paschali excipiant. Ex S. C. C. (22 Sept. 1668). Nec potest addere clausulam de non excipiendis confessionibus *infirmorum* in eorum domibus, priusquam certioretur parochus. De confessione tamen tenetur parochum illico certiorem reddere regularis saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam. Ex Clem. X Const. «*Superna.*» — **Nota** : 4°) Approbationem *usque ad revocationem* vel *ad beneplacitum* concessam revocare potest episcopus, quandocumque voluerit, S. C. C. (17 Jan. 1634); concessam vero *ad tempus* revocare nequit ante tempus elapsum, nisi adsit causa rationabilis ad ipsam confessionem pertinens : v. g. ex Const. Clem. X, si regularis cum scandalo aut alias inhoneste vivat, vel aliquod delictum committat, propter quod rationabili episcopi judicio videatur a confessionibus suspendendus. *Elapso* autem *tempore*, ad quod concessa fuerat, episcopus iterum examini regularem subjicere potest, priusquam jurisdictionem proroget. Ex Bened. XIV Const. « *Apost. minist.* » § 9. Sine gravi tamen causa, prorogatio denegari nequit, ut sequitur ex Nota 2. — **Nota** : 5°) Simpliciter seu generaliter concessam ab Antecessore vel a Vicario generali revocare potest episcopus. Ex S. C. *EE. et RR.* (11 Apr. 1698). Idem dicendum, si hujusmodi approbatio ab ipsomet episcopo absque praevio examine concessa sit. Ex S. C. *EE. et RR.* (31 Jul. 1615). Si vero praevio examine simpliciter et illimitate concessa sit, episcopus nequit eam revocare, nisi ex nova causa eaque ad confessionem pertinente, aut ob non servatum interdictum ab ipso Ordinario positum. Ex S. C. *EE. et RR.* (20 Nov. 1615) et Clem. X Const. « *Superna.* » Utrum id quoque possit *vicarius capitularis*, liquet ex dictis supra (p. 313). — **Nota** : 6°) Nequit episcopus confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus regularibus confessariis, inconsulta Sede Apostolica, adimere. Ex Clem. X Const. « *Superna.* » Quod confirmatur decisione S. C. *EE.* et *RR.* (15 Febr. 1896) ap. N. R. T. (XXVIII, 642). Excipiuntur tamen episcopi regionum longe ab Urbe dissitarum, ubi gravissima subsistat causa. Ex Innoc. XII Const. « *Cum sicut accepimus.* » (19 Apr. 1700). — **Nota** :

7°) Quantumvis injusta sit approbationis revocatio ab episcopo facta, regulares eidem stare tenentur. Constat ex prop. damnata ab ALEX. VII sub n. 13 (pag. 309).

Q. 77. A *quonam* jurisdictionem et approbationem accipiant RELIGIOSI *improprie dicti?*

R. Per se loquendo, cum ipsi ab episcopo loci plane dependeant (tom. II, pag. 353 seq.), ab eo jurisdictionem et approbationem accipiunt; qua jurisdictione uti nequeunt nisi intra limites suae approbationis, cum sub hoc respectu confessariis saecularibus aequiparentur.

Explanatur. Dixi : **per se loquendo**; secus enim dicendum pro iis votorum simplicium Congregationibus, quae privilegio exemptionis a jurisdictione episcoporum nominatim donatae sunt. Quo casu quae supra de jurisdictione et approbatione regularium dicta sunt, hujusmodi quoque religiosorum familiis applicari posse videntur, uti colligitur ex declaratione S. C. *EE. et RR.* (25 Sept. 1881) pro Congregatione Missionis.

Q. 78. *Cuinam* CONFITERI possint : 1°) *regulares;* 2°) *moniales?*

R. Ad 1^um^) *Sub conditione.*

Explanatur. 1°) Regulares, **in monasterio** degentes, non possunt confiteri, saltem ordinarie, extra Ordinem suum, sine consensu superiorum suorum; imo nec, in monasterio, alteri quam designato ab ipso superiore.— Dixi : *saltem ordinarie;* nam tempore jubilaei, uti concedi solet in Bullis pontificiis, regulares possunt confessionem explere apud quemcumque sacerdotem approbatum ab Ordinario, etiam saecularem (S. LIG. VI, 536). — 2°) Degentes vero **extra monasterium** seu *iter facientes*, non possunt confiteri nisi socio, si quem idoneum habeant; si vero non habeant, confiteri possunt cuilibet sacerdoti idoneo, sive regulari sive saeculari, modo sit approbatus juxta dicta (tom. II, p. 349 seq.). — 3°) Religiosi **suppressorum conventuum**, qui hac de causa *in communitate non vivunt*, possunt sibi eligere in confessarium quemcumque presbyterum, sive ex clero saeculari, sive ex clero regulari, « *dummodo sit ex approbatis ad excipiendas con-*

fessiones ab Ordinario loci. » Si vero, eo meliori modo quo fieri poterit, *in communitate vivunt*, iis « *S. S. benigne tribuit indultum eligendi sibi quemcumque confessarium, ut supra, dummodo in ea non habeantur saltem quatuor confessarii proprii Ordinis.* » Ita S. C. *EE. et RR.* (3 Jul. 1862). — 4°) Regulares *etiam ad tempus* **saecularizati** « *debent exomologesim suam facere penes confessarios approbatos ab Ordinario loci, a quibus in actu sacramentalis confessionis absolvi poterunt etiam a censuris et casibus reservatis in Ordine, si in dioecesi reservati minime sint.* » Ita S. C. *EE. et RR.* (27 Aug. 1852).

R. Ad 2^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel agitur de monialibus **proprie**, vel **improprie** dictis.

Si **primum** : seu quod attinet moniales **proprie** dictas, i. e. rigorosam clausuram observantes, licet sint a jurisdictione episcopi loci exemptae et regularibus sui Ordinis subjectae, si tamen *degant in monasterio*, confiteri, *extra tempus jubilaei*, non possunt sub poena invaliditatis, nisi sacerdoti, sive regulari sive saeculari, qui ab episcopo loci sit *specialiter* pro ipsis approbatus; sive sit confessarius *ordinarius*, sive *extraordinarius*. Constat ex Greg. XV Const. « *Inscrutabili* » (5 Febr. 1622) et Clem. X Const. « *Superna* » (21 Jul. 1670). Et hac episcopi approbatione vel ipsi superiores Ordinum indigent ex S. C. C. (13 Nov. 1637, ap. Ferr.). Imo, confessarius approbatus pro uno monasterio, non potest valide excipere confessiones monialium claustralium alterius monasterii, nisi *in genere pro monialibus* fuerit approbatus. Constat ex Const. « *Inscrutabili* » Greg. XV. — Dixi : 1°) **si degant in monasterio**; nam quae *extra monasterium versantur*, v. g. valetudinis causa, quovis confessario non specialiter approbato pro monialibus uti possunt ex S. C. *EE. et RR.* (27 Aug. 1852). — Dixi 2°) : **extra tempus jubilaei**; nam eo tempore possunt sibi eligere confessarium quemcumque ad excipiendas monialium confessiones ab Ordinario loci approbatum sive in genere, sive pro aliquo monasterio dioecesis illius. Constat ex Bened. XIV Const. « *Benedictus Deus* » (25 Dec. 1750) et « *Celebrationem* » (1 Jan. 1751). — Dixi 3° : *sive sit confessarius* **ordinarius** *sive* **extraordinarius**;

quocirca imprimis **notandum** est : episcopos aliosque monialium superiores teneri monialibus sibi subjectis exhibere, praeter confessarium *ordinarium :* **A**) *bis* vel *ter* in anno confessarium *extraordinarium*, cui illae saltem se praesentare debent ad audienda salutaria monita, uti constat ex Trid. (Sess. 25 *de Regul.* cap. 10); Clem. XI Edict. « *Avendo determinato* » (12 Dec. 1708) et Bened. XIV Const. « *Pastoralis curae* » (5 Aug 1748); **B**) confessarium *particularem* extra ordinem tum in articulo mortis, si petant, tum aliquando in vita, pro certis saltem vicibus, si monialis recuset confiteri confessario ordinario, uti constat ex Bened. XIV, Const. « *Pastoralis curae.* » Imo **C**) etiam monialibus quae neque aegrotant neque recusant ordinarium Poenitentiae ministrum a monasterii Praelato pro universa communitate deputatum, ex celebri decreto « *Quaemadmodum* » S. C. *EE.* et *RR.*, jussu Leon. XIII edito (17 Dec. 1890), de quo supra (p. 86 seqq.), confessarius *extraordinarius* seu *adjunctus* concedendus est a superioribus : « *Quoties, ut propriae conscientiae consulant, ad id subditi* **adigantur**, *quin iidem superiores ullo modo petitionis rationem inquirant aut aegre id ferre demonstrent. Ac ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur* [Leo XIII], *ut in locis propriae dioeceseos, in quibus mulierum communitates exsistunt, idoneos sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro sacramento Poenitentiae recurrere eae facile queant.* » — In quam Pontificiam Ordinationem, ut melius intelligatur, animadvertimus sequentia : nomine quidem *superioris*, cujus est subditis concedere in casu confessarium extraordinarium, hic intelligitur, non quidem ipse qui ordinarium confessarium deputavit, sed superior localis seu, aliis verbis, « *qui domui praecst, sive vir sit, sive foemina* » — « *tenenturque subditi precibus* **semper** *indulgere, quamvis plane videat necessitatem esse fictam et vel scrupulis vel alio mentis defectu ut veram ab ipso petenti apprehensam,* » — « *sed subditi moneantur non posse extraordinarios confessarios petere, nisi ad id adigantur, ut propriae conscientiae consulant,* » (S. C. *EE.* et *RR.* 17 Aug 1891, ap. N. R. T. XXIV, 260 seqq.), adeoque exceptio intelligitur « *pro casibus duntaxat verae et absolutae necessitatis, quoties ad id adigantur,* » ut expresse declaravit eadem S. C. *EE. et RR.* (1 Febr. 1892) ap. N. R. T. (XXIV,

366 seq.), et consequenter non si rationibus « *haud probandis* aut *futilibus* » ductae fuerint (*ibid.*). — Unde quoque « *confessarii adjuncti, si quando cognoscunt non esse probabilem causam ad ipsos recurrendi, tenentur in conscientia ad declinandam confessionum sororum auditionem* » — et « *si quaedam sorores, imo, quod pejus est, major pars illarum constanter ad aliquem e confessariis adjunctis recurrant, non debet episcopus silere sed potius intervenire,* » — monendo moniales et sorores « *dispositionem Art. IV Decreti* Quemadmodum *exceptionem tantum legi communi constituere pro casibus dumtaxat verae et absolutae necessitatis, quoties ad id adigantur.* » (ibid.) — Denique, inter diversos confessarios ab Ordinario deputatos pro confessione monialium, unum eligere, id pertinet non quidem ad superiorem, sed ad subditum petentem, ut constat ex S. C. *EE.* et *RR.* (17 Aug. 1891) ap. N. R. T. (*l. c.*)

Praeterea **notanda** sunt sequentia. « *Unus* » tantum confessarius *ordinarius* pro quolibet monasterio est deputandus, qui « *saltem singulis trienniis est immutandus,* » ex S. C. *EE. et RR.* (26 Nov. 1602 et 10 Mart. 1634). Aliquando tamen, teste Bizzari, « *S. C. in casibus particularibus confirmationem indulget ad secundum ac etiam ad tertium triennium, ea tamen conditione, ut pro confirmatione ad* SECUNDUM TRIENNIUM *consensus duarum ex tribus partibus monialium concurrat; et pro confirmatione ad* TERTIUM TRIENNIUM, *omnium consensus accedat.* » Quo autem tempore *extraordinarius* confessor alicui communitati deputatus, ministerio suo fungitur, *ordinarius* non potest exercere suum ministerium neque accedere ad monasterium ex Bened. XIV Const. « *Pastorali curae.* » Praeterea « confessarius EXTRAORDINARIUS *regularis* finito suo munere nequit amplius accedere ad monasterium sine necessaria venia, quia remanet subjectus prohibitioni et poenis statutis contra regulares, ut alii omnes regulares. Declarat vero S. S. hanc prohibitionem non comprehendere presbyteros *saeculares,* et ideo etiam post expletum munus confessarii *extraordinarii* possunt, uti ante, pergere ad monasteria, quia in hac parte nova Const. (Bened. XIV, *Past. curae*) nihil innovavit quoad presbyteros *saeculares.* » Ita S. C. *EE. et RR.* (Jan. 1749).

Si **secundum** : seu quod moniales **improprie** dictas attinet, omnia, ad confessiones hujusmodi monialium valide ac licite exci-

piendas spectantia, ab episcopis pendent; qui, saltem communiter, sibi reservare solent specialem approbationem pro monialibus, ut constat ex litteris quibus approbatio confertur; in iis enim dicitur: *exceptis monialibus*, aut, *etiam monialibus non exceptis*. Quod autem Bened. XIV, Const. « *Past. cur.* » enixe hortatus fuerat episcopos, ut scilicet ad quaslibet feminarum communitates extenderent leges Conc. Trid. circa confessarios *extraordinarios* monialium, ad hoc quidem et ulteriora jam hodie episcopi adstringuntur ex decreto « *Quaemadmodum* » mox citato (pag. 319), ubi sub n. IV statuitur : « *Praeterea, firmo remanente quoad confessarios* ordinarios *et* extraordinarios *Communitatum quod a* s. c. Trid. *praescribitur in Sess. 25, c. 10 de Reg. et a* s. m. Bened. XIV *statuitur in Const. quae incipit* Pastoralis curae, *Sanctitas Sua Praesules Superioresque admonet, ne* extraordinarium *denegent subditis confessarium*, quoties ut propriae conscientiae consulant ad id subditi adigantur, *quin iidem Superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre id ferre demonstrent. Ac ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriae dioeceseos, in quibus mulierum communitates exsistunt,* idoneos sacerdotes facultatibus instructos designent, *ad quos pro Sacramento Poenitentiae recurrere eae facile queant.* »

CAP. 2. De restrictione jurisdictionis seu de casuum reservatione.

Q. 79. *Quid* 1°) sit reservatio casuum ; 2°) *quotuplex* distinguatur ; 3°) *quaenam* sint causae seu fines reservationis, et 4°) *qualis* sit interpretationis ?

Praenotandum. Dari in Ecclesia potestatem reservandi peccata, etiam in foro *interno* seu coram Deo, **dogma catholicum** est quod, — ut notat Bened. XIV (*de Syn.* V, 4), contra Waldenses et Lutheranos, contendentes reservationem non valere nisi in foro *externo* seu *externa*, ut aiunt, *politia*, — stabilivit Trid. (Sess. XIV *de poenit.*), ubi (cap. 7) catholicam doctrinam exposuit, et (can. 11) contrarium sentientes anathemate percussit, inquiens : « *Si quis dixerit, episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad*

externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit. » Postea reservationem casuum suggillare non est verita Syn. Pistor. in duabus propositionibus sub nn. 44 et 45; quae idcirco damnatae fuerunt a Pio VI, Bull. « *Auctorem fidei.* »

R. Ad 1um) Ex S. Thom. (*Suppl.* q. 20, a. 2) RESERVATIO est restrictio seu limitatio jurisdictionis in ordine ad absolutionem certorum peccatorum. Unde *casus reservatus* est peccatum, a quo inferior confessarius absolvere non potest defectu jurisdictionis.

R. Ad 2um) *Triplex* distinguitur RESERVATIO : *papalis*, *episcopalis* et *regularis*, prout fit : vel a Papa pro universa Ecclesia; vel ab Episcopo pro sua dioecesi; vel a Praelato regulari pro suis subditis.

R. Ad 3um) FINIS seu CAUSA reservandi ex Sass. et Bill. est *duplex* : « *prima*, ut difficultate absolutionis et erubescentiae comparendi coram superiore peccata praeterita puniantur et futura caveantur; *secunda*, ut morbi graviores peritioribus medicis, quales supponuntur esse superiores, curandi reserventur. »

Resolvitur. Igitur ex S. Lig. (H. A. XVI, 128) « **finis** reservationis est *non solum* ut fideles avertantur a reservatis, *sed etiam* (ut dicunt Fagnanus et alii) ut prolapsi convenientes recipiant poenitentias, admonitiones et remedia quae non conveniunt ab aliis applicari, quam a superioribus, qui semper existimantur prudentiores et magis idonei, sicut exprimitur in Trid. *loc. cit.* : *Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur.* Ex quo deducitur evidenter, addit S. Doctor, quod etiam in ignorantibus non cessat finis adaequatus reservationis. » Sed de hac quaestione infra latius.

R. Ad 4um) Est *strictae* INTERPRETATIONIS : quia reservatio est lex *odiosa*, siquidem et confessario adimit jurisdictionem, et poenitentem cogit superiorem adire.

Scholion. Cum hodiedum episcopi vicepastoribus perinde ac

aliis confessariis simul cum approbatione conferant jurisdictionem, nisi aliter exprimant (pag. 309); hinc ad quaestionem : *num* **parochus** *possit sibi reservare casus, prohibendo vicario aut simplici confessario, ne ab iis absolvat?* dicendum est, parochum in iis circumstantiis id facere non posse, cum acceptam ab episcopo jurisdictionem restringere non possit. — Si vero ventilata quaestio spectetur independenter ab usu hodierno, plerique DD. sustinent cum Sylv., Bill., Suar., Sass., Lug., parochum, si alium ab episcopo approbatum sacerdotem delegaret, posse sibi reservare per se et speculative loquendo. Ratio est : quia potest omnis ille reservare casus intra terminos suae jurisdictionis, qui habet jurisdictionem ordinariam : potest enim illam aliis delegare vel plene, vel restricte. Atqui parochus habet jurisdictionem ordinariam in foro interno; ergo. — Dicunt : *per se et speculative loquendo;* quia ut habent Bill. et Sass., « id in praxi non admittitur, sive propter usum contrarium, sive propter inhibitionem tacitam episcoporum, ne nimia evadat casuum reservatio. » — Sub quocumque igitur respectu consideretur quaestio, **otiosa** evadit. De ea vide Bened. XIV (*de Syn.* V, 4).

Q. 80. *Quot* 1°) MODIS reservari possit peccatum; et 2°) *quaenam* CONDITIONES requirantur, ut censeatur reservatum?

R. Ad 1^{um}) *Duplici modo.*

Explanatur. Reservari potest : — vel **1°) ratione sui** seu *simpliciter*, i. e. directe et principaliter propter ipsum peccatum, seu in cautelam vel rectam gubernationem, independenter a censura, i. e. ita ut peccato vel nulla censura sit annexa, vel solum accessorie sit annexa, ad hoc scilicet ut peccantes fortius ligentur et per duplicem reservationem a peccato absterreantur; — vel **2°) ratione censurae**, i. e. unice propter censuram huic peccato annexam, seu in poenam delicti.

R. Ad 2^{um}) Quidquid sit *de possibili* seu *de jure*, ut peccatum censeatur reservatum *de facto* seu *ex consuetudine*, requiritur : ut sit *mortale*, non modo ratione objecti, sed etiam ratione malitiae in actu voluntatis; *externum*, et quidem grave qua externum; *a pubere* commissum; *opere completum* seu *consummatum* et *certum*.

Explanatur. Dixi : 1°) **mortale,** imo et **atrocius**; tum quia frustra reservantur venialia, quippe quae necessario confitenda non sunt; tum quia, si quaevis mortalia reservarentur, confessario communi nulla relinqueretur potestas circa materiam necessariam confessionis. Hinc si quis ex ignorantia vel defectu plenae advertentiae excusaretur a mortali, reservationem non incurreret. — Dixi : 2°) **externum**; quia sicut Ecclesia non reservat solam voluntatem internam mortaliter malam, ita nec actionem externam, nisi ipsa ex se habeat gravem malitiam et deformitatem; unde si percussio parentum sit reservata, levis solummodo percussio externa ex intentione graviter percutiendi facta, etsi mortaliter mala sit, non erit reservata. — Dixi : 3°) **a pubere** commissum, nisi aliter exprimatur. Aetas autem pubertatis, jure canonico, est 14 annorum pro masculis, et 12 pro feminis. — Dixi : 4°) **opere consummatum**; quia cum reservatio sit odiosa, non est extendenda ad actus mere *attentatos*, sed ad perfectos et consummatos est tantum restringenda, nisi reservans ipsam quoque criminis atrocis attentationem expresse reservaverit, uti haud dubie potest. Hinc si reservatum sit homicidium, non sufficit sola causa mortis posita, nisi reipsa secuta sit mors, cum attentatio homicidii non sit homicidium. Et hoc verum est, licet peccatum inchoatum esset gravius consummato : quare, si adulterium esset reservatum, reservationem non incurreret, qui tantum inchoaret copulam, sed ex malitia se retraheret et effunderet semen extra vas. Secus dicendum, si alias constet de mente reservantis; et sic quandoque reservatur procuratio abortus, etiam effectu non secuto, v. g. balneum sumere, secare venam, percutere ventrem, sumere potum ad hoc, licet foetus non ejiciatur. Similiter provocatio ad duellum et ejus acceptatio, etiam conflictu non secuto, reservatur in Bulla « *Apostolicae Sedis.* » Dixi : 5°) **certum**; si enim delictum sit dubium, sive dubio *juris*, quando inter DD. dubitatur an lex reservans sit lata, an comprehendat hunc casum; sive dubio *facti*, quando dubitas an sit a te commissum, an plene deliberate (tom. I, pag. 85 , non censetur reservatum, ob eamdem rationem, scilicet : quia reservatio est odiosa, ac consequenter strictae interpretationis, juxta regulam juris 15 in 6 : « *Odiosa sunt restringenda.* » Nec refert, quod post confessionem ejusmodi peccati dubie reservati depre-

hendas fuisse certo reservatum : quia sub illo dubio non erat reservatum, ideoque directe remissum sine ulteriori obligatione.

Q. 81. *An* IGNORANTIA reservationis ab hac incurrenda *excuset?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel **censura** peccato reservato est principaliter *annexa*, vel **non**; seu, aliis verbis : agitur de peccato reservato— vel **ratione censurae**, uti sunt omnes casus papales, excepto ferme unico, qui est *falsa denuntiatio confessarii de sollicitatione ad turpia*, de quo casu infra in Q. 88 (pag. 336); — vel **ratione sui**, juxta dicta (p. 323), uti sunt plerumque casus episcopales, et casus papalis memoratus de *falsa denuntiatione*.

Si **primum** : *Affirm.*, etiamsi ignorantia sit *graviter culpabilis* ; non tamen *crassa* et *supina*, nisi censura lata fuerit in eos, qui *temere* aliquid faciunt vel facere *praesumunt* (tom. I, p. 144). Ratio est : quia censura est poena gravissima, ad quam incurrendam non sufficit scientia legis ecclesiasticae, sed requiritur scientia ipsius poenae. Unde, sublata censura propter ignorantiam, nulla remanet reservatio. Quod si sciens censuram casui esse annexam, ignorabat eam esse reservatam, alii cum BON. putant, etiam tunc eum excusari a reservatione, atque adeo posse a quovis confessario absolvi ; alii cum MAZZ., idque « *melius* » juxta S. LIG. (VI, 580), tenent oppositum : quia jam consentit in poenam censurae adeoque implicite in ejus reservationem et in omnes alios effectus, licet ignoratos.

Si **secundum** : DD. *disputant.* — Alii **negant** cum S. LIG. (*l. c.*) et quidem, ut ait, « *communissime.* » Horum rationes sunt : **1°** Quia reservatio afficit directe et immediate confessarium ; nec ignorantia poenitentis potest conferre confessario jurisdictionem quam non habet. **2°** Quia ubi peccatum reservatur *ratione sui*, reservatio non est poena sed medicina, tum *praeservativa*, ut fideles metu reservationis a culpis gravioribus absterreantur, tum *curativa*, ut recipiant a superioribus poenitentias et monita ac remedia opportuniora quae nonnisi a prudentioribus applicari expedit, juxta dicta superius (pag. 322) de duplici fine reservationis. **3°** Quia in formulis reservationum nunquam fit verbum de exceptione pro

eo qui reservationem ignoret. 4°) Quia nullus confessarius qui non habet facultates speciales audet absolvere ab hujusmodi peccato reservato eos qui ignorant reservationem, et Luco (*de poenit.* XX. n. 9) asserit talem esse praxim omnium Religionum.

Alii, iique etiam nobilissimi, — si non omnes *absolute*, saltem *probabiliter*, — **affirmant** et consequenter concludunt licere nisi contrarium constet de mente legislatoris, ea sententia uti, dummodo confessarius poenitentem de reservatione certiorem faciat, ut si postea iterum in reservata inciderit, reservatione teneatur sicque disciplinae relaxandae aditus praecludatur in posterum. — Ratio eorum est : quia omnis reservatio *natura sua* est poena *vindicativa* vel saltem *medicinalis;* et quoniam hanc sententiam multi iique gravissimi DD. probabilem aestimant, etiam eidem repugnantes, eo ipso habetur dubium juris proindeque peccatum reservatum dubium licetque ex communi DD. ap. S. Lig. (VI, 600) absolvere cum jurisdictione probabili probabilitate juris juxta dicta (pag. 308). Ad argumenta oppositae sententiae respondent : — Ad 1^{um}) Utique reservatio afficit directe et immediate confessarium, in quantum peccatum est *certo* reservatum; sed in casu peccatum, ut liquet ex ipsa DD. controversia, non est *certo* reservatum. Aliunde non constat superiorem voluisse etiam casum ignorantiae comprehendere in reservatione. Quaestio namque, quae hoc loco agitur, hisce verbis proponi potest : *utrum lex reservans comprehendat peccatum etiam tunc, cum qui peccat legem ignorat?* Quae sane quaestio resolvi nequit, ut patet, respondendo reservationem esse restrictionem jurisdictionis. Aliis verbis : Quod reservatio sit restrictio jurisdictionis, nihil confert ad decernendum, ad quos casus ea restrictio se porrigat seu quaenam peccata sint reservata, ut observat Viva (*de poenit.* q. 9, a. 3, n. 3), non secus ac ex eo quod *lex vim habeat obligandi*, inepte concluderetur hunc aut illum casum ipsa lege comprehendi. — Nec asseritur quod ignorantia reservationis quae sit in poenitente conferat confessario jurisdictionem relate ad peccata reservata; sed solum asseritur, quod ignorantia reservationis, quae sit in poenitente, impediat quominus per legem reservationis restringatur in confessario jurisdictio relate ad illa peccata. — Ad 2^{um}) Non constat reservationem peccati factam *ratione sui* esse medicinam, sed ea potest concipi

— vel ut *poena*, ut tradunt Graff., Palud., Quintan., Quarti, Regin., alii, quam sententiam, praeter Salm., Ronc., Elbel, Sporer, Viva, Mazzotta cum aliis, etiam, teste S. Lig. (VI, 581), *probabilem* putat Lugo (*de poenit.* disp. XX, n. 11), nec non Sanchez (*de Matrim.* lib. 9 disp. 32, n. 18) ab ipso Lug. (*ibid.*) citatus ; — vel concipi potest ut *poena simul et medicina*. Quocirca scribit De Moya (*Quaest. select.* part. I. p. 305 seq.) : « Formalitas medicinae non destruit rationem poenae : istae enim formalitates recte in eadem entitate compatiuntur, ut patet *in poenitentia sacramentali*, quae poena et medicina simul est juxta Trid., et *in excommunicatione* quae, ut ait Sanch., ex una parte est medicina et ex altera est poena ; ergo bene stat reservationem esse medicinam ad Ecclesiae rectam gubernationem conducentem, et simul esse poenam. Unde argumentum sic conficitur : Excommunicatio quia rationem poenae participat non incurritur ab ignorante illam, licet simul includat rationem medicinae conducentis ad rectam Ecclesiae gubernationem. Ergo reservatio, quia rationem poenae participat, non incurritur ab ignorante licet simul includat rationem medicinae conducentis ad rectam Ecclesiae gubernationem. » Hisce prorsus simillima promit Viva (*de Poenit.* q. 9, a. 3, n. 2). Praeterea addi potest ex Roncaglia : « Universaliter verum videtur, non obligare leges, quamvis non pure poenales, sed etiam medicinales, quoties cessent esse medicinae, atque ita cessare videntur, quoties ex ignorantia seu oblivione non habeant retrahere a peccatis, a quibus voluerunt tales leges omnes cohibere. » Aliis verbis : qui ignorat reservationem, nequit ejus metu deterreri, ut a gravioribus culpis abstineat, sicque pro eo desinit reservatio habere rationem medicinae (1).—Ad 3^{um}) Nec talis exceptio fit in formulis ubi aliqua censura imponitur ; multo minus exprimitur exceptio pro eo qui ob gravem metum peccaverit. — Ad 4^{um}) Falsum est, talem esse generalem omnium praxim, et Lugo loquitur de *Religionibus*, ubi ratio perfectionis assequendae aliud potest suadere. Imo ipse Lugo (*l. c.*) postquam aliorum doc-

(1) Quamvis reservatio, in casu, cesset habere rationem medicinae *praeservativae*, non ideo cessat habere rationem medicinae *curativae*, quatenus poenitens reservationis ignarus, ea tantum lege absolvitur, ut de exsistentia reservationis adeoque de enormitate sui peccati admoneatur.

trinam memoraverat, juxta quam « *ignorans invincibiliter reservationem peccati impositam, non illam incurrit, quam sententiam ipse* Sanchez *existimat probabilem*, » fatetur se id notavisse, « ut unusquisque in facti occurrentia possit eam doctrinam probabilem ad praxim deducere. »

Resolvitur. 1. Extra dubium est, superiores peccata subditorum ita posse reservare, ut comprehendantur etiam ea quae ab ignorante reservationem perpetrentur. Et ita E. Card. Archiep. Mechlin., in *Monito ad Clerum* (7 Aug. 1897), aperte declarare dignatus est : « *Casus a Nobis reservati non eximuntur a reservatione ob hujus ignorantiam, ita ut isti casus sint reservati, sive a sciente sive ab ignorante reservationem, delictum seu peccatum committatur.* » Unde jam in dioecesi Mechlin. confessarius sine dubio invalide absolveret poenitentem qui peccatum reservatum etiam inscius reservationis admiserit, nisi specialis facultas fuerit obtenta. **Resol. 2.** Si vero non constet de mente legislatoris, num tunc ignorantia excuset a reservatione, gravis est quaestio inter DD. agitata, quam controversiam definire non ad privatos, sed ad solam Dei Ecclesiam pertinet, quae est *columna et firmamentum veritatis*. Res igitur hucusque in dubio relinquitur.

Utique communior et probabilior ac Conc. Trid. magis conformis videtur sententia quae asserit cum S. Lig. ignorantiam non excusare a reservatione. Contrariam tamen sententiam *probabilem* dicunt gravissimi DD., etiam eidem repugnantes. Verum, probabilitatem hujus sententiae alii cum S. Lig. (in 1° Elencho QQ. *reform.* n. 83) non admittunt et consequenter hanc sententiam in praxim deduci non posse contendunt. Alii vero cum Ballerini, Sabetti, probabilitatem hujus sententiae valido satis argumentorum subsidio corroboratam existimant. « *Unde*, practice *saltem, ex reflexo principio, hac probabilitate uti potest confessarius carens facultate absolvendi a reservatis, et, prima vice saltem, absolvere poenitentem reservationis ignarum; ea tamen lege ut ipsum, pro futuro de exsistentia reservationis certiorem faciat. Hoc tamen intellige : nisi reservans expresse de subeunda reservatione etiam ab ignorantibus mentem suam aperuerit, quod sane praesumendum non videtur, sed probandum.* » Ita novissime doctissimus Prof. Deshayes,

S.T. et SS. CC. Doct. (1), licet communiori sententiae adhaereat (2). Nec est cur idem opinantes « *inde reprehendendi censeantur* » (3).

In hoc DD. satis conveniunt : posteriorem hanc sententiam in praxim *certo* posse deduci, si ea alicubi doceretur, sciente et non contradicente episcopo, cum signum esset episcopum nolle ignorantes ligare; item si ex tenore reservationis constaret eam tantum in poenam fuisse impositam. **Resol. 3.** Quod attinet *falsam denuntiationem confessarii de sollicitatione ad turpia*, qui unicus casus S. Pontifici sine censura reservatur, communis DD. sententia est, hanc reservationem ab ignorante non incurri, cum reservatio in casu sine dubio est *poenalis*, ut clare id indicat ipse Bened. XIV in sua Const. « *Sacramentum poenitentiae.* » Dicit enim : « *Ut igitur tam nefaria audacia et tam detestabile facinus metu magnitudinis poenae coerceatur.* »

Q. 82. *An* a simplici confessario *absolvi* possit peregrinus : 1°) si casus est reservatus tantum *in loco confessionis*; 2°) si est reservatus *in ipsius dioecesi*, non vero in loco confessionis?

R. Ad 1^{um}) *Controvertitur.*

Explanatur. Alii, iique praesertim recentiores, **negant** : quia confessarius habet jurisdictionem a proprio episcopo restrictam. Et « haec sententia, judice S. Lig. (VI, 588), est quidem *communior* et *longe probabilior.* » — Alii cum antiquioribus **affirmant**, et « *verius* » quidem, juxta Baller., Lehmk., alios : quia confessarius viatorem ex aliena dioecesi venientem absolvit per jurisdictionem ab episcopo viatoris ex recepta consuetudine delegatam. Atqui ex hypothesi haec non est ab eo restricta. Ergo, etsi confessarius vi suae ordinariae jurisdictionis, quam habet ab Ordinario suo non possit a casu in sua dioecesi reservato *subditum* suum absolvere, potest tamen vi jurisdictionis delegatae absolvere

(1) In opere cui titulus : « Memento juris ecclesiastici publici et privati. » Quod praeclarum opus Leo PP. XIII (8 Jan. 1895) *Brevi* honorificavit, et satis commendari nequit. — (2) *Ibid.* enim scribit n. 1335 : « Reservatio peccati *propter se*, cum non proprie videatur esse poena in peccante, sed mera potius coarctatio jurisdictionis in confessario, etiam ignorantes afficit. — (3) Sequitur ex Oraculo S. Poenit. (5 Jul. 1831) inf. cit. pag. 330.

viatorem ex alia dioecesi, in qua casus ille non est reservatus. Et haec sententia est **practice tuta** : tum quia, stante solida probabilitate hujus sententiae, reservatio jam evadit *dubia;* tum quia licitum est ex communi DD. absolvere cum jurisdictione *probabili* probabilitate juris.— Cui resolutioni **opponitur** quidem novissima responsio S. Poenit. (21 Nov. 1875). Casus his verbis sat inepte proponitur : « *Titius sacerdos ad tribunal poenitentiae accedens peccata exponit partim simpliciter reservata, partim etiam cum censura episcopali in dioecesi confessarii. Dolet se* [sic] *hic, et humaniter admonet fratrem ut se sistat habenti facultatem; sed ille instat pro absolutione et dicit : quod confessor, cum non sit judex opinionum, potest et debet absolvere poenitentem, qui vult sequi opinionem non solum probabilem, sed etiam communissimam inter theologos antiquos et viventes. Confessor firmus in sua sententia non acquiescit et inabsolutum dimittit poenitentem.*— **Quaeritur** : 1°) *Utrum confessor bene se gessit?* 2°) *Potest semper in casu ita se gerere?* S. Poenitentiaria, *consideratis expositis,* **respondit** : « Ad utrumque affirmative. » Ita ap. Anal. Jur. Pont. (*fasc. I,* 21 Febr. 1875) et N. R. T. (VI, 566). Sed hanc responsionem allatae doctrinae non obstare, multis argumentis demonstrat Ball. Utique, si confessarius in casu putaverit sibi licere doctrinam sequi, quam S. Lig. (*l. c.*) « *communiorem ac longe probabiliorem* » dixit; quomodo S. Poenit. id improbasset, dum alias ad quaestionem sibi propositam : « *An sit inquietandus confessarius qui omnes* S. Alph. de Lig. *sequitur opiniones in praxi S. Poenit. tribunalis?* » responderat (5 Jul. 1831) : « Negative. » At, dum talem confessarium non improbat, eo ipso non negat, fas esse aliis oppositam sequi sententiam; cum in eadem responsione aperte tradat quod quis sequi tuto possit ac profiteri opiniones S. Lig. : « *quin tamen inde reprehendendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur.* »

R. Ad 2um) *Affirm.* per se, tum a *regularibus*, vi privilegii ipsis concessi in Const. « *Superna* » Clem. X; tum a confessariis *saecularibus*, stante communi *consuetudine*, contra quam Ordinarii *non reclamant.*

Explanatur. Dixi : *per se;* nam excipe in utroque casu, nisi

—1°) quis ex propria dioecesi alio *in fraudem reservationis* se contulerit (pag. 305), puta ex S. Lig. (VI, 589) « quando quis alienam petit dioecesim ob *principalem finem* obtinendi absolutionem vitandique judicium proprii pastoris, » non vero « si abscesserit ad aliquam dioecesim ob aliquem honestum finem, puta negotii agendi, vel indulgentiam lucrandi, vel ut confiteatur cum minori incommodo, aut citius confessionem expediat, vel ut confessarium incognitum aut prudentiorem inveniat, qui melius eum dirigat et tranquillitati suae conscientiae consulat. » — Aut nisi 2°) *nominatim* foret excommunicatus.

Q. 83. Quid, *regulariter* loquendo, faciet *simplex* confessarius cum subdito peccatum *reservatum* confitente?

R. Unum ex *duobus* seligat.

Explanatur. Vel **1°) remittat** poenitentem ad superiorem aut ad alium pro reservatis approbatum; vel **2°) ipse a superiore petat** facultatem absolvendi a tali casu reservato, tacitis circumstantiis quibuslibet, ex quibus poenitens manifestari posset. Plerumque magis **expedit**, si ipse confessarius licentiam absolvendi petat, ob periculum, ne poenitens alium adire non audeat.

Q. 84. Dic : 1°) *quandonam* et 2°) *quomodo* simplex confessarius, carens facultate, absolvere possit a reservatis, etiam *extra mortis periculum?*

R. Ad 1um) Quando poenitens *adire nequit* superiorem vel ejus delegatum, et causa *urget.*

Explanatur. Adest impedimentum **adeundi,** si superior vel ejus delegatus non posset adiri sine scandalo aut nota infamiae, vel sine magna difficultate ob longam distantiam; causa vero **urgens** multiplex habetur, qualis est ex communi DD. cum S. Lig. (H.A. XVI, 133) : **1°)** periculum infamiae vel scandali, v. g. ex omissione celebrationis missae vel communionis; **2°)** necessitas adimplendi praeceptum annuae confessionis vel communionis; **3°)** timor ne poenitens remaneat in statu peccati mortalis.—**Ratio** responsionis est : quia reservatio est « *in aedificationem*, » non « *in destructionem*, » ut utar verbis Trid. (Sess. XIV *de poenit.* cap. 7); et ideo

Ecclesia et quilibet superior non censetur velle obligare ad tantum incommodum subeundum.

R. Ad 2^um^) *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel agitur de reservatis **ratione sui,** vel de reservatis **ratione censurae.** — Si hoc **posterius** : tunc Cfr. TRACT. *de poenis canonicis*, part. 2, sect. I, Q. 26, ubi *de absolutione censurarum* (tom. IV). — Si **prius** : tunc in eo casu, confessarius, quamvis ab aliis non reservatis *directe* absolvat, *indirecte* tantum absolvere potest a peccatis reservatis cum onere tamen pro poenitenti, data opportunitate, se sistendi coram Superiore aut coram delegato, ut directe a reservatis absolvatur. Ratio est : quia caret jurisdictione in reservata. Docet enim TRID. (*l. c.*) quod « *extra articulum mortis, sacerdotes nihil possint in casibus reservatis,* » nimirum de jure communi et nisi a superiore sint delegati. Cum igitur careant jurisdictione circa reservata, consequens est, ut ab iis *directe* absolvere non valeant. Idque procedit : sive casus reservatus sit *episcopalis*, sive *papalis;* sive impedimentum adeundi sit *temporale*, sive etiam *perpetuum.* — Dixi : *quamvis ab aliis non reservatis* **directe** *absolvat;* quod dictum sit contra ANTOINE et quosdam alios contendentes, quod nequidem *indirecte* simplices sacerdotes ab iis absolvere valeant, sed penitus careant jurisdictione in tales poenitentes. Et sane TRID. (*l. c.*) non dicit : simplices sacerdotes nihil posse circa poenitentes reservata habentes, aut nihil posse in ullis ejus peccatis, sed tantum quod « *nihil possint in casibus reservatis.* » Ergo, ut concludunt communiter DD. cum SUAR., LUGO, SALM., etc., retinent veram jurisdictionem circa personam et peccata non reservata poenitentis, a quibus proin *directe* absolvere possunt.

Resolvitur 1. Ubi confessarius *indirecte* absolvit a reservatis, monendus est poenitens de obligatione peccata reservata, data occasione, postea superiori vel alicui delegato confitendi. **Resol. 2.** Qui a casu S. Pontifici sine censura reservato (1) per confessa-

(1) Scilicet, *dum quis falso accusavit confessarium innoxium de crimine sollicitationis apud judices ecclesiasticos*, qui proprie solus est casus papalis sine censura reservatus.

rium facultate carentem *indirecte* absolutus est, tenetur omnino vel confessarium indulto apostolico munitum vel S. Poenitentiariam saltem per litteras adire, ut *directe* absolvatur. Constat ex celebri decreto S. C. Inq. (23-30 Jun. 1886) ap. N. R. T. (XVIII, 578) necnon ex resp. S. Poenit. (7 Nov. 1888) ap. N. R. T. (XXII, 362). Neque ab hac obligatione recurrendi Romam, saltem per litteras, excusat generale periculum ne epistolae a potestate civili aperiantur, « *cum in precibus nomina et cognomina sint supprimenda*, » ut declaravit S. Poenit. (*ibid.*). Verum, cum non fuerit censura irretitus, jam non est locus reincidentiae. **Resol. 3.** Si poenitens non habeat nisi peccata reservata, non potest absolvi, nisi submittat clavibus aliud peccatum saltem veniale vitae praeteritae directe remittendum; secus enim nulla daretur sacramenti materia. Interim reservatione ligatus in necessitate *communicandi* aut *celebrandi*, quamvis teneatur elicere contritionem, non tenetur tamen confiteri confessario simplici, alio deficiente, si nullum aliud peccatum mortale habeat, *nisi reservatum* (pag. 71 seq.) : non enim tenetur ratione peccati reservati, quod directe remitti nequit : neque ratione venialium aut mortalium jam antea directe remissorum, cum non sint materia necessaria. Utrum vero ad confessionem teneatur, si praeter reservata, alia mortalia commisisset, DD. *disputant*. Quidam probabiliter *negant;* alii communissime *affirmant*, quia tunc urget praeceptum divinum praemittendi confessionem communioni, et nulla datur excusatio a praecepto confessionis. Ast, juxta dicta (pag. 71 seq.) habens reservata et non reservata non tenetur *per se* in confessione accusare etiam reservata : tum quia alias teneretur bis peccata illa confiteri, scilicet inferiori et superiori; tum quia nulla videtur obligatio confitendi peccata illa super quibus confessarius nequit esse judex, cum nullam super eis jurisdictionem habeat. Dicitur : *per se;* quia per accidens aliquando etiam reservata declarare tenetur, ut confessarius de dispositione recte possit judicare; puta, si sit recidivus in reservatis vel in occasione proxima peccandi. Interim in dioecesi Mechl. et alibi, dum poenitens communionem aut celebrationem missae aut sacramenti administrationem omittere nequeat sine notabili damno famae, sinistris suspicionibus aut gravi obloquio; item dum confessarius merito timet, ne poenitens sine absolutione dimissus

praetermittat implere praeceptum confessionis annuae et communionis paschalis; cuilibet sacerdoti approbato conceditur facultas absolvendi non tantum a casibus episcopalibus, sed etiam a casibus pontificiis a quibus Ordinarius absolvendi facultatem habet, ut totidem verbis declaratur in STAT. DIOEC. MECHL. (270, 5° seq.).

Q. 85. *An* TOLLATUR reservatio, si confessione facta apud *habentem potestatem* in reservata, poenitens 1°) *sacrilege* confiteatur; 2°) *inculpabiliter* reservatum omittat?

R. Ad 1um) *Affirm.*. per se, modo in ea reservatum non omittat.

Explanatur. Ratio est : quia finis reservationis, scilicet, ut peccator judicio superioris se submittat, est obtentus. A **fortiori** idem dicendum est, si confessio fuerit *inculpabiliter* nulla (S. LIG. H. A. XVI, 141). — Dixi : **per se**; nam excipitur confessio in jubilaeo facta, quae si invalida sit culpabiliter vel inculpabiliter, reservatio manet; quia facultas absolvendi a reservatis tunc conceditur ad finem, ut fideles jubilaeum lucrentur.

R. Ad 2um) *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel confessio fit **intra** tempus jubilaei, vel **extra**. — Si **primum** : *affirm.*, quia Papa tollit omnem reservationem erga eos, qui confitentur in ordine ad lucrandam indulgentiam. — Si **secundum** : DD. *disputant*. Cfr. S. LIG. (VI, 597). Alii *negant*, quia fini reservationis tunc satisfactum dici nequit; alii probabiliter *affirmant* cum LUGO : quia recte praesumitur superiorem liberare poenitentem voluisse ab omni vinculo, a quo absolvere ipsum potest. — Unusquisque consultat *Statuta* suae dioecesis. In dioec. MECHL. tenor reservationis habet : « *Ut valeat absolutio etiam pro reservatis, dum poenitens bona fide omittit confiteri peccata reservata, sive sacerdoti habenti sive non habenti facultatem absolvendi a reservatis confiteatur. Si dein poenitens errorem suum cognoscat, tenebitur quidem peccata reservata postea confiteri, sed non tenebitur ea confiteri habenti facultatem absolvendi a reservatis, si prior confessarius eam facultatem habeat.* »

Q. 86. *An* NOVA FACULTAS requiratur ad absolvendum poenitentem a peccato reservato, si, post gratiam postulatam,

antequam absolvatur, in *idem* vel *novum* peccatum reservatum relabatur?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) *Affirm.*, si licentia data sit **definite,** i. e. pro solis peccatis numero determinatis, seu praecise pro peccatis jam commissis : quia licentia tantum valet, quantum sonant verba, quibus postulatum aut indultum exprimitur. **2°)** *Negat.*, si licentia **indefinite** concessa fuerit seu in genere pro absolvendo aliquo a reservatis : tunc enim extenditur ad omnia reservata quibus ligatur poenitens quando absolvitur. — **Excipe,** nisi licentia impertita fuerit intuitu alicujus festivitatis, quae jam praeteriit, aut magna distantia interponatur, puta ultra mensem, inter concessionem licentiae et commissionem novarum culparum : quia non praesumitur superiorem voluisse, ut absolutio tamdiu differretur.

Q. 87. *Quam* POENAM incurrat, qui sine facultate scienter absolvat a casibus reservatis?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. 1°) Qui extra mortis periculum, vel casum vere urgentiorem in quo absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae aut durum valde esset pro poenitente in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis, scienter absolvit a casibus **speciali modo** Papae reservatis, incurrit ipso facto excommunicationem Rom. Pontifici *simpliciter* reservatam. **2°)** Qui vero extra praefatas circumstantias scienter absolvit a casibus Papae **simpliciter** reservatis, vel **Episcopo** reservatis, nullam poenam incurrit.

Q. 88. *Quotuplicis* generis sint casus PAPALES reservati?

R. Alii sunt reservati *cum censura*, alii *sine censura* seu ratione sui.

Explanatur. Casus papales **cum censura** sunt *duplicis* generis : GENERALES et SPECIALES. — Casus **generales** sunt illi, qui possunt absolvi ab illis, qui habent facultatem generalem absolvendi a casibus pontificiis. Tales sunt : **1°)** septemdecim excommunicationes et **2°)** septem suspensiones latae sententiae ex Bul. « *Apostolicae*

Sedis; » quibus 3°) adjungitur alia excommunicatio in corpore Bullae contra praesumentes absolvere sine debita facultate ex quovis praetextu a casibus *speciali modo* Papae reservatis, excepto periculo mortis, et casibus vere urgentioribus in quibus absolutio differri nequeat absque gravibus incommodis juxta modo dicta (pag. 335); item 4°) duplex suspensio lata in decreto S. C. C. (25 Maii 1895) et 5°) censura Tridentina (Sess. XXII, cap. XI). — **Speciales** sunt illi, qui indigent speciali facultate, ut absolvantur : hujusmodi sunt : 1°) duodecim excommunicationes et 2°) interdictum contra Universitates, Collegia et Capitula a Papa ad futurum concilium appellantia ex Bull. « *Apos. Sedis;* » item 3°) excommunicatio, suspensio et interdictum Bul. « *Romanus Pontifex* » Pii IX (28 Aug. 1873), necnon 4°) excommunicatio ex decreto S. Poenit. (4 Aug. 1876) a Pio IX approbato. De quidus omnibus latius in Adnotationibus in Const. « *Apostolicae Sedis* » tom. IV.

Casus papalis **sine censura** fere unicus habetur, scilicet : dum quis accusat confessarium de falso crimine sollicitationis apud judices ecclesiasticos, sive per se impie calumniando, sive sceleste procurando, ut ab aliis id fiat, ex Bull. « *Sacramentum Poenitentiae* » Bened. XIV (1 Jun. 1741). Qui casus hodie Rom. Pontifici *specialiter* imo *specialissimo modo* est reservatus : nam Pius IX per S. U. I. (17 Jun. 1866) decrevit : *In facultatibus, quibus Episcopi aliique locorum Ordinarii ex concessione apostolica pollent absolvendi ab omnibus casibus Apostolicae Sedi reservatis excipiendos semper in posterum et exceptos habendos esse casus reservatos in Bulla* Bened. XIV *quae incipit* « Sacram. Poenit. », qui sunt casus sacerdotis *attentantis absolutionem* complicis in peccato turpi, et casus personae *falso denuntiantis* sacerdotem de sollicitatione.

Addunt plures alterum casum papalem sine censura reservatum ex Clem. VIII, Bul. « *Religiosae* » (19 Jun. 1594) : dum quis accipit dona a Regularibus utriusque sexus, exceptis remuneratoriis vel rerum medicinalium, si nondum facta sit restitutio, vel in toto cum dona excedunt valorem 10 scutorum (54 fr.), vel in parte ad arbitrium Majoris Poenitentiarii, cum istum valorem non excedunt. Ast hic casus non est proprie reservatus, quum peccati absolutio S. Pontifici reservata non sit; sed poenitens, utpote rei alienae detentor, a S. Pontifice absolutionis incapax declaratur, quamdiu

non restituerit. Quod cum noverint confessarii, jussa Pontificis servare tenentur. Ceterum cum nullae sint moniales proprie dictae in Gallia et Belgio, huic casui locus heic esse non potest ex acceptatione donorum a monialibus harum regionum, dummodo justitia non laedatur.

Q. 89. *Quotuplicis* generis sint casus EPISCOPALES?

R. Sunt *triplicis* generis : *Nobis*, *a Nobis*, et *Sibi*.

Explanatur. Casus **Nobis** sunt illi, qui a *jure communi* sunt reservati episcopis : hujusmodi sunt : 1°) percussio publica clerici vel monachi, quae, etsi mortaliter mala interne simul et externe, dicitur *levis* comparative ad *gravem* et *enormem*, quae Papae reservantur. Unde *levem* heic accipimus, quae gravem quidem injuriam continet, sed ceteris minus gravem, cujusmodi est : quae fit pugno, pede, lapide, fuste, citra damnum grave; *gravis* est, quae contusionem vel deformitatem affert, aut si percusso dentem excusserit, vel si copiam sanguinis fuderit; *enormis* est, si mutilaverit, si oculum exclusit, si membrum rupit. 2°) Procurantes abortum, effectu secuto. 3°) Praesumentes contrahere matrimonium cum voto solemni, necnon cum istis contrahere praesumentes. 4°) Scienter utentes litteris apostolicis falsis aut eorum cooperatores. Qui tres posteriores casus, censuram annexam habentes, indicantur in Bul. « *Apost. Sedis.* » — Casus **a Nobis** sunt illi, quos episcopi solent in synodis dioecesanis sibi reservare. — Casus **Sibi** vocantur illi, quos episcopi aliis non concedunt, nisi speciali facultate.

Q. 90. *Quos* casus possint sibi reservare PRAELATI *regulares?*

R. Nequeunt, sine consensu capituli *generalis* pro toto ordine, et *provincialis* pro tota provincia, alia peccata suorum religiosorum reservare praeter illa, quae specificantur in Decreto CLEM. VIII (26 Maii 1593) et quae sunt numero *undecim*.

Explanatur. Horum catalogum refert inter alios BILL., qui et observat « hos undecim casus a CLEM. VIII designatos esse dumtaxat **reservabiles**, h. e. posse a PRAELATIS regularibus reservari,

non vero de facto esse reservatos », nisi, teste Varceno, in religione Capucinorum.— Nec possunt Praelati super alios casus censuras imponere : quia hoc esset indirecte reservare et eludere prohibitionem Clementinam. Constat ex S. C. *EE.* et *RR.* (7 Jul. 1617). Possunt tamen determinare poenitentias graves quibusdam peccatis etiam non reservatis a confessariis imponendas, quae subditos ab illis cohibere possent, ut totidem verbis declaratur in eodem decreto Clem. VIII.

Q. 91. A *quibus* casibus, de potestate *ordinaria*, possint ABSOLVERE : 1°) *episcopi;* 2°) *praelati regulares?*

R. Ad 1um) Episcopi, de potestate *ordinaria*, possunt absolvere suos subditos, per se vel per alium a se deputatum, non solum a casibus sibi ipsis reservatis, sed etiam ab omnibus peccatis Papae *simpliciter* reservatis, quamdiu sunt *occulta*, nec ad forum *contentiosum* deducta.

Explanatur. Constat ex Trid. (Sess. XXIX *de ref.* cap. 6 « *Liceat* ») et Const. « *Apost. Sedis* » Pii IX.— Censetur autem peccatum *occultum*, quando vel nemini vel adeo paucis est notum, ut vel negari, vel aliqua tergiversatione celari possit. — Censetur *deductum ad forum contentiosum*, quando facta est denuntiatio coram legitimo judice et reus ratione illius citatus. Si tamen reus se purgavit a crimine in judicio, etiam malis artibus, tunc poterit ab episcopo absolvi tanquam de delicto occulto.

Resolvitur. Nequeunt episcopi, de potestate ordinaria, absolvere a casibus papalibus *publicis* vel *speciali modo* Papae reservatis, etiamsi poenitens versetur in impossibilitate personaliter adeundi S. Sedem, uti constat ex celebri decreto S. C. Inq. (23 30 Jun. 1886), de quo latius postea ubi de absolutione censurarum (tom. IV).

R. Ad 2um) Quibus facultatibus pollent episcopi erga suos *dioecesanos*, quoad casus quos sibi reservarunt, iisdem gaudent etiam praelati regulares erga suos *subditos*. Quoad reliquos *casus*, idem dici nequit.

Resolvitur 1. Praelati regulares, de potestate ordinaria, possunt absolvere suos subditos, per se vel per alium a se deputatum, a casibus quos sibi reservarunt. Quocirca notandum est, quod « *in*

PARVIS COMMUNITATIBUS *superiores omnino debeant deputare* HABITUALITER *unum confessarium ex religiosis proprii Ordinis, qui facultatem habeat absolvendi a casibus et censuris in Ordine reservatis,* » uti constat ex decreto S. C. *EE. et RR.* (16 Aug. 1866), approbato et confirmato a Pio IX (17 Aug. 1866). **Resol. 2.** Olim Praelati regulares privilegio gaudebant absolvendi a casibus Papae reservatis. At nunc, praeterquam in articulo mortis, et salvis illis facultatibus quae per rescripta particularia ipsis ad tempus personaliter fuerunt concessae, nihil possunt ipsi (et a fortiori confessarii regulares in suos poenitentes) circa absolutionem a casibus papalibus in Const. « *Apost. Sedis* » tam *specialiter* quam *simpliciter* reservatis, ut constat ex S. Poenit. 5 Dec. 1873 (tom. II, pag. 351). In casibus tamen vere urgentioribus in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae, aut durum valde esset pro poenitente in gravi peccato permanere, dari poterit absolutio **a censuris** etiam speciali modo Papae reservatis, eo pacto quo postea exponetur ubi de *absolutione censurarum* (tom. IV). — Nec possunt vi suorum privilegiorum absolvere a casibus episcopalibus illius loci in quo confessiones excipiunt, neque a casibus episcopo jure communi reservatis. Quo spectant propositiones damnatae, tum ab Alex. VII sub n. 12 : « *Mendicantes possunt absolvere a casibus episcopis reservatis, non obtenta ad id episcoporum facultate;* » tum a S. Off. (30 Jan. 1659) : « *Regulares habent potestatem absolvendi a peccatis episcopi reservatis, etiamsi ab episcopo auctoritas ipsa ipsis indulta non fuerit.* »

CAP. 3. De abusu potestatis in confessario.

Praenotandum. Est *triplex* in confessario abusus potestatis, quem gravibus poenis plectitur Ecclesia : 1°) **Praxis** exquirendi a poenitente nomen sui complicis ; 2°) **Absolutio** proprii complicis in peccato turpi ; 3°) **Sollicitatio** ad turpia cum quadam relatione ad confessionem. — De *primo casu* diximus supra (267 seq.). De *secundo* et *tertio* sub **distincto articulo** dicetur in sequentibus. Unde :

ART. 1. De confessario absolvente complicem suum in peccato turpi.

Q. 92. *Quid* dicendum de confessario ABSOLVENTE complicem suum in peccato *turpi?*

R. Per se loquendo, absolvens complicem in peccato turpi, graviter culpabili, invalide absolvit ac insuper ipso facto incidit in excommunicationem Papae *speciali modo* reservatam ex Const. « *Apost. Sedis* » PII IX (12 Oct. 1869), post BENED. XIV Const. « *Sacramentum poenit.* » (1 Jun. 1741) et « *Apostolici muneris* » (8 Febr. 1745). Imo ex duobus decretis S. U. I. (17 Jun. 1866 et 4 Apr. 1871) declaratum fuit hunc casum, non secus ac alium de eo qui falso denuntiavit sacerdotem de *sollicitatione*, contentos in Const. BENED. XIV « *Sacramentum poenitentiae* » semper in posterum esse excipiendos etiam in amplissimis facultatibus quae episcopis et missionariis conceduntur. Quare uterque hic casus hodie dicitur *specialissimo* modo R. Pontifici reservatus. — Quod si a S. Sede facultas concedatur absolvendi confessarium excommunicatum ob absolutionem complicis, haec quidem facultas dari non solet, nisi sub specialibus clausulis, scilicet : 1°) de non amplius audiendis confessionibus personae complicis, et 2°) pro casu relapsus, de facienda mentione gratiae jam antea obtentae necnon de deponendo munere confessarii quo tam perdite abusus est.

Explanatur. Dixi : 1°) **Per se loquendo** : nam excipe, si absolvat in *articulo* vel *morali periculo mortis;* dummodo tunc desit alius, etiam non approbatus; vel, si adsit alius, hic supervenerit post incoeptam confessionem, aut nolit absolvere, aut adhiberi nequeat sine periculo infamiae aut sine populi scandalo, quia v. g. est publice suspensus, excommunicatus, aut tandem huic poenitens confiteri renuat. Secus, in eo rerum discrimine, *valide* quidem absolveret, ne quis illius culpa pereat, sed *illicite* poenasque non effugeret. — Utrum vero, extra casum articuli vel periculi mortis, confessarius complicem, *ob urgentem aliquam necessitatem*, valide ac licite absolvere possit *directe* ab aliis peccatis et *indirecte* a casu complicis, ut dictum est de reservatis (p. 352 seq.), DD.

disputant. — Alii **negant** cum Gury (*Cas. consc.* II, 618); quia solus casus articuli vel periculi mortis in Pontificiis Constitutionibus excipitur; — alii **affirmant** cum Salmant. (*App.* ad tr. VI, cap. 6, n. 262) : licet enim casus complicis non sit reservatus superiori, sicut alii casus reservari solent, cum cuilibet confessario non complici concessum sit ab eo absolvere, videtur tamen vero sensu reservatus. « *Quid enim*, ait Billuart, *est reservatio, nisi restrictio potestatis, quae hic invenitur?... Deinde concedunt contradicentes, confessarium complicem posse absolvere ab hoc casu in articulo mortis : id autem non potest, nisi quia, ut dicit* Trid., *in articulo mortis cessat omnis* reservatio. » Unde, juxta illos Doctores, qui, urgente confessionis praecepto, complicem, absque gravis infamiae vel scandali periculo, alteri confiteri non valentem, vel etiam in locis Missionum, ubi alium sacerdotem nunquam vel non nisi post plures annos habendi spes non datur, indirecte tantum absolveret, valide ac licite absolveret et poenas effugeret. Et haec sententia « *non omnino improbabilis videtur.* » Ita Libellus *exhibens immut. atque additam. quae in Inst. moral. Alph. auctore* Clem. Marc. *facta sunt.* Romae 1891, pag. 22.

Dixi : 2°) **Absolvens** : unde non sufficit confessio, sed absolutio etiam requiritur; et ideo excommunicationem non incurrit, qui complicem simpliciter audit et inabsolutum dimittit. Secus tamen dicendum, quidquid hac de re olim disputatum fuerit, si absolveret *ficte*, v. g. sine intentione absolvendi, vel formam absolutionis substantialiter corrumpendo, vel orationem quamdam aut alia verba pronuntiando, aut etiam tacendo, ita ut videretur tamen per signa aut manuum gestus revera poenitentem a peccatis relaxare, uti declaravit S. Poenit. (1 Mart. 1878) ap. N. R. T. (XIV, 142), necnon S. C. Inq. (10 Dec. 1883) ap. N. R. T. (XVI, 366). — Quod si complex de peccato turpi jam fuerit ab alio confessario *directe* absolutus, illudque nunc iterum confessario complici confiteatur uti materiam sufficientem, sed non necessariam, cessat excommunicatio et valet absolutio, ut constat ex decl. S. Off. (29 Maii 1867), si alias cetera necessaria non desint, licet plerumque non expediat illum audire, tum ob periculum consensus novi, saltem interni, ex utriusque parte; tum quia ita postulat honor sacramento debitus, nisi aliter fieri nequeat. Imo, ut diximus in

responsione, si ageretur de confessariis, qui absolvendo complicem excommunicationem incurrissent, ab eadem non absolvuntur, nisi sub expressis clausulis : « *quod ab audiendis personae complicis confessionibus abstineant,* » et pro casu relapsu « *de facienda mentione gratiae jam antea obtentae necnon de deponendo munere confessarii,* » ut latius dicetur in *Adnot.* ad Bull. « *Apost. Sedis.* » (tom. IV). Si vero nondum fuerit de eo peccato directe absolutus, absolutio in casu certe irrita est etiam quoad alia peccata, cum aut omnia aut nullum remittat, oportet. — Similiter valet absolutio, si complex ex inculpabili oblivione omittat peccatum complicitatis, licet hoc absolventem non fugiat : quia non absolvit complicem *directe* a peccato turpi, quod prohibetur. Quam resolutionem auctoritate sua fulcivit S. Poenit. (16 Maii 1877) ap. N. R. T. (XIII, 577). Ad **dubium** enim : « *An incurrat censuras, in absolventes complicem in peccato turpi latas, qui complicem quidem absolvit, sed complicem qui complicitatis peccatum in confessione non declaravit?* » ita **respondit** : « *Privationem jurisdictionis absolvendi complicem in peccato turpi et adnexam excommunicationem, quatenus confessarius illum absolverit,* ESSE IN ORDINE AD IPSUM PECCATUM TURPE, IN QUO IDEM CONFESSARIUS COMPLEX FUIT. » — Ad praecavendos autem in re tanti momenti abusus, S. Poenit. (19 Febr. 1896) ap N. R. T. (XXVIII, 206) declaravit : « *Excommunicationem reservatam in Bulla* « Sacramentum Poenitentiae » *non effugere confessarios absolventes vel fingentes absolvere eum complicem, qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id confessarius poenitentem induxit, sive* DIRECTE, *sive* INDIRECTE. » *Directe* porro confessarius inducit poenitentem, quando positive et explicite eum praemonet de tacendo peccato complicitatis, quia v. g. illud jam novit et declaratio illius esset inutilis. *Indirecte* vero inducit, quando confessarius suadere conatur poenitentem, sive quod actio turpis cum ipso commissa non est peccatum, sive saltem non tam grave, ut de ipso inquietari debeat; unde poenitens concludit ipsi licere non declarare tale peccatum, et ab eo declarando revera abstinet.

Dixi : 3°) **Complicem** : i. e. socium, sive sit mulier, sive vir, sive adultus vel non; modo sit capax peccati mortalis. Nec refert,

quod confessarius cum complice peccaverit forte adhuc laicus : lex enim non distinguit. Constat praeterea ex S. Poenit. (22 Jan. 1879) ap. Marc n. 1780.

Dixi : 4°) **In peccato turpi** : quo nomine intelligitur omne factum vel dictum quod ex utraque parte certo peccatum sit mortale externum contra sextum Decalogi praeceptum, ita ut comprehendat etiam illa peccata « *quae consistunt in meris colloquiis et adspectibus qui complicitatem important,* » ut declaravit S. U. I. (28 Maii 1873), ap N. R. T. (X, 118). Itaque ad casum complicis requiritur : — 1°) peccatum **contra castitatem**; — quod 2°) sit **grave,** non tantum *interne* sed etiam *externe;* idque 3°) **utrimque** patratum seu *mutuum,* ita ut uterque in idem peccatum conspiret ac externe manifestet, se in illud consentire; et quidem 4°) **certum**, ita ut excludatur omne dubium sive juris, sive facti.

Hinc non est casus complicis : **A**) Si complicitas sit non in peccato turpi, sed in alio peccato. Et in tali casu valet doctrina S. Thom. (*Suppl.* q. 20, a. 2 ad 1) : « *Nec sacerdos debet audire confessionem mulieris cum qua peccavit, de illo peccato, sed debet ad alium mittere ; nec illa debet ei confiteri,.... tum propter periculum, tum quia est minor verecundia. Si tamen absolveret, absoluta esset. Quod enim* Augustinus *dicit, quod non debet esse in eodem crimine, intelligendum est secundum congruitatem, non secundum necessitatem sacramenti.* — **B**) Si actus exterior sit ex objecto venialis, ut tactus manuum, osculum leve, etsi utrimque interne fiat affectu libidinoso, quia non est peccatum mortale externum ; dummodo tamen nullam adjunctam habeat circumstantiam impudicam vel affectum ad impudica externe non manifestet, quod fieret si ipse osculandi, amplexandi, tangendi, aspiciendi modus aut reliqua corporis constitutio, v. g. inflammatio vultus aut oculorum libidinem utrimque palam proderet. — **C**) Si tactus impudicus et ex objecto mortalis fiat ab una parte, altera externe renitente, esto forsan interne consentiat. — **D**) Si sacerdos induceret puellam ad credendum nullum esse peccatum, si turpiter ab ipso tangi se sineret, et ea, ab ipso decepta, bona fide se turpiter tangi pateretur. — **E**) Si confessarius dubitet, an poenitens quoque graviter peccaverit : esto enim casus complicis ab aliis reservatis differat, in hoc tamen illis est aequiparandus, quod odiosus sit et strictae interpretationis.

Nihil tamen refert, si confessarius uti complex non sit in confessione a poenitente cognitus, si verificetur se complicem vere esse, et confessarius illum talem esse *sciat* et nihilominus absolvat. Quod si *inadvertenter* absolverit, tunc juxta communiorem sententiam, invalida quidem erit absolutio quoad ipsum complicitatis peccatum, valida vero quoad alia peccata, si poenitens sit in bona fide. Nec incurritur excommunicatio, dummodo ignorantia non sit crassa vel supina. Nam ad **dubium** : « *Utrum absolventes complicem in re turpi cum ignorantia* CRASSA *et* SUPINA *hanc excommunicationem incurrant, an non?*» S. C. S. OFF. (16 Jan. 1892) **respondit** : «*In casu incurri.* » Ap. N. R. T. (XXIV, 170).

Resolvitur 1. Confessarius **invalide** absolvit : 1°) poenitentem, cum quo habuit inhonestos sermones, quia turpiloquium est peccatum contra castitatem; 2°) poenitentem, cum quo convenit de seducenda muliere, licet postea non seduxerit : quia verificatur hunc poenitentem esse socium conventionis iniquae contra castitatem; 3°) poenitentem, qui ipsi permiserit et magis si ipsum invitaverit, ut peccaret cum propria uxore vel filia, quia permittendo vel invitando participat de crimine confessarii ideoque complex est : cum complex et particeps unum idemque sint; 4°) poenitentem, a quo solum audivit turpes sermones, si ostendit eos sibi placere : quia exterius se complacendo de illis participavit, ideoque est complex peccati turpis; 5°) poenitentem, cum quo mortaliter peccavit contra castitatem in juventute sua; 6°) poenitentem impuberem complicem : quia prohibitio facta confessario absolvendi complicem reservationis rationem proprie non habet, cum ipsi, non aliis confessariis potestas absolvendi auferatur; 7°) poenitentem, qui a peccato complicitatis fuit ab alio confessario indirecte absolutus, nempe si ex oblivione inculpabili in confessione alteri confessario facta hoc peccatum non manifestaverit : quia quum adhuc poenitens teneatur hoc peccatum confiteri, illud manifestare tenetur confessario habenti jurisdictionem, quam quidem non habet confessarius complex; 8°) poenitentem, generalem suorum peccatorum confessionem facientem, si certum sit confessiones anteactas fuisse invalidas : quia tunc manifestaretur peccatum confessario cujus jurisdictio est nulla; 9°) poenitentem, qui vi privilegii posset absolvi a quocumque peccato Summo Pontifici

reservato : quia hoc peccatum proprie non est reservatum, quum quilibet confessarius non complex ab eo possit absolvere. Ex quo consequitur, confessarium habentem potestatem absolvendi a casibus Summo Pontifici reservatis, non posse ideo suum complicem absolvere. **Resol. 2.** Contra confessarius, qui puellam dormientem vel omnino reluctantem impudice tangit, quamvis ejus confessionem non debeat excipere, ne in periculum gravius peccandi se conjiciat; tamen si absolvat, **valide** absolvit quia non absolvit a peccato complicitatis. Idem dicendum si actus externus fuerit solummodo et sub omni respectu juxta explicata (pag. 333) peccatum veniale, puta tactus manus, licet ab affectu libidinoso procedat : quia superior, sicut sibi non reservat peccatum externe tantum veniale, ita nec quoad peccatum in hoc casu aufert juridictionem. Cfr. N. R. T. (XIV, 531 seq. et XXXI, 142 seqq.).

ART. 2. De confessario sollicitante ad turpia.

Q. 93. *Quid* sit SOLLICITATIO, quatenus ex jure ecclesiastico *denuntiationi* est obnoxia?

R. *Est provocatio ad turpia, facta a sacerdote, cum quadam relatione ad confessionem.* Itaque ut, vi Const. GREG. XV « *Universi dominici gregis* » (30 Aug. 1622) et BENED. XIV « *Sacramentum Poenitentiae,* » (1 Jun. 1741) crimen sollicitationis denuntiandum sit, necesse est : 1°) ut intercesserit *provocatio*, eaque 2°) *ad turpia;* 3°) ut haec *a sacerdote* sit facta; et quidem 4°) cum quadam *relatione ad confessionem*, ita ut locum habuerit « *vel* IN ACTU *sacramentalis confessionis, vel ante vel immediate post confessionem, vel occasione aut praetextu confessionis, vel etiam* EXTRA *occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo cum* SIMULATIONE *audiendi ibidem confessionem.* » Ita BENED. XIV (*l. c.*) ex GREG. XV (l. c.).

Explanatur. Dixi : 1°) **Provocatio,** i. e. invitatio seu incitatio, quocumque modo fiat, « *sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam;* » modo dictum vel factum fuerit *certa* sollicitatio : si enim *dubia* sit, sive dubio *juris*, sive *facti*,

cessat obligatio denuntiandi : tum quia in dubio nemo fama sua privandus est; tum quia delicta dubia non sunt dicenda delicta; tum quia in poenis benignior interpretatio est facienda.— Interim non requiritur, ut sequatur principalis effectus per sollicitationem intentus seu quod persona provocata consentiat, sed sufficit, quod sit attentatus, ut constat ex verbis RR. PP. : « *sollicitare vel provocare tentaverint..., sive sollicitationi poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit.* » Nec interest, sollicitetur *femina* an *vir*, aut in *cujusnam* gratiam sollicitatio fiat : sed sufficit, sollicitetur « *quaecumque persona illa sit* » aut « *sollicitatio a confessario non pro se ipso sed pro alia persona peracta fuerit.* »

Dixi : 2°) **Ad turpia** : quo nomine intelliguntur omnia et sola peccata contra castitatem admissa, adeoque omnes actus externi luxuriae tum consummatae, tum incompletae, v. g. turpiloquia, tactus impudici, oscula quoque, si adjunctam habent circumstantiam impudicam vel affectum ad impudica manifestant. Hinc, si provocatio fiat ad aliud crimen, etsi gravius, v. g. furtum, perjurium, etc., cessat sollicitatio.— Utrum vero denuntiandus sit confessarius sollicitans ad actus tantum *venialiter* turpes, DD. *disputant.* Alii **negant** cum S. Lig. (VI, 683) : quia Bened. XIV hoc sollicitationis crimen vocat *nefariam improbitatem*, quod peccatum certo grave denotat. Nec dicas culpam in se levem reddi gravem ob reverentiam sacramento debitam : alias omne veniale in confessione vel ejus occasione commissum fieret mortale, ob irreverentiam sacramento irrogatam, quod falsum est. Alii **affirmant** ob *Declarationes* S. Off. (XI Febr. 1661) quae fuerunt *approbatae* et *confirmatae* a Bened. XIV in *Bul. cit.* Ibi enim (sub n. 3) qualificatores ad quaest. : « *An confessarius sollicitando propter parvitatem materiae sit denuntiandus?* » Resp. : « *Cum in rebus* venereis *non detur parvitas materiae, et si daretur, in re praesenti non daretur, censuerunt esse denuntiandum et opinionem contrariam non esse probabilem.* » Verum « id intelligunt, ait Scav., si actus sit plene deliberatus et insuper si ex circumstantiis certe conjiciatur, sacerdotem levi illo actu animum revera habere ulterius progrediendi.» Loquuntur enim de rebus *venereis*, quo nomine per se non veniunt actus leviter dumtaxat inhonesti. Quare non video, cur. S. Lig., ut plerique aestimant, hic foret rejiciendus, eo magis, quod nil

hujusmodi reperiatur in nova *Instruct.* S. Off. *ad Episcopos* (20 Febr. 1867) circa observantiam Const. Bened. XIV « *Sacram. Poenit.* » Ap. N. R. T. (VIII, 345-361). Quidquid sit, sollicitatio in casa foret *dubia*, et ideo cessat denuntiandi obligatio.

Dixi : 3°) **Facta a sacerdote,** qualiscumque sit, sive saecularis, sive regularis, sive approbatus, sive non. Quare, si is, qui sollicitat, non sit sacerdos, denuntiatio, ex hoc capite, cessat. Juxta nonnullos cum S. Lig. (VI, 688) denuntiandus foret vi Const. Greg. XIII quicumque non sacerdos qui confessiones audire praesumpsisset. Sed, ut observat Bucceroni (*Comment.* in Const. Bened. XIV), Greg. XIII in sua Const. « *Officii nostri partes* » (6 Aug. 1574) nihil de denuntiatione habet, sed dumtaxat declarat et definit praedicti criminis *cognitionem et punitionem ad Inquisitores pertinere.*— Utrum vero fieri debeat, si **poenitens** sollicitaverit et confessarius tantum *consenserit*, DD. *disputant.* Alii **negant** cum S. Lig. (VI, 681) : tum quia in Bul. Greg. XV illis solis poenitentibus debent confessarii imponere onus denuntiationis « *quos noverint fuisse ab aliis sollicitatos :* » jam vero *sollicitantes* dici nequeunt *sollicitati ;* tum quia, cum poenitens in casu denuntiationem facere non valeat, quin seipsum diffamet, non censetur Papa eum ad tantum onus obligasse ; tum quia odiosa sunt restringenda. Alii, immo plerique, **affirmant** dicuntque, priorem sententiam fuisse reprobatam a Bened. XIV in *Bul. cit.* « Sed perperam hoc venditat, » ait S. Lig. (H. A. XVI, 173), dum Pontifex nihil aliud dixit, nisi quod debeat denuntiari, « *etiamsi sollicitatio inter confessarium et poenitentem mutua fuerit,* » ut si confessarius sollicitatus ad unam speciem peccati turpis, ipse dein ad aliam sollicitet, aut cum in principio dissentit et post aliquod tempus sollicitare incipit. Nec iterum **objicias** *Declarationes* S. Off. *sup. cit.*, ubi Qualificatores (sub n. 9) ad quaest. : « *An confessarius sollicitatus, si metu inductus sollicitationi consentiat, sit denuntiandus?* » Resp. : « *Censuerunt esse denuntiandum et negativam opinionem non esse probabilem.* » Cum igitur denuntiandus sit, si *metu* inductus consentiat, a fortiori, si *sponte* id fecerit. Non, inquam, objicias hoc : nam **Resp.**: praeterquam quod nil hujusmodi reperiatur in nova *Instruct.* S. Off., id quod dicunt Qualificatores, mihi videtur esse ulterior explicatio eorum, quae *ibid.* leguntur (sub n. 8), ubi ad quaesitum : « An

quando confessarius et poenitens invicem se sollicitant, confessarius sit denuntiandus? » QUALIFICATORES « *Affirmative responderunt et opinionem negativam non esse probabilem*, » atque adeo pertinent ad casum *mutuae sollicitationis*, ita ut sensus sit : confessarium, non modo *sponte*, sed etiam *coacte* sollicitationi consentientem, esse denuntiandum, *modo postea et ipse sollicitaverit*. — Saltem in casu lex denuntiandi foret *dubia*. Et sane, si certo constaret opinionem quam defendit S. LIG., jam antea a R. Pontifice solemni Constitutione fuisse proscriptam, aegre quidem intelligeretur quomodo S. POENIT. (5 Jul. 1831) respondere potuisset Theologiae professorem *tuto sequi ac profiteri posse* opiniones quas in sua Theol. Moral. profitetur B. Alp. a Lig.; *neque inquietandum esse confessarium*, qui omnes ejus sequitur opiniones in praxi S. Poenit. tribunalis. Praeterea, si reapse haec eadem opinio a S. Sede proscripta esset, quomodo, quaeso, eam propugnare potuissent tanquam non improbabilem VINDICIAE ALPH., qui liber prodiit Romae cum approbatione auctoritatis ecclesiasticae? Quomodo, inquam, de eadem re controversiam adhuc agitat FERRARIS in sua *Biblioth.* quod opus BENEDICTO XIV dedicatum est et Romae editum? — **Nec obstat** quod legitur in *Instruct.* S. Officii (20 Febr. 1867) sub n. 2 : « *Denuntiare oportet quemcumque sacerdotem etiam jurisdictione carentem, sollicitantem in confessione, vel etiam poenitentis sollicitationi consentientem, quamvis statim dissentientem de turpi materia loqui, illius complementum ad aliud tempus differentem et non praebentem absolutionem poenitenti.* » Quae verba desumpta sunt ex *Decl.* S. Off. (XI Febr. 1661) approbata et confirmata a BENED. XIV, ubi sub n. 2 Qualificatores ad QUAESITUM : « *An confessarius consentiens sollicitationi, sed statim desistens de illa turpi materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus, et non praebendo absolutionem poenitenti, incidat in poenas contentas in Bulla Gregorii et sit denuntiandus?* » RESP. : « *Censuerunt incidere et confessarium esse denuntiandum, rejecta opinione contraria, quam non esse probabilem censuerunt.* » **Non obstat**, inquam : quia reapse confessarius, de quo in utroque loco agitur, non est *mere consentiens*, sed *consentiens simul et sollicitans*, ita ut habeatur *mutua sollicitatio*. « Etenim, ait BUCC. (l. c.), ille confessarius postquam sollicitationi consenserit, desistit de illa turpi materia

loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus, ita desistendo et differendo vicissim ipse sollicitabat detinendo et confirmando poenitentem in ea turpitudine, et medium tunc, uti patet, sollicitationis ponebat complendae magis opportuno tempore. »

Dixi : 4°) **Cum aliqua relatione ad confessionem.** Hinc cessat denuntiatio, si sollicitatio fiat in aliis sacramentis, puta in baptismo, in matrimonio (*Declar.* S. Off. sub n. 10). Porro habere potest **relationem ad confessionem**, non tantum quatenus facta sit **in confessione**, sed etiam **extra illam**.

Si 1°) provocatio ad turpia habita fuerit a sacerdote **in confessione**, urget denuntiandi obligatio : sive provocaverit poenitentem **in actu confessionis**, i. e. intra spatium quod currit inter initium et finem confessionis, sive absolutio sequatur, sive non; sive **immediate ante**, sive **immediate post.** Quod adverbium *immediate* stricte est intelligendum, ita ut inter sollicitationem et confessionem, inter confessionem et sollicitationem, *nihil aliud mediet*, i. e. si neque sacerdos, neque poenitens ad alia facta diverterint, ut si petentem confiteri sollicitet et continuo confessionem ejus excipiat, vel confessum statim in cubiculum duxerit et provocaverit. Et quoniam provocatio multis modis fieri potest, ut dictum fuit (pag. 345 seq.), ideo urget denuntiatio, quoties sacerdos in *ipsa* confessione, vel immediate *ante*, vel immediate *post*, aliquid fecerit aut dixerit sollicitandi animo, etsi hic animus postea tantum apparuerit; veluti si domum invitet poenitentem, aut domi suae ipsum exspectare se jubet et domi sollicitet, aut si det ipsi chartam, in qua eum ad turpia incitat, postea legendam. Quo spectat prop. damn. ab Alex. VII sub n. 6 : « *Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit poenitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione ac proinde non est denuntiandus.* »

Si 2°) provocatio habita fuerit **extra confessionem**, tunc quoque denuntianda est, si facta fuerit : vel confessionis **occasione**, vel **praetextu** confessionis, vel cum **simulatione** confessionis. — **A**) **Occasione** confessionis fit, tum si petentem *statim* confiteri, confessarius *illico* provocat, confessione dilata in posterum; tum si illum, etsi non petentem, v. g. aegrotantem, quasi confessurus adierit, vel sponte sua, vel vocatus ab alio. — Utrum

vero denuntiandus sit confessarius, qui, cognita in confessione fragilitate poenitentis, domi eum adit et sollicitat, DD. *disputant*. Alii **affirmant,** dummodo, ex indiciis, sufficienter constet, eum ex illa scientia, non autem ex aliis causis, ad sollicitationem fuisse inductum. Et haec sententia est «*probabilior*» juxta S. Lig.(VI,678). Alii, « *probabilius* » juxta quosdam, **negant** : quia tunc non utitur occasione confessionis, sed tantum notitia in confessione habita.— **B) Praetextu** confessionis fit, si sacerdos confessionem praetextat ut poenitentem decipiat, i. e. prius exposcat, an velit confiteri, ut eum sollicitet; non vero si poenitens eam praetextat, ut confessarium sollicitet, nec si ipse confessarius aut etiam uterque ex conventione eam praetextant ad alios dicipiendos. Hinc, qui licentiam a superiore peteret, ut in domum mulieris se conferat praetextu confessionis, sed finis esset eundi ad eam tentandam, non esset denuntiandus, quia praetextus confessionis non est respectu poenitentis, sed superioris. Similiter cessat denuntiatio, si confessarius cum poenitente convenit, ut se infirmum simulet, et praetextu confessionis ad se eum advocet : quia tunc sollicitatio fit non respectu confessionis, sed sub tali respectu exsecutioni mandatur eorum indigna conventio, et sic praetextus non inservit ad sollicitandum, sed ad domesticis et aliis illudendum. **C) Simulatione** confessionis fit, si dum fingens confessionem audire, poenitentem ad turpia provocat. Ast ut dicatur *simulare* confessionem, requiritur, ut specie tenus, qua alii decipiantur, confessio agi videatur; et ideo necesse est, ut sacerdos se habeat : vel **in confessionario,** vel **in alio loco destinato** aut **electo ad audiendas confessiones,** utque nedum in hoc et in isto, quod nemo dubitat, sed et in illo fingat se confessionem audire, ut constat ex *Decl.* S. Off. (sub n. 15) : « *An sit denuntiandus confessarius, qui sedens in* Confessionario *sollicitat mulierem* stantem *ante confessionarium non simulando confessionem?* R. « *Censuerunt opinionem negativam non carere sua probabilitate.* » Porro loca ad audiendas confessiones *destinata* sunt etiam *sacristiae* et alia in domibus religiosorum (S. Off. 25 Nov. 1874) ap. N. R. T. (VIII,647). Locus autem *electus*, est quivis alius in quo confessio vel auditur vel simulatur.

Q. 94. Dic : 1°) *cui* facienda sit denuntiatio ; 2°) *quomodo ;* 3°) a *quibus* et 4°) sub qua *poena?*

R. Ad 1[um]) Facienda est : vel *Inquisitori*, sicubi tribunal Inquisitionis exsistit ; vel *Ordinario loci*, sive delicti, sive denuntiantis, sive delinquentis, quamvis sollicitans ab ordinaria jurisdictione quomodolibet sit exemptus.

Explanatur. Non modo *Ordinarii*, sed etiam omnes **Vicarii apostolici** nunc possunt accipere denuntiationes in materia sollicitationis ad turpia, sed remittere debent ad S. Officium per medium S. C. de P. F. in epistola clausa nomina sollicitantium, ut constat ex decreto S. C. Inq. (20 Jun. 1885), eadem die a Leon. XIII approbato.— Quod si *sollicitans* fuerit **episcopus**, quod absit vel cogitare, juxta alios, quibus adhaeret S. Lig. (VI, 685), denuntiandus est apud Pontificem ; juxta alios, quos sequitur Baller., denuntiatio cessat. Horum ratio est : quia, cum hic agatur de lege positiva, et nihil in ea dicatur de denuntiandis episcopis, non appareret, cur ea obligatio, nulla lege praecipiente, imponatur. — Quoniam tamen, ut observat Scavini, « vel independenter a pontificiis constitutionibus, ille qui scit sacerdotem vel clericum habitualiter turpiter vivere, aut ad turpia sollicitare, tenetur (ipsa charitatis lege) illum episcopo denuntiare ; agitur enim de avertendis gravissimis malis in ruinam delinquentis, in perniciem animarum, et in religionis dedecus vergentibus ; » ideo non immerito quis **concluserit**, hanc naturalis legis obligationem, ubi agitur de **episcopo sollicitante**, majori ratione valere, si revera adsit praedictum scandali periculum.

R. Ad 2[um]) *Modum* faciendi denuntiationem tradit nova Instructio *S. Off.* (20 Febr. 1867), quae ubique terrarum « *inconcusse ac inviolabiliter* » observanda est.

Explanatur. Et quidem, ut dicitur (*ibid.* n. 7) : « *denuntiationis onus est* **personale** *et ab* **ipsa persona** *sollicitata adimplendum.* » Qui vero nunquam potest per se denuntiare, per alium vel per epistolam adeat Ordinarium vel S. Sedem per S. Poenitentiariam vel Supremam Inquisitionem, et deinde juxta ejus mandata se gerat. Quod si nullo impedimento detentus denuntiationem omnino renuat, laudandus est confessarius, qui Ordinarium vel S. Sedem pro opportunis providentiis consuluerit, suppresso tamen poenitentis nomine (*ibid.*). Ceterum Supr. Inquisitio « ut plurimum

nonnisi a tertia denuntiatione » solet reum vocare in judicium (*ibid.* n. 11).

R. Ad 3^um^) Facienda est : tum ab illis, qui sollicitationem RESCIVERINT, dummodo resciverint a personis *fide dignis* (*Decl.* S. OFF. 11 Febr. 1661 sub n. 14), nec revelata eis fuerit *consilii* petendi causa (S. LIG. VI, 698); tum maxime a POENITENTE SOLLICITATO, licet, prae simplicitate vel ignorantia, eam non nisi *serius* intellexerit (S. OFF. 11 Maii 1707); vel ipse *consenserit* aut sollicitatio *mutua* fuerit, cum possit hoc reticere, immo et negare, si desuper, quod absit, interrogaretur; vel *occulta* fuerit et probari nequeat. Nec liberatur confitendo ei qui sollicitavit, ut constat ex prop. damn. ab ALEX. VII sub n. 7 : « *Modus evadendi obligationem denuntiandae sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante : hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.* »

Explanatur. Et quidem, ut totidem verbis habetur in INSTRUCT. *cit.* (n. 3, 4, 5) hujusmodi denuntiationes « *a nemine* » absque « **culpa lethali** » omitti possunt. Qua de re poenitentes « *debent admoneri,* » neque ab iis admonendis instruendisque « *eorum bona fides excusat.* » Confessarii autem, qui de hac obligatione poenitentes suos non admonent, « *debent puniri,* » nec possunt eos absolvere, nisi saltem promittant eam « *quo citius poterunt faciendam.* » Quia tamen, ut habet S. LIG. (VI, 699) « *praecepta positiva non obligant ad rem nimis arduam,* » ideo cessat denuntiandi obligatio, *quamdiu* fieri nequeat « *absque gravi incommodo* » denuntiationi *extrinseco* ; ut si, juxta MAZZ., poenitenti « ex denuntiatione immineat damnum notabile, puta jactura famae, honoris, vitae, aut magnae partis bonorum sibi, vel suis consanguineis et affinibus : quia sollicitans non est haereticus formalis, sed suspectus de haeresi, ideoque praeceptum denuntiationis non obligat cum tanto onere; » item « si confessarius sollicitans sit consanguineus personae sollicitatae, quia damnum illius censetur damnum proprium. » Quod plures extendunt cum S. LIG. (IV, 250, H. A. XIII, 76) ad omnes conjunctos usque ad 4 gradum ; « sed nimis laxe, » ait MAZZ. (l. c.).

Utrum vero denuntiandus sit sollicitans, si jam *certo* sit **emen-**

datus, DD. *disputant.*—Multi **negant** cum Lugo, Billuart, quorum sententia nedum extrinsece sed etiam intrinsece satis probabilis est. Ratio enim eorum est : quia finis denuntiationis est emendatio rei, et ablatio damni, quibus jam obtentis, cessante fine legis principali, cessat etiam lex *naturalis* denuntiationis, quae principaliter respicit emendationem ; nec lex *positiva* ejus ordinem invertere potest. Et hanc sententiam « *a plurimis DD.* » defendi, asseverant Salm. — Alii **affirmant,** cum Suar., Bon., et Salm., qui hanc sententiam certe tenendam esse aiunt, dicuntque praeceptum denuntiandi non exstingui, nisi *secuta morte* sollicitantis; de quo ultimo, ut per transennam dixerim, non licet dubitare, cum ad **dubium** : « *Utrum denuntiandus sit Titius confessarius, licet pluribus ab hinc annis* **defunctus,** *qui mulierem occasione confessionis sollicitavit?* » S. Poen. (24 April. 1884) ap. N. R. T. (VII, 451) **respondit** : « *Negative.* » Idemque jam declaraverat S. C. Inq. (6 Mart. 1839) ap. N. R. T. (*loc. cit.*). — Ratio hujus secundae sententiae, quam « *absolute probabiliorem* » judicat S. Lig. (VI, 686), haec est : quia Pontifex magis, quam emendationem rei, ejus punitionem intendit, ad damnum Ecclesiae reparandum, et ad resarciendum scandalum.

Resolvitur. Itaque, stante probabilitate satis valida primae sententiae, in casu lex denuntiationis *dubia* evadit. **Nec obstat,** denuntiationem fieri debere, etiamsi — vel « *longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit* » (Bened. XIV *Const. cit.*); — vel « *nulla fraterna correctio praemissa fuerit vel alia monitio* » (Alex. VII Const. « *Licet alias* » 8 Jul. 1660); — vel poenitens « *sciret sollicitantem sponte comparuisse* » (S. Off. 26 Jul. 1628): quia per haec **sola** : nempe, *longum tempus*, *fraternam correctionem* aut *spontaneam comparitionem* non obtinetur satis *certa emendatio*. Quare, si consideratis omnibus circumstantiis, morali certitudine constaret de vera emendatione, denuntiatio omitti probabiliter poterit.

R. Ad 4^{um}) Quamvis omnes, qui certam sollicitationis notitiam habent, sollicitantem denuntiare teneantur, soli tamen sollicitati ex Bul. « *Apost. Sedis* » ad id tenentur sub poena *excommunicationis* nemini reservatae, si intra mensem a die scientiae suae obligationis denuntiare recusent.

Q. 95. *Quaenam* POENAE contra *sollicitantes* decernantur?

R. Sunt variae, quibus BENED. XIV in decret. (5 Aug. 1745) addidit perpetuam inhabilitatem ad sacrificii celebrationem, si sollicitatio facta sit *in actu*, vel *occasione*, vel *praetextu* confessionis. Sed omnes hujusmodi poenae sunt *ferendae sententiae*.

Q. 96. *An* EPISCOPUS ferre posset *statutum de denuntiando* sacerdotes, ad turpia sollicitantes, *absque relatione ad confessionem?*

R. Negant plures canonistae, praesertim recentiores.

Explanatur. Ratio : quia episcopus est incompetens ad puniendum delictum *occultum*. Quantumvis enim certioratus de exsistentia delicti sibi manifestati, nullo modo contra reum procedere potest propter defectum omnis probationis canonicae et juridicae : quia nemo potest damnari, nisi vel confessus judicialiter, vel legitimis testibus et probationibus convictus. Quod si aliter statuatur contra confessarios in confessione vel occasione aut praetextu confessionis ad turpia sollicitantes, hoc fit per exceptionem omnino extraordinariam, quam S. Pontifex solus facere potest. Cfr. GURY, *Cas.consc.* (II, 648 not.).

CAP. 4. De munere confessoris.

Q. 97. *Quotuplex* sit MUNUS seu OFFICIUM confessoris?

R. *Quadruplex* : PATRIS ; DOCTORIS ; MEDICI et JUDICIS.

Resolvitur 1. Qua **pater,** viscera *charitatis* induat, considerans seipsum misericordia indigere, ideoque ita se gerat, ut nil videatur *in vultu*, nil ostendatur *in corporis gestu*, nil audiatur *in voce*, quod non redoleat mansuetudinem Christi, tum IN PRINCIPIO : omnes, sine personarum acceptione, tam pauperes, quam divites, tam peccatores, quam justos, benigne excipiendo ; tum IN DECURSU : patienter audiendo ac peramanter adjuvando ; tum IN FINE : cunctos spe erigendo, ac durissimorum quoque corda, omni exhausta charitatis industria, sic *actu* parando, ut nemini, *quantum fieri possit*, secundam post naufragium tabulam recusare teneatur, sed paratis universis osculum pacis impertiri valeat ; hisce praesertim tristis-

simis diebus, quibus dominica sacramenta apud plures in despectionem veniunt, Christique jugum insupportabile et onus ejus gravissimum blasphemare non erubescunt. Uno verbo, secum continuo reputet cum Conc. Trid. (*de Ref.* Sess. XIII, c. 1) : quod « *saepe plus erga corrigendos agat* benevolentia, *quam* austeritas; *plus* exhortatio, *quam* comminatio; *plus* charitas, *quam* potestas. » Et quoniam, ut ait Catech. Rom., « *sacerdoti maxime verendum est, ne semel dimissi amplius non redeant,* » ideo, docente Leone XII, Const. « *Charitate Christi* » (25 Dec. 1825) : « *Si justa sit causa, cur* differenda *sit absolutio, verbis, quoad poterit, humanissimis, persuadeat confessis necesse est, id et munus officiumque suum et eorum ipsorum salutem omnino postulare, eosque ad redeundum quam primum blandissime alliciat, ut iis fideliter peractis, quae salubriter praescripta fuerint, vinculis soluti peccatorum gratiae coelestis dulcedine reficiantur.* » **Resol. 2.** Qua **doctor**, esto, ex Bened. XIV, Enc. « *Apostolica constitutio,* » (26 Jun. 1749), § 21, scientiam « *eminentem* » habere non debeat; tamen « *necesse omnino est, ut* competenti *saltem scientia sit instructus;* » ita ut, docente S. Lig. (VI, 627), « *intelligat quae frequentius accidunt, et de aliis sciat dubitare.* » **Resol. 3.** Qua **medicus,** polleat *prudentia*, qua possit poenitentem congruis curare remediis eumque contra relapsus praeservare. **Resol. 4.** Qua **judex,** debet servare *aequitatem*, ut solvat aut liget, non quidem pro suo arbitrio, sed sicut a Deo sibi praescriptum est.— Has dotes si habeat confessarius, et aliunde ita vivere conetur, ut ipse « *in nullo eorum sit judicandus, quae in alio judicare est promptus* » (Can. *Qui vult, de poen. dist. 6*), cum gaudio suum exsequatur officium, memor verborum S. Canonici de Rubeis *(de Rossi)* nuperrime a Leone XIII in albo Sanctorum relati : « *Audire confessiones, omnium viarum ad coelum est via brevissima.* » Quod dictum plane congruit, juxta mentem V. Bedae, promissioni factae (Jac. V, 20) : « *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.* »

Q. 98. *An* confessarius *teneatur* poenitentes *ignorantes* docere ?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Ignorantia versari potest : — vel **circa directe**

pertinentia ad sacr. poenit. hic et nunc rite suscipiendum; — vel **circa alia.**

Si **primum** : *Affirm.*, quia, ut minister sacramenti, ejus validam ac licitam administrationem procurare debet. Hinc tenetur poenitentem, quacumque ignorantia laboret, instruere circa peccata mortalia integre confitenda, dolorem, propositum et scitu necessaria necessitate medii (tom. I, pag. 286 seq.).

Si **secundum** : Non tenetur poenitentem instruere in particulari de omnibus quae scrire debet et aliunde potest, sed tunc solum, quando quis errans peccat : sive **1°**) tantum *formaliter* peccet, i. e. si putet illicitum esse quod licitum est, aut grave quod est leve; sive **2°**) *materialiter* tantum, i. e. si putet licitum esse quod est illicitum, aut leve quod est grave, aut obligationes, quibus forte tenetur, ignorat. Et quidem in PRIORI casu *semper* docere eum debet; in POSTERIORI vero, *quoties* speratur fructus, cum etiam materialia peccata sint pro possibili praecavenda. Secus, *saltem ordinarie loquendo*, ubi fructus non speratur aut gravius malum secuturum timetur : quia de duobus malis melius est permittere peccatum materiale quam formale. Et hinc si confessarius noverit poenitentem invalide contraxisse matrimonium ob aliquod impedimentum occultum et periculum sit infamiae, scandali aut incontinentiae, si nullitatem manifestet, debet illum relinquere in bona fide, donec obtineatur dispensatio, nisi haec de facili et statim obtineri queat. — Dixi : **ordinarie loquendo**; quia admonitio fieri debet : **A**) Si ignorantia, qualiscumque sit, vergat in detrimentum boni communis; et sic confessarius debet monere mulierem sollicitatam de denuntiatione facienda, etiamsi praevideat monitionem non profuturam. **B**) Si poenitens ipse interroget confessarium, qui tunc tenetur veritatem patefacere, non tamen plus respondendo, quam interrogetur; et hinc si habens impedimentum dirimens, post contractum matrimonium interroget de valore sui matrimonii, debebit ei dici, quod sit nullum, ideoque nequeat petere debitum; non tamen, nisi de hoc ipso interroget, statim etiam ei semper aperiendum est, quod non possit reddere, si hoc invincibiliter ignorare advertatur.

Q. 99. Dic : 1°) *quandonam* et 2°) *quomodo* confessarius teneatur poenitentem INTERROGARE ?

R. Ad 1um) Quoties rationabiliter praesumit vel dubitat, poenitentem vel omittere vel non sufficienter declarare ea, quae ad cognitionem causae necessario requiruntur.

Explanatur. Constat ex Rit. Rom. : « *Si poenitens numerum et species et circumstantias peccatorum, explicatu necessarias, non expresserit, eum sacerdos prudenter interroget.* » Aliunde confessarius, qua *judex*, curare debet ut, quantum satis est, causa judicii sacramentalis instruatur. Praeterea, qua *pater*, non solum debet audire poenitentem, sed etiam eum adjuvare ad suam obligationem debite implendam, praesertim si agatur de rudibus et inveteratis peccatoribus.

R. Ad 2um) Ad *modum* interrogandi quod attinet, interrogationes sint : *moderatae*, *discretae*, *opportunae*.

Explanatur. Sint : 1°) **Moderatae,** juxta capacitatem poenitentis : quia confessarius non plus obligatur ad examinandum quam poenitens ipse ; alias sacramentum redderetur nimis grave tum ipsi confessario, tum poenitenti (pag. 274 seq.). Sint 2°) **Discretae**, praesertim in materia luxuriae, ubi potius patiatur confessarius aliquid deesse integritati materiali quam majoris mali causa sit (pag. 256). — Utique admitti nequit, quod confessarius conjuges circa **onanismi** peccatum interrogare nunquam debeat, ut constat ex censura S. U. I. (21 Maii 1851) ; contra, nostris temporibus, saltem certis in locis, confessarius aliquando non solum potest conjuges desuper interrogare, sed imo hoc facere tenetur ; non quidem per verba specialia, quaerendo ab eis, v. g. an impediverint generationem, se retrahendo a copula incoepta? aut an semen extra vas effuderint? sed per verba *generalia*, v. g. an leges matrimonii servaverint. Sint : 3°) **Opportunae,** ita ut fiant tempore et modo, quo convenit.

Q. 100. *Quid* agendum confessario : 1°) in dubio de *sinceritate* poenitentis ; 2°) quando *novit* peccatum poenitentis, de quo non se accusat?

R. Ad 1um) Post opportunas interrogationes, debet poenitentem absolvere, nisi aliquid obstet : tum quia, dicente S. Thoma (*Suppl.* q. 8, a. 5 ad 2) : « *In foro confessionis creditur*

homini et pro se et contra se ; » tum quia in dubio quisquis verax praesumitur.

R. Ad 2um) *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel novit peccatum **ex confessione** complicis, vel **extra confessionem.**—Si **primum** : non potest poenitentem in specie de tali peccato interrogare, ne indirecte violetur sigillum ; nisi sit peccatum ejusmodi personis commune, et de quo tales personae communiter interrogari solent.—Quod si illud **neget** poenitens, utrum tunc confessarius eum absolvere *debeat,* DD. *disputant. Alii,* quibus adhaeret S. Lig. (V,631), dicunt, non posse dari absolutionem, sed expedire, ut confessarius aliquid oret, v. g. *Misereatur tui,* etc., ad occultandam negationem absolutionis. *Alii* cum Elbel sentiunt, eam dandam esse sub conditione. *Alii,* quos inter insignes DD. Bill. Spor., Lug., Sass., docent cum antiquis, conformiter ad allatum principium S. Thom. (l.c.), et rectius ut videtur, eam absolute esse concedendam : tum quia non licet uti notitia ex confessione habita cum gravamine poenitentis : tum quia, cum confessario *certo* constare debet de peccato quod negat poenitens, ipsi potius quam cuique alteri credere tenetur. — Si **secundum** ; *Subdistinguendum est.* Vel **ipse confessarius vidit** poenitentem peccantem, et certo scit non esse confessum ; vel novit tantum **ex aliorum relatione,** quantumvis fide digna. — Si **prius** : debet ipsum negantem, ut certo indispositum, repellere.—Si **posterius** : debet absolvere : quia poenitenti pro se et contra se dicenti creditur, quando evidenti confessoris notitia convinci non potest, nec magis aliis, quantumvis fide dignis, quam illi credere tenetur confessarius ; aut si commisit, forte confessus est, vel putat se habere causam reticendi aliqua.

Q. 101. Dic : 1°) *An* et *qualis* CERTITUDO de dispositione poenitentis in confessario requiratur et sufficiat, ut eum, qua *judex*, rite absolvere queat ? 2°) *Quis* ERROR speciatim hic sit notandus ?

R. Ad 1um) Extra casum necessitatis, requiritur et sufficit certitudo moralis *late dicta*, quae in veram aut, ut loquitur S. Lig. (VI, 461) in « *prudentem probabilitatem de dispositione poenitentis* » resolvitur ; — seu judicium *prudens*,

i. e. innixum in motivo gravi, etsi non excludat omnem omnino formidinem de opposito.

Explanatur. Consonat Catech. Rom., ubi de confessario dicit : « *Si, audita confessione, judicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem poenitenti* omnino defuisse, *absolvi poterit.* » « Ergo, concludit S. Lig. (*l. c.*) semper ac confessario positive non innotescat, poenitenti omnino defuisse dolorem, ipsum absolvere potest. » Ratio est : tum quia non potest plus exigi a confessario, quam ut officium suum prudenter et moraliter adimpleat ; tum quia ipse poenitens vix aut ne vix quidem certitudinem proprie dictam habere potest de recta animae suae dispositione, adeoque multo minus confessarius, juxta illud quod dicit S. Thomae : « *Homo non potest facile affectus proprios mensurare, adeoque minus alienos.* » — Quod autem ad absolvendum sufficiat, ut confessarius *prudenter* judicet, poenitentem hic et nunc esse bene dispositum, id verum est etiam : tum quando timet, immo praevidet, poenitentem relapsurum in peccatum (pag. 242) ; tum quando poenitens secutus est opinionem vere probabilem contra opinionem probabiliorem confessarii (tom. I, p. 105). — Dixi : **extra casum necessitatis** : nam in eo constitutus, absolvi potest poenitens de cujus dispositione dubitatur (pag. 221).

R. Ad 2^{um}) Duplicem errorem hic docuit Quesnellus.

Explanatur. Docuit : 1°) Regulariter nullum, quamtumvis dispositum, esse absolvendum, nisi *ante absolutionem* opera quaedam poenalia, ad istar veterum canonum poenitentialium, praestiterit. Docuit : 2°) Naturam sacramenti postulare, ut adimpletio satisfactionis sacramentalis de via ordinaria praecedat absolutionem ; poenitentias vero, quae imponuntur adimplendae post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostrae reconciliationis, quam ut poenitentias vere sacramentales. Quem *duplicem* errorem promovere visi sunt Pistorienses, prop. 35 et 36 inter damnatas a Pio VI, Bul. « *Auctorem fidei.*

Q. 102. Dic : 1°) *Undenam* colliget confessarius legitimam

poenitentis DISPOSITIONEM ; et 2°) *quotupliciter* signa hujus dispositionis distinguantur ?

R. Ad 1um) Cum poenitentis dispositio, i. e. dolor et propositum, videri non possit in re, sequitur illam colligendam esse ex *signis*.

R. Ad 2um) Signa dispositionis *dupliciter* distinguuntur.

Explanatur. Alia sunt **ordinaria**, i. e. quae ordinarie occurrunt et sufficiunt. Talia sunt : **1°**) debita poenitentis ad confessionem praeparatio ; **2°**) confessio proprio motu facta, in iis praesertim regionibus, ubi fides elanguit et respectus humanus a sacramentorum frequentatione fideles retrahit ; **3°**) si, impleta confessione et exhausta ex parte confessarii omni charitatis industria, ut actu disponat poenitentem forte indispositum, hujus sequatur asseveratio de dolore et proposito, cum, ex TT. axiomate, *poenitenti credendum sit tam pro se quam contra se loquenti*, nisi evidenter aliquid obstet in contrarium : et sic homini injusto non creditur, si nolit restituere, uti nec scrupuloso dicenti se carere contritione. Audiatur LEO XII *(Const. cit.)* : « *Imparati enim illi tantummodo sunt judicandi, non qui vel gravissima admiserint flagitia, vel qui plurimos etiam annos abfuerint a confessione,.... vel qui rudes conditione aut tardi ingenio non satis in seipsos inquisierint, nulla fere industria sua id sine sacerdotis ipsius opera asseculturi ; sed qui, adhibita ab eo necessaria, non qua praeter modum graventur, in iis interrogandis diligentia, omnique in iisdem ad detestationem peccatorum excitandis, non sine fusis ex intimo corde ad Deum precibus, exhausta charitatis industria, sensu tamen doloris ac poenitentiae, quo saltem ad Dei gratiam in sacramentis impetrandam disponantur, carere prudenter judicenter.* »

Alia sunt **extraordinaria**, i. e. graviora, quae generatim non occurrunt, et quae quidem ordinarie non requiruntur, ut si poenitens exhibeat signum : seu uberioris gratiae, seu doloris intensioris, seu firmioris propositi.— Dixi : **A) uberioris gratiae** ; utputa : **1°**) si veniat permotus morte alicujus amici aut complicis ; calamitate publica vel privata, vel post concionem auditam ; vel **2°**) sponte prorsus, non autem praecepto aliquo aut ratione solemnitatis aut patrio more ductus ; vel **3°**) non sine aliqua difficultate, utsi longum

iter fecit, si ejus diei lucrum amisit.— Dixi : **B) doloris intentioris**; ut ecce : 1°) si specialia media, v. g. jejunia, eleemosynas, orationes et missas adhibuerit, ut bonam institueret confessionem; vel 2°) si edat suspiria et fundat lacrymas, praesertim post auditam confessoris monitionem, docente S. Leone (Epist. 82) : « *In dispensandis Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrymas gemitusque negligere, cum ipsam poenitendi affectionem credamus ex Dei inspiratione conceptam ;* » vel 3°) cum confitetur majori quam antea effusione cordis, aut peccata, quae prius culpabiliter praetermiserat; vel 4°) si, post confessoris admonitionem, significet, se et suas iniquitates et pericula sua melius agnoscere.— Dixi : **C) propositi firmioris**; velut : 1°) si dicat, se post peccatum statim poenituisse : vel 2°) si satisfaciendi se cupidum ostendat, si magnam poenitentiam libenter acceptet, si ex seipso protestetur mori se malle quam relabi ; vel 3°) si, quamvis in iisdem circumstantiis constitutus, minorem numerum peccatorum adferat, aut post ultimam confessionem diu se continuerit ; 4°) si ad se emendandum multo majorem conatum adhibuerit, aut jam occasionem fugerit vel amoverit, pravos libros combusserit, societati damnatae renuntiaverit.

Q. 103. *Quaenam* sint PRINCIPIA circa sententiam a confessario *ferendam?*

R. Quoniam omnibus omnino confitentibus absolutio danda non sit, docente Rit. Rom. : « *Videat diligenter sacerdos, quando et quibus* CONFERENDA, *vel* DENEGANDA, *vel* DIFFERENDA *sit absolutio ;* » ideo, ut recte ferat sententiam, attendat ad *quatuor*, quae sequuntur, PRINCIPIA.

Explanatur. Est **principium primum.** *Per se* loquendo, absolutio **dari debet** omni poenitenti rite confesso et legitime dispositio, idque *ex justitia*, et quidem *sub gravi*, saltem si agatur de poenitente mortalia confesso; quod addo : quia DD. *disputant*, utrum mortale foret sine ulla ratione, semel aut bis, non dare absolutionem poenitenti venialia tantum confesso, cum damnum sit facile reparabile. Ratio PRINCIPII est : quia poenitens rite dispositus habet jus ad absolutionem vi cujusdam contractus innominati : *facio, ut facias* (p. 207). — Dixi : **per se loquendo** ; quia quan-

doque graves causae occurrere possunt differendi ad aliquod tempus absolutionem.

Hinc **principium secundum**. Absolutio **differri potest** ad breve tempus, etiam poenitenti rite disposito et sine ejus consensu, si fiat ex gravi causa : v. g. ad discutiendum casum dubium, aut quando confessarius id omnino utile judicat ad poenitentis emendationem. Ratio : quia absolutionis dilatio non est ejus negatio; et, licet poenitens dispositus jus habeat ad absolutionem, non tamen jus habet ad eam statim sine mora accipiendam. Confessarius enim non tantum est *judex*, sed et *medicus*, adeoque recte potest, imo aliquando debet absolutionem differre, si judicet tale remedium animae poenitentis esse notabiliter profuturum. Interim ex S. Lig. (VI, 463) hac in re nulla certa regula statui potest, — sed varie aestimari debet ex rerum adjunctis et maxime : 1°) *ex peccatis*, quasi morbis; 2°) *ex personis*, quasi aegrotis : nam remedia quae aliquibus prosunt, aliis possunt nocere propter diversas infirmorum dispositiones; 3°) *ex tempore;* sic olim opinio communis fuit, dilatam absolutionem regulariter prodesse magis quam obesse : ast nostra aetate, verendum est, ne contra accidat.

Principium tertium. *Extra casum necessitatis*, absolutio **differri debet**; tum poenitenti manenti *dubie disposito*, usque dum prudens habeatur probabilitas de ejus dispositione; tum *in dubio, an aliquid aliud necessario requisitum adsit*, v. g. quoad jurisdictionem in confessario. — Dixi : **extra casum necessitatis**; nam secus est in necessitate, ubi absolutio danda est statim et sub conditione (pag. 221).

Principium quartum. Poenitenti, *certo indisposito* permanenti, absolutio omnino *neganda est* in omni casu, etiam extremae necessitatis. Et quidem signanter ex Rit. Rom. absolutionis beneficii sunt incapaces : « *qui* **NULLA** *dant signa doloris; qui odia et inimicitias deponere aut aliena, si possunt, restituere aut proximam peccandi occasionem deserere; aut alio modo peccata derelinquere et vitam in melius emendare* **NOLUNT**; *aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant et scandalum tollant.* » Uno verbo : iis omnibus deneganda est absolutio, qui gravem aliquam obligationem implere **renuunt.**

CAP. 5. De agendi ratione cum occasionariis, consuetudinariis et recidivis.

Q. 104. *Quis* proprie dicatur : 1°) OCCASIONARIUS; 2°) CONSUETUDINARIUS; 3°) RECIDIVUS?

R. Dicitur : 1°) *occasionarius*, qui versatur in occasione proxima peccandi; 2°) *consuetudinarius* seu *habituatus*, qui actibus saepe repetitis specialem propensionem seu facilitatem contraxit peccandi in certo genere peccati; 3°) *recidivus*, qui « *post confessionem*, seu potius juxta veteres TT. LUG., SALM., GOB., SANCH., LESS., FILLIUC., REIFF., etc., *post plures confessiones, admonitus licet, sine ulla emendatione in eadem peccata relabitur*, » sive ex fragilitate seu consuetudine, sive ex occasione proxima.

Resolvitur. Itaque **recidivus** *ante confessionem* nemo est, etsi millies eadem peccata iteraverit; nec *post confessionem*, nisi redierit : **1°**) *cum iisden*, quae confessus fuit; **2°**) *admonitus licet* de iis vitandis; atque **3°**) *sine ulla*, etiam inchoata, emendatione. Ex quo ultimo capite RECIDIVUS non est, si aliquatenus emendatus redierit : ut si per aliquod tempus se continuerit, immo, etsi nihil se continuerit, si aut invitus aut reluctans reciderit, aut praestiterit ea, quae sibi mandaverat confessarius.

Q. 105. *Quid* sit 1°) OCCASIO PECCATI; 2° quomodo *differat* tum a PERICULO peccati, tum a CONSUETUDINE peccandi, et 3°) *quotupliciter* DISTINGUATUR?

R. Ad 1^{um}) OCCASIO peccati, *generice* sumpta, est aliquid *extrinsecum*, alliciens ad peccandum, sive ex sua natura, sive ex fragilitate hominis, qui in illa reperitur, ut conversatio cum malo socio, cohabitatio cum certa persona.

R. Ad 2^{um}) Differt : tum a PERICULO peccandi, quo nomine venit quidquid ad peccatum inclinat, sive *intrinsecum* illud sit, sive *extrinsecum;* tum a CONSUETUDINE peccandi, quae tota est ab *intrinseco*, ut cum quis assuetus est pollutionibus, blasphemiis.

R. Ad 3^{um}) OCCASIO alia est *remota*, alia *proxima*, prout

raro vel *frequenter* conjungitur cum peccato. *Proxima* autem multiplex distinguitur.

Explanatur. Quanta autem requiratur **frequentia**, ut occasio sit **proxima**, non potest arithmetice determinari, sed definiri debet moraliter, pensata qualitate peccati, tentationis, infirmitatis personae peccantis, etc. Sicut enim, quae ore vel cogitatione fiunt, facilius committuntur, quam quae ipso externo opere; ita major numerus in illis quam in his requiritur. — Porro occasio **proxima** ulterius distinguitur : 1°) Alia dicitur **continua, praesens**, seu **in esse**, si objectum periculosum semper adest, ut est cohabitatio cum concubina, aut cum ancilla in venereis complice; alia **interrupta, non praesens** seu **non in esse**, si adest tantum per intervalla, ut frequentatio popinae respectu ebriosi. — 2°) Alia est **absoluta** seu **per se**, quae, attenta communi hominum dispositione, est omnibus proxima; seu, aliis verbis : quae ob vim suam extrinsecam movendi passim respectu omnium vel plurimorum conjungitur cum peccato, ut aspectus fixus rei valde turpis, frequentatio domus meretriciae, dormire in eodem lecto cum puella adamata, et similia; alia est **respectiva** seu **per accidens**, quae respectu particularis dispositionis est uni proxima, non alteri; seu in qua passim non omnes nec plerique, sed hic vel ille in particulari ex inclinatione sibi propria frequenter labitur. Sic fieri potest, quod duo cum eadem persona conversentur; quorum unus, quia ad peccatum pronus est, sit in occasione proxima; alter vero, qui vix ad talia movetur, aut qui novit se contra tentationes munire, non sit. De *respectiva* autem potissimum est quaestio : parum enim refert, si aliis sit remota, mihi autem proxima. — 3°) Alia est **voluntaria** seu **libera**, quae facile dimitti potest; alia **involuntaria** seu **necessaria**, quae non potest removeri seu PHYSICE, i. e. per vires naturae, ut si quis in mari navigans habeat concubinam, aut vinctus sit in carcere cum flagitiosis; seu MORALITER, i. e. quia dimitti non potest : vel **A**) *sine peccato*, ut si filius, habens cum ancilla, fratre aut sorore occasionem peccandi, eam deserere non possit, quin patrem offendat, qui eo indiget; si miles ante condictum tempus non possit fugere militiam, in qua frequenter peccat; si mulier, seposita legitima separatione, non possit deserere maritum, qui ei est occasio proxima peccati; vel **B**) *sine gravi aliquo*

incommodo, puta si, eam relinquendo, oriretur scandalum, aut quis pateretur grave detrimentum honoris, famae, status aut bonorum fortunae; ut si concubina statim dimissa occultum concubinatum foret evulgatura; si puella aut filiusfamilias, qui domi habent occasionem proximam peccandi, non possent eam relinquere, quia non habent unde vivant; si confessarii, medici, chirurgi, mercatores, advocati, etc., frequenter peccantes ratione officii sui, non possent illud deserere sine dedecore, infamia, aut magno incommodo; si invicem se adamantes in ordine ad matrimonium non possent sine magna difficultate abstinere a mutuis colloquis et visitationibus secundum morem patriae (tom. I, p. 266 seq.).—Dixi : *sine* **gravi** *aliquo incommodo;* unde, ut occasio proxima dicatur *moraliter necessaria*, ac licitum sit in ea manere, non sufficit quaecumque *utilis* aut *honesta causa*, ut constat ex sequentibus propositionibus ab Innoc. XI damnatis : sub n. 62 « *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.* » Sub n. 63 « *Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.* » Item ab Alex. VII sub n. 41 : « *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ob oblectamentum concubinarii, vulgo* regalo, *dum, deficiente illa, nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur.* »

Q. 106. *An* detur obligatio fugiendi occasionem *remotam* peccandi.

R. *Negative.*

Explanatur. Ratio : quia hujuscemodi occasio ubique terrarum est, ideoque nec vitari potest, nec debet. Alioquin, fatente Apostolo (I Cor. V, 10) *:* « *deberemus de hoc mundo exire* », cum laqueis undique plenus sit, juxta illud (Sap. XIV, 11) : « *Quoniam creaturae Dei in odium factae sunt, et in tentationem animabus hominum.* » Hinc ait Giribaldi : « Confessarius non solum potest sed tenetur absolvere poenitentem, qui non est paratus tollere aut fugere occasiones remotas peccatorum. Salubre tamen consilium est, nonnullas periculosiores vitare, fugere nimirum colloquia

prava, nimiam mulierum familiaritatem, curiosos aspectus et similia, quae possunt esse incentiva peccandi. »

Q. 107. QUOMODO agendum : tum 1°) cum *consuetudinariis*, tum 2°) cum versantibus in *occasione proxima* peccandi mortaliter, si hi et illi nondum sint *recidivi?*

R. 1°) Quoniam nec *habitus* nec *occasiones* peccata ipsa sunt, nec peccandi necessitatem continent, sed periculum tantum; hinc *prima vice* absolutio regulariter danda est : tum *habituatis* seu *consuetudinariis:* tum his, qui in occasione proxima utcumque *necessaria* versantur, cum nemo teneatur ad impossibile, sive physice, sive moraliter; dummodo aliunde nihil deesse videatur ex parte doloris et propositi de mediis a confessario praescriptis adhibendis, ut occasio de *proxima* fiat *remota*. — R. 2°) His, qui morantur in occasione proxima *voluntaria*, si *nolint* eam deserere, nequit dari absolutio, ut per se patet, sive sit proxima *per se*, sive *per accidens*, sive *in esse*, sive *non in esse*. Constat ex prop. damn. ab INNOC. XI sub n. 61 : « *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione versatur, quam potest et* NON VULT *deserere; quin imo eam directe et ex proposito quaerit aut ei se ingerit.* » Si vero *velint* eam deserere, absolutionem dari convenit, si ea *non* est *in esse;* si autem est *in esse*, DD. *disputant :* quidam putant adhuc dari posse; quidam contra, nisi prius illam removerint. Et hoc quidem *tutius* est; sed utrum *consultius* in re praesenti, in aestimatione confessarii esse debet, qui varie ex personis, loco, tempore, causis, constituet, prout ei charitas et prudentia suggesserint; et ita v.g. si poenitens non facile, vel non nisi post longum tempus, possit ad confessarium redire, absolvendus erit.

Q. 108. *An* ABSOLVI possint : 1°) *consuetudinarii;* 2°) *occasionarii*, si utrique sint *recidivi?*

R. Ad 1^{um}) Quoad *consuetudinarios* RECIDIVOS, datur *triplex* sententia.

Explanatur. SENTENTIA **prima** generatim *negat*, nisi simul adferant signum *extraordinarium* dispositionis : quia relapsus prudentem suspicionem dat, quod poenitentia non sit vera. Dicunt :

generatim; quia etiam cum signo *ordinario* absolvi possunt, si absolutio non possit facile differri. — Sententia **secunda** dicit, eos *aliquoties*, etiam cum tantum signo *ordinario*, absolvi posse, ter vel quater, immo quinquies aut sexies : quia poenitens non est talis testis ut, si fidem semel fefellerit, illico fidem amittat; et relapsus, tametsi praebeat aliquam suspicionem, non tamen certum exhibet signum indispositionis. — Sententia **tertia** dicit, eos absolvi posse *toties quoties* redeunt, etsi judicentur relapsuri, et quamvis eodem, immo deteriori modo ac mensura in eadem peccata relapsi sint, nec ullum adhibuerint medium ex iis quae praescripta fuerunt, modo confessarius *probabiliter* possit judicare per signa contritionis *ordinaria*, quod ipsi *hinc et nunc* sint rite dispositi.

Resolvitur. Sententia **prima** multis videtur *severior;* praeterea, aiunt, ex ea sequeretur, quod neque cum signo *ordinario* posset absolvi recidivus, *quoties absolutio non potest facile differri* : quia sine dispositione nequit impertiri absolutio.— **Secunda** non paucis apparet *arbitraria :* si enim *ter* aut etiam *sexties*, cur non et *duodecies* aut etiam *amplius* eos absolvere liceret? — **Tertia** est *antiquorum*, in quam,—1°) teste Faure S. J. *(Dubitationes Theologicae de judicio practico)*, conspirant **Patres** et **Doctores** quotquotante tempus *Jansenismi* et *Quesnelismi* scripserunt. Sic S. Hier. (relatus cap. *Septies*, dist. 5 *de poen.*) ait : « *Non solum* septies, *sed* septuagies septies *delinquenti, si convertatur ad poenitentiam, peccata condonentur.* » Consentit S. Aug. (*Serm.* 15 in Matth.) inquiens : « *Audeo... dicere, etsi septuagesies octies peccaverit, ignoscas ; et si centies... et omnino* quotiens *peccaverit, ignosce... Si enim Christus millia peccatorum invenit, et tamen omnia donavit, noli subducere misericordiam.* » Item S. Chrys., ut narratur in ejus vita, dicere solebat : « *Si iterum peccasti, iterum poenitentiam age; et quoties peccaveris, veni ad me, et ego te sanabo.* » Similiter Christi verba (Matth. XVIII, 22) : « *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies,* » i. e. sine termino, S. Thom. (p. 3, q. 54, a. 10) applicat absolutioni sacramentali, docetque quod « *misericordia Dei superet omnem numerum et magnitudinem peccatorum, et ideo peccantibus per poenitentiam veniam praebeat absque ullo termino.* » Et alibi (*Suppl.* q. 8, a. 3 ad 2) hanc tradit sententiam, quae in

axioma theologicum transiit : « *In foro confessionis creditur homini et pro se et contra se.* » Idque intelligendum esse non modo *de factis* quae pertinent ad confessionem sacramentalem, v. g. quod poenitens hoc vel illud peccatum commiserit, quod fuerit vel non confessus ; sed etiam *de dispositionibus* poenitentis, quarum confessarius est judex, non obscure tradit idem S. Doct. (*Opusc.* 22, cap. 3). Idem axioma velut Ecclesiae doctrinam tuentur et invocant S. Vinc. Ferrer., S. Antonin., Joan. Tabiensis, Ord. Praed., Cajet., Card. Turrecrem., Leander, alii ap. Ball.-Palm. (V, 155 seqq.). — **2°**) Accedit **auctoritas** : tum **Catech. Romani** docentis absolvi posse eum in quo confessarius judicaverit dolorem non *omnino defuisse*; tum **Rit. Rom.**, ubi, loquens de *recidivis*, non dicit, quod absolutio ipsis danda non sit, sed quod « *utilissimum fuerit consulere, ut saepius.... confiteantur, et, si expediat, communicent* (pag. 243); tum **S. Philippi Nerei**, Romae apostoli, quem ferunt absolvisse, singulis hebdomadis per plures annos, juvenem aliquem in eodem incontinentiae peccato pluries in hebdomada relabentem, ac tandem perfectam ejus emendationem obtinuisse.—**3°**) Praeterea, ut argumentatur Gabriel de Varceno, « impertiri absolutionem recidivis et consuetudinariis est bonum *ex parte sacramenti* : cum enim sit institutum ad beneficium peccatoris, si iste sit dispositus debet ei impertiri, ne illo pro quo est institutum reddatur inutile; *ex parte poenitentis recidivi*, ne ipse relinquatur per aliquod tempus in peccato, sed roboretur auxilio divinae gratiae, ut magis magisque possit se abstinere a relapsu ; *ex parte confessarii*, quia est officium ipsius absolvere poenitentem dispositum et sic meliori modo charitatem Dei imitatur. » — **Nec obstat 1°**) *relapsuum frequentia* : quia neque praecedentes relapsus, neque subsequentes *logicam* connexionem habent cum *actuali* dolore et proposito. Cum enim humana voluntas « *ambulatoria* » sit, ut loquuntur veteres, atque mutationi subjaceat, relapsus non defectui propositi sincerissimi, sed saepe fragilitati et inconstantiae adscribi debent. Hinc ait (p. 3, q. 84, a. 10) S. Thom., nedum Philosophorum omnium, sed et Theologorum, tam in re morali, quam dogmatica, **longissime Princeps** : « *Poenitere est anteacta peccata deflere et flenda non committere, scilicet*, **SIMUL** dum flet, actu vel proposito. *Ille enim est irrisor, non poenitens, qui*, **SIMUL** cum poenitet, agit

QUOD POENITET, VEL PROPONIT ITERUM FACTURUM QUOD GESSIT.... *Quod autem aliquis postea peccat vel actu, vel proposito, non excludit quin prima poenitentia vera fuerit. Nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem. Sicut enim currit qui postea sedet, ita* VERE POENITUIT, QUI POSTEA PECCAT. »—**Nec obstat 2°**) prop. damn. ab INNOC. XI sub n. 60; « *Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturae aut Ecclesiae,* ETSI EMENDATIONIS SPES NULLA APPAREAT, *non est neganda nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere et proponat emendationem.* » Quae propositio, uti enuntiatur, non est ad rem : quando enim in recidivo adsunt sola *ordinaria* contritionis signa, per quae credimus poenitentem probabiliter esse rite dispositum, impossibile est, quod eodem tempore in poenitente disposito *non appareat ulla spes emendationis.*—**Nec obstat 3°**) dictum Ven. BELLARM. : « *Non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi.* » Id enim verissimum est in confessariis qui nimis cito deproperant confessiones, maxime solliciti, ut multos audiant. Hinc S. XAV. refertur apud LACROIX (VI, 1719) monuisse confessarios, « *ut praeoptarent confessiones paucas rite factas audire, quam multas temere properatas.* » Hinc quoque, « *ne nimia facilitas absolvendi facilitatem afferat peccandi,* » LEO XII in admirabili sua Const. « *Charitate Christi* » totus est in docendo confessarios, qua ratione se gerere debeant cum poenitentibus, « *ut ex imparatis* PARATI *fieri possint.* » De cetero audiatur ipse BELLARMINUS, ut appareat ipsum loqui de aetatis suae sacerdotibus *ignaris*, omnes sine distinctione absolventibus, quasi idem esset baptizare et confessiones excipere : « *Multi*, ait, *hodie reperiuntur imperiti oeconomi, qui nec munus, nec locum, nec gradum suum intelligunt.... qui, quasi non essent Domino rationem reddituri, summa facilitate omnibus manum imponunt, et tam contritos quam non contritos, tam plene et perfecte confitentes, quam peccata confusa quadam generalitate involventes, tam satisfacere paratos quam non paratos, quasi propria potestate et auctoritate absolvunt. Isti sua imperitia et superbia corrumpunt populos et iis verae poenitentiae viam praecludunt. Haec enim non esset hodie tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi.* » — Interim ex hac **tertia** sententia

non aufertur facultas, quam habet confessarius, ad breve tempus **differendi** absolutionem, si ejus dilatio praevideatur magis proficua recidivo, juxta dicta (pag. 362).

R. Ad 2um) *Sub distinctione.*

Explanatur. Recidivi sunt : vel ex occasione **necessaria** physice aut moraliter; vel **voluntaria** seu **libera**.

1°) Si recidivi sint ex occasione **necessaria,** quam jam moraliter deserere sincere volunt, adhibendo media, ut de proxima fiat remota, *triplex* datur sententia, ut dictum est de *consuetudinariis* RECIDIVIS.

2° Si sint recidivi ex occasione **voluntaria**, quam jam physice derelinquere sincere volunt, *subdistinguendum est.*—**A**) Vel est voluntaria **continua** seu **in esse,** et tunc, ut hodie dicunt communiter DD., *regulariter* non sunt absolvendi : quia, esto forte propositum sit *sincerum,* non est verisimile, quod, attenta occasione, sit *efficax*. Dicunt : *regulariter;* quia excipiunt, nisi dent signa *extraordinaria* (pag.360 seq.), vel nisi adsit gravis aliqua *necessitas*. — **B**) Vel est voluntaria **interrupta** seu **non in esse,** et tunc ex communi doctrina *mitius* cum ipsis est agendum; quia cum non sint *actu* in occasione, sicut qui sunt in continua, ideo facilius ei credi potest. Unde dicunt DD., quod *pluries* absolvi possint cum signis tantum *ordinariis;* immo *toties quoties* adsit gravis *necessitas*, aut signa *extraordinaria* exhibeant.—Fateor tamen non deesse qui, ubi agitur de *recidivis* ex occasione voluntaria, etiam *continua* seu *in esse*, benigniores reperiantur, quos, licet eis non assentiar, tamen improbrare ad me non pertinet. Proficiscuntur a relato (pag.366) principio, quod, fatente S. Lig. (VI,455), « *occasio proxima peccati nec est in se peccatum, nec affert necessitatem peccandi,* » et aliunde hic et nunc « *bene cum ea potest consistere vera detestatio peccatorum et firmum propositum non relabendi et adhibendi debita remedia* », etiamsi, addunt ipsi, quis antea pluries infidelis fuerit in suis promissis exsequendis. Unde concludunt, recidivos, qualescumque sint, si hic et nunc a confessario *parati* efficiantur, *valide* posse absolvi; an autem eorum absolutio differri *debeat* ac *possit*, a rebus pendere omnino multis et maxime ab utilitate ipsius poenitentis.

Resolvitur. Haec dicta sunto de quaestione, in re morali, omnium intricatissima. Liceat mihi, veluti **pro coronide,** simplicissima adferre heic principia, quae deducuntur ex memorabili nec unquam satis laudanda Constitutione « *Charitate Christi,* » qua magnus Leo XII Jubilaeum orbi universo indixit (25 Dec. 1825). 1°) **Absolvi possunt,** qui nedum *dubie indispositi,* sed *manifeste* accedunt *indispositi,* si ex imparatis *parati* fiant cura et industria sacerdotis, qui, indutus viscera misericordiae, sciat studiose, patienter, et mansuete cum ipsis agere. « *Quod si praestare praetermittat, profecto non magis ipse dicendus est* PARATUS *ad audiendum, quam ceteri ad confitendum accedere.* » 2°) Quare vehementer **increpandi sunt sacerdotes,** « *qui, ut gravius aliquod audiunt peccatum aut aliquem sentiunt multiplici peccatorum genere infectum, statim pronuntiant, se non posse absolvere.* » 3°) **Imparati** seu **beneficii absolutionis incapaces** dicuntur ii et quidem soli, « *non qui gravissima admiserint flagitia,* » sed qui « *fusis ex intimo corde ad Deum precibus* » et « *exhausta charitatis industria* » ex parte confessarii, essentiali dispositione, scilicet « *sensu doloris et poenitentiae carere prudenter judicenter,* » quales sunt, qui supra (p. 362) ex Rit. Rom. recensentur, quos inter, « *qui* NULLA *dant signa doloris, aut proximam peccandi occasionem deserere* NOLUNT. » 4°) Quod **si justa sit causa cur differenda sit absolutio,** « *verbis, quoad poterit, humanissimis* » persuadeat confessis id esse necesse, eosque ad redeundum « *quam primum* » alliciat. Tandem 5°) **confessarius continuo recordetur** verborum S. Raymundi de Pennafort, Ord. Praed. « *quem insignem sacramenti poenitentiae ministrum* » appellat Ecclesia : « *Cognitis peccatis, adsit benevolus, paratus erigere et secum onus portare: habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate, adjuvet confitentem orando, eleemosynas et cetera bona pro eo faciendo, semper eum juvet leniendo, consolando, spem promittendo, et, cum opus fuerit, etiam increpando.* »

Itaque, ut in re tam gravi inoffenso pede incedere valeamus, non declinantes neque ad dextram rigorismi, neque ad sinistram laxitatis, omnino necesse est continuo prae oculis habere Sanctae Sedis immaculatam doctrinam, quam nobis patefecit per varia documenta Pontificiae auctoritatis, imprimis tum per Catech. Rom.

a S. Pio V ejusque successore Greg. XIII approbatum et a Clem. XIII tantopere commendatum; tum per Rit. Rom., de quo diximus (tom. II, p. 431 seq.), tum maxime et enucleatius per Constitutionem Leonis XII « *Charitate Christi* » (25 Dec. 1825).

CAP. 6. De obligatione ex parte confessarii supplendi defectus a se commissos.

Q. 109. *An* et *quomodo* confessarius teneatur SUPPLERE *defectus*, quos in officio *commisit?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Defectus versantur : vel circa **valorem sacramenti**; vel circa **integritatem confessionis**; vel circa **obligationem restitutionis,** ob damnum grave causatum sive poenitenti, sive alicui tertio.

1°) Si confessarius defecerit circa **valorem,** ut si non absolvisset, vel absolvisset sine jurisdictione, sine intentione, aut sine debita dispositione ex parte poenitentis; tunc, si error sit *statim* reparabilis, illico reparetur. Si vero non sit ita reparabilis, et poenitentem reliquerit in mortali, *subdistinguendum est.* — Vel **A**) id fecit cum **gravi culpa,** et tunc tenetur, etiam cum incommodo gravi, certiorem facere poenitentem, nisi forte is aut sacramentum aliquod vivorum postea susceperit, aut alteri confessus sit, aut brevi sit confessurus. — Vel **B**) id fecit cum **levi** aut **nulla culpa,** et tunc non tenetur monere cum gravi incommodo, nisi poenitens versetur in periculo aeternae damnationis, ut si moribundus, relictus in mortali, aliud sacramentum non esset recepturus. — Interim monitio extra confessionem *regulariter* fieri nequit, nisi prius petita fuerit poenitentis licentia, ne ipsi verecundia causetur; quam licentiam si neget, ad nihil ultra tenetur confessarius. Dico : **regulariter**; nam si non absolverit, vel quia oblitus fuit absolutionem dare, vel quia eam male protulit, bene potest, non petita licentia, dicere poenitenti, se eum non absolvisse, cum tunc nulla interveniat peccati exprobatio.

2°) Si confessarius defecerit circa **integritatem** tantum, *distinguendum est.* — **A**) Si mere **negative** seu **omissive** se habuerit, non interrogando de speciebus et numero mortalium, non tenetur

poenitentem monere extra confessionem, etiamsi culpabiliter interrogare neglexerit; bene tamen intra confessionem, si redierit. — **B**) Si vero habuerit se *positive*, dicendo v. g. species infimas mortalium non esse confitendas, *subdistinguendum est :* **a**) Si id fecerit cum **gravi culpa,** tenetur poenitentem, etiam extra confessionem, cum ejus venia monere, sed non cum gravi incommodo : quia obligatio faciendi confessionem integram directe afficit poenitentem non confessarium. **b**) Si vero fecerit cum **nulla** seu **levi** tantum culpa, non tenetur errorem corrigere, nisi intra confessionem : quia monitiones ejusmodi ordinarie extra confessionem fieri nequeunt sine incommodo.

Tandem 3°) si erraverit circa **restitutionis obligationem,** ob damnum grave, iterum *distinguendum est :* — **A**) Si erraverit **negative** seu **omissive** tantum, non monendo poenitentem de restitutione facienda vel non facienda, tenetur errorem corrigere, etiam extra confessionem, petita prius licentia, idque cum incommodo proportionato gravitati culpae : ad id enim tenetur ex lege charitatis, ne damnum patiatur innocens. Si tamen non moneat, non contrahit obligationem restituendi : quia non tenetur ex proprio suo officio consulere bono *temporali* ipsius poenitentis, multo minus alterius (t. II, p. 151 seq.). — **B**) Si erraverit **positive,** obligando aliquem ad restitutionem indebitam, vel a debita liberando, tunc, si ita se gessit cum *gravi* sua culpa, tenetur confessarius poenitentem admonere, etiam cum gravi incommodo, vel intra confessionem, si brevi sit reversurus, vel extra confessionem, petita licentia, si non redeat : alias tenetur ad restitutionem tanquam *consulens* (tom. II, pag. 152). Liberatur tamen ab onere restituendi, si moneat poenitentem adhuc potentem restituere, etiamsi postea non restituat : quia confessarius eo ipso, quod suum dictum retractat, removet totam causam, quam dedit (t. II, p. 120 seq.). Si vero ita se gessit absque gravi culpa, sed vel **bona fide,** vel ad summum **levi negligentia,** tenetur errorem corrigere, si commodo poterit. Si non poterit, vel poenitentem inveniat inhabilem ad restitutionem, non tenebitur restituere, cum graviter non deliquerit contra justitiam.

CAP. 7. De sigillo sacramentali.

Q. 110. *Quid* sit : 1°) SIGILLUM sacramentale ; 2°) *quodnam* ejus FUNDAMENTUM ; 3°) ex *quo* JURE oriatur ejus obligatio ; 4°) *an* SEMPER obliget ; 5°) *quale* peccatum sit ejus VIOLATIO ?

R. Ad 1um) Ex S. THOM. (*Suppl.* q. 11, a. 1-3) SIGILLUM definiri potest : « *arctissima de his, quae quis accepit ex confessione sacramentali, tacendi obligatio.* » Ducitur metaphora a sigillo, quo litterae muniuntur, ut arcana iis contenta tegantur.

R. Ad 2um) FUNDAMENTUM *sigilli* est omnis et sola confessio *sacramentalis*, saltem *existimata*, i. e. quam poenitens facit ei, quem bona fide putat esse sacerdotem habentem potestatem, animo se accusandi et absolutionem ab eo recipiendi, licet hanc non recipiat, sive ob indispositionem, sive ob aliam causam.

Resolvitur 1. Hinc **defectu** confessionis *sacramentalis* non oritur sigillum : 1°) Si quis *scienter* confiteatur ministro non legitimo, i. e. vel laico vel sacerdoti jurisdictione carenti. 2°) Si quis ministro quidem legitimo se sistat, non tamen *confessurus*, sed alia de causa : v. g. si ad confessarium accedat animo eum decipiendi, deridendi, tentandi, prout quandoque faciunt mulieres pessimae, dum se infirmas fingunt et domi confiteri postulant, ut sacerdotes, praesertim juniores, ad turpia sollicitent ; aut animo eleemosynas ab eo extorquendi vel consilium petendi gratia, etiamsi ex S. THOM. (*Suppl.* q. 11, a. 2 ad 2) aliquid ipsi communicet *sub conditione* SIGILLI, idque ab altero sic acceptetur ; vel si accedat ad locum confessionis et ibi fingit se confiteri, ut praecepto paschali satisfecisse videatur. **Resol. 2.** Contra, confessio **non desinit** esse *sacramentalis*, si vel 1°) ipsa sacrilega fuit ; vel 2°) poenitens inabsolutus discessit, sive ex defectu poenitentis, qui non apparet sufficienter dispositus, sive ex parte sacerdotis qui caret jurisdictione in certum casum : quia hujusmodi confessio est in ordine ad sacramentum et ideo sacramentalis ; « obligatio autem sigilli, ut recte dicit BILL., sequitur confessionem sacramentalem et non solum absolutionem ; » vel 3°) accedat ad confessionem sine ullo dolore et proposito emen-

dationis et sine voluntate absolutionem recipiendi ; sed tamen cum animo se subjiciendi sacerdoti tanquam Ecclesiae ministro, sive ut ab eo, prout poterit, juvetur, sive ut aliquo modo satisfaciat Ecclesiae praecepto : quia quamvis ille accedat voluntarie indispositus, et ex hac parte non ponat materiam absolutionis; quatenus tamen confitetur animo se accusandi peccatorem et se subjiciendi sacerdoti, ut Ecclesiae ministro, ejus confessio ex ea parte est aliquomodo sacramentalis (Sylv.); vel 4°) confiteretur laico, qui se sacerdotem fingit, et a fortiori sacerdoti, qui creditur habere potestatem, quam non habet; quia tunc confessio quantum ex parte poenitentis est sacramentalis, fieretque injuria ipsi poenitenti et sacramento, quod creditur subesse, si revelaretur.

R. Ad 3um) *Obligatio* sigilli sacramentalis oritur ex *triplici* jure.

Explanatur. Oritur jure : tum 1°) **naturali**, obligante ad non evulgandum id, quod sub secreto acceptum est, praesertim cum damno, infamia aut alio alterius incommodo; tum 2°) **divino** positivo, saltem implicito : dum enim Christus voluit peccatorum declarationem sacerdoti faciendam, etiam voluit et quasi ex natura rei velle debebat omnimodam eorum celationem ; si enim in ullo casu liceret revelare confessa, poenitentes merito timerent, ne hic et nunc confessarius apprehenderet casum illum, sicque homines averterentur, et sacramentum fierit odiosum, quod de se est grave; « *et ideo*, ait S. Thom. (*Suppl.* p. 11, a. 1 in c.) *de necessitate sacramenti est, quod quis confessionem celet;* » tum 3°) **ecclesiastico**, ut patet ex cap. « *Omnis utriusque sexus* » lato in Conc. Later. IV, ubi sigillum praecipitur confessario sub poena depositionis ab officio sacerdotali et detrusionis perpetuae in arctum monasterium. Quae poenae sunt ferendae sententiae.

R. Ad 4um) Obligat *semper*, mortuo etiam poenitente, nec ullam admittit exceptionem, nisi *expresse* et omnino *libere* data sit ab ipso poenitente; in quo differt a secreto naturali, quod, juratum licet, potest et saepe debet revelari ad vitandum majus malum communitatis aut innocentis (tom. I, pag. 494).

Explanatur. Ratio **responsionis** est : quia secus a frequen-

tatione hujus sacramenti fideles averterentur, quippe quibus illud fieret odiosum, si scirent in aliquo casu, etiam post mortem, peccata posse revelari. Unde quoque ait S. THOM. (*Suppl.* q. 11, a. 4) : « *Celatio confessionis est instituta propter bonum totius Ecclesiae, ut homines confidentius ad confessionem accedant.* »—Ratio **exceptionis** est : quia, ut docet S. THOM. *(ibid.)* « *potest poenitens facere ut illud, quod sacerdos sciebat tantum ut Deus, sciat etiam* UT HOMO ; *quod facit, dum eum licentiat ad dicendum. Et ideo si dicat, non frangit sigillum confessionis.* » Aliunde per revelationem sic factam non redditur sacramentum aliis odiosum ; ergo nihil derogatur honori sacramenti aut bono publico Ecclesiae, estque in hoc dispar ratio cum clerico, qui non potest consentire in sui percussionem ; iste enim per suam licentiam et consensum non potest facere, ut laesio, quam ipsi contra jus et privilegium clericale alii inferunt, non sit adhuc ordini et statui clericali injuriosa. — Interim non sufficit licentia implicita, dubia, interpretativa aut praesumpta, neque vi, dolo, precibus importunis aut metu reverentiali extorta, sed requiritur *expressa* et omnino *spontanea*.

Resolvitur 1. Nullo unquam tempore, in nullo excogitabili casu, etiam ad mortem evitandam, ad interitum reipublicae averténdum, ad haeresim vel schisma praecavendum, ad salvandam animam, quidquam revelari potest, etiam indirecte tantum, ex confessione sacramentali, sine licentia expressa et omnino spontanea poenitentis. Ratio : quia agitur de bono spirituali totius Ecclesiae in servanda frequentatione hujus sacramenti ad salutem omnium instituti, quae praeponderant omni alteri bono. Aliunde, non oportet succurrere malis humanis per media quae nescit homo : « *illud autem quod sub confessione scitur, est quasi nescitum*, ait S. THOM. (*Suppl.* q. 11, a. 1 ad 1), *cum illud non sciat aliquis, ut homo sed ut* DEUS, » seu Dei personam gerens. **Resol. 2.** Confessarius interrogatus circa materiam sigilli, ex S. THOM. (*Suppl.* q. 11, a. 1 ad 3) : « *sine laesione conscientiae potest jurare, se nescire, quod scit tantum ut Deus.* » Si vero interrogetur de impertita absolutione, respondeat ex S. LIG. (H. A. XVI, 148) : « *Functus sum meo officio* ; » vel « *suntne interrogationes faciendae?* » Possunt etiam similes quaestiones facientes remitti ad ipsos poenitentes. **Resol. 3.** Si quis ad revelandum sigillum minis adigeretur, sequi

deberet exemplum S. Ioan. Nepom., qui a Wenceslao rege sollicitatus, ut conjugis illius confessionem revelaret, « blanditiis primum, tormentis deinde et carceris squalore tentatus, nefariae regis cupiditati fortiter obstitit », ac tandem « illustrem martyrii coronam est consecutus » (Brev.). **Resol. 4.** Potest confessarius de licentia expressa poenitentis revelare non solum illius peccata, sed etiam peccata complicis ad aliquem bonum finem, puta ad ejus correctionem. Quia tamen, ut docet S. Thom. (*ibid.* ad 3), imminet sacerdotibus probare licentiam datam, si de fractione sigilli accusentur; et quia gravissima incommoda possunt sequi ex revelatione peccatorum, tum poenitentis, tum complicis, per confessarium; ideo, ait Bill., « is non debet facile acceptare istud onus, sed tantum si urgeat necessitas aut magna utilitas, et ipse poenitens aut alter id praestare non potest. Quo casu hanc licentiam, quantum fieri potest, non acceptet in confessione, sed extra et in scriptis. »

R. Ad 5^um^) *Violans* sigillum peccat *triplici* peccato.

Explanatur. Peccat : 1°) contra **religionem,** propter irreverentiam sacramento illatam; 2°) contra **fidelitatem,** ob tacitam promissionem servandi secretum; 3°) contra **justitiam,** in quantum injuste infamat suum poenitentem. — Et quidem malitia *injustitiae* et *infidelitatis* potest esse venialis ex *parvitate materiae;* non vero malitia *religioni* opposita, saltem si agatur de violatione *directa.* Dico : *saltem;* quia, juxta plures, si sigillum solum *indirecte* frangatur, dari potest materiae levitas, si nempe periculum indirectae revelationis sit valde remotum seu parum probabile. Revelatio enim, si aliqua forte tunc sequeretur, casu et per accidens subsequi censenda foret.

Q. 111. *An* in dubio favendum sit *sigillo?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel agitur de dubio **facti,** vel de dubio **juris.** —Si **primum** : v. g. in dubio, an id a poenitente dictum fuerit in ordine ad confessionem sacramentalem, necesse est ea sequi, quae sigillo sunt favorabiliora : tum propter damnum poenitentis injustum et christianae reipublicae; tum eo quod alias inventa esset sigilli fraudandi ratio. — Si **secundum** : utrum tunc **oporteat**

sequi sententias quae sigillum tuentur, an **expediat** tantum, inter DD. *non satis convenit.* PRIOR sententia mihi praeplacet : tum quia favet sacramento, ad quod alliciendi potius quam retrahendi sunt poenitentes; tum quia in contrariis sequendis multae plerumque et graves poenitentium offensiones esse solent, quas et religio et charitas omnino cavere jubent. « *Recte igitur*, inquit DIANA, *in hac materia* **semper** *a confessariis in favorem sacri sigilli tenendum esse puto.* »

Q. 112. *Quodnam* sit OBJECTUM seu MATERIA *sigilli* sacramentalis?

R. EX S. THOM. (*Suppl.* q. 11, a. 2) OBJECTUM seu MATERIA sigilli illud est, ad quod sigillum se extendit, sive *directe*, sive *indirecte.*

Explanatur. Sigillum **directe** se extendit ad illud omne et solum, quod in ordine ad confessionem *sacramentalem* manifestatum est. Ratio est : quia sigillum est aliquid annexum confessioni sacramentali; quod autem annexum est alicui sacramento, non extenditur directe ultra illud. Hinc **directe** cadunt sub sigillo : 1°) **Peccata**, quae poenitens confitetur, et quidem omnia prorsus, etiam levissima, et vel tantum materialia, aut nondum completa opere externo, sed solum proposita aut cogitata, v. g. cogitatio de furando, occidendo, etc. 2°) **Circumstantiae** peccatorum, etiam post absolutionem declaratae, quatenus reipsa sunt aut saltem existimantur, licet erronee, necessariae aut utiles ad peccatorum explicationem, impertinentes licet et ineptissimae; ut si poenitens in ordine ad confessionem sacramentalem revelet peccata *aliena*, aut sui peccati *complices*, aut *objectum* peccati, puta si vir dicat, se imprecatum fuisse filio ebrioso aut virginis defloratori. 2°) **Defectus occulti**, sive morales, sive naturales, si manifestentur a poenitente *in ordine ad se accusandum;* ut si, ad explicandum suum peccatum, dicat se esse illegitimum, eunuchum, pauperem, pusillanimem, iracundum, etc. Secus dicendum, si defectus hujusmodi *historice* exponantur, aut si confessarius ipse eos videat vel percipiat in confessione, ut puta, quod poenitens sit obliviosus, importunus, scrupulosus, etc.; quod lingua blaesa aut balbutiente; quod praecipitanter, confuse, cum variis repetitionibus confiteatur.

Confessarius tamen **peccaret**, talia alioquin occulta manifestando, gravius aut levius pro gravitate aut levitate materiae : quia eorum manifestatio fieret cum injuria poenitentis et redderet confessionem odiosam ac ab ea retardaret.

Indirecte autem sigillum se extendit ad id omne, quo revelato, posset : vel deveniri in notitiam eorum quae sacramentaliter declarata sunt, vel causari poenitenti aut alteri etiam minima molestia ; « hac scilicet ratione generali, ait Bill., quod alioquin sacramentum redderetur odiosum et desertum. » Hinc **indirecte** cadunt sub sigillo : **probrosa absolutionis denegatio** (qualis non est ex defectu materiae), et **indispositio poenitentis**, cum ex ipsis concludi possit, ipsum gravibus peccatis esse obnoxium. Item ipsa **poenitentia** injuncta, nisi sit, ex S. Lig. (H. A. XVI, 152) : « *de minimis, quae plerumque solent imponi pro venialibus levissimis.* » Quod tamen aliqui cum Scav. non permittunt, et *recte quidem* : quia poenitens potuit tantummodo confiteri jam remissa vel ad petendum consilium. — Item illa omnia, quae, attenta saeculi nequitia, poenitentem irrisionibus exponerent, aut fideles a sacramento avertere possent, ut sunt **defectus**, tam naturales, quam morales, ex sola confessione cogniti.

Q. 113. *An* cadant sub sigillo : 1°) *virtutes* poenitentis, *revelationes*, aliaque divina *charismata* ; 2°) *peccata in ipsa confessione admissa*, v. g. impatientiae, contumeliae in confessarium ; 3°) peccata *publica* ; 4°) ipsa facta *confessio?*

R. Ad 1^um^) *Sub distinctione.*

Explanatur. *Affirm.*, si manifestentur **in ordine ad confessionem sacramentalem**, i. e. ad melius declarandam proprii peccati malitiam, propter ingratitudinem, quod raro locum habet. *Negat.*, si **historice** dicantur, ad statum animae aperiendum. Et hinc, teste Bened. XIV (*de beatif.* III, 7), attestationes confessarii in causa beatificationis judicantur licitae atque utiles, quamvis non necessariae. Interim potest poenitens obligare confessarium sub secreto naturali has virtutes et dona celandi ; et confessarius in his revelandis, saltem durante vita poenitentis, caute procedere tenetur, tum ne poenitens aliorum irrisionibus

exponatur; tum ne, laudando ejus sanctitatem, de aliis, de quibus tacet, sinistra fiat suspicio.

R. Ad 2um) *Neg., per se.*

Explanatur. Ratio est : quia culpas illas poenitens non confitetur, sed, videnti confessario, eas *committit*. Ordinarie tamen cadunt sub sigillum *per accidens*, et ideo cavendum ab harum manifestatione : tum ob periculum, ne habeatur ut violator sigilli; praebent enim indicium, ex quo cum aliqua probabilitate conjici potest, confessarium vel noluisse absolvere, vel animadvertisse in poenitentem propter aliquam graviorem culpam, nisi constet, impatientiae causam fuisse confessioni prorsus extraneum; tum ne confessio inde reddatur odiosa.

R. Ad 3um) *Affirm.*, quatenus ex confessione cognita sunt.

Resolvitur. Unde violaret sigillum, qui de fure in judicio convicto diceret, ipsum crimen sibi confessum esse, aut qui referret circumstantiam, quam ex sola confessione cognosceret. Potest tamen de illis loqui, ut sibi aliunde nota sunt, v. g. per famam publicam, modo tamen propter audita in confessione nihil addat vel certius affirmet.

R. Ad 4um) Per se loquendo, *negative.*

Explanatur. Ratio est : quia confessio est aliquid bonum et publicum de se. Tenetur tamen confessarius ad secretum naturale, si poenitens verbo vel facto, v. g. clam accedendo, significaverit se nolle sciri, quod sit confessus.—Dixi : **per se loquendo**; quia *per accidens* ipsa facta confessio caderet indirecte sub sigillo, si poenitens confitendo confessario extraordinario seu superiori veniret in suspicionen gravis criminis.

Q. 114. *Quinam* ad SIGILLUM *teneantur?*

R. Ex S. Thom. (*Suppl.* q. 11, a. 3) tenentur omnes illi qui, ex confessione sacramentali, sive immediate, sive mediate, sive licite, sive illicite, notitiam habent rei sub sigillo comprehensae.

Explanatur. Et quidem **immediate** notitiam habent :

1° *Confessarius* quilibet, sive verus sive fictus. 2°) *Interpres* vel ille qui alterius peccata confitenda conscribit. 3°) *Vicini*, confessionem alterius audientes, sive casu, sive ex industria. **Mediate** vero notitiam habent : 1°) *Superior*, a quo extra confessionem petitur facultas absolvendi a peccato reservato vel cui se sistit, qui fuerit absolutus ab alio cum onere *standi mandatis Ecclesiae* (pag. 505) 2°) Hi omnes, quibus sive confessarius, sive alius quilibet, immediatam notitiam habens, aliquod sub sigillo cadens manifestarit.

Resolvitur. Hinc ad *sigillum* **non tenentur** : 1°) Qui legit chartam in qua poenitens sua peccata recensuit ad confitendum, cum talis scriptura non sit sacramentalis confessio, sed tantum remote et per accidens ordinetur ad sacramentum confessionis; nisi forte illam aspexerit in ipsa confessione, dum poenitens aut confessarius eam perlegit, quia tunc pro confessione vocali est. 2°) Is quem confessarius de licentia poenitentis consuluit, aut quem ipse poenitens consulit circa confessionem *alteri* faciendam. Secus dicendum, si eum consulat circa confessionem in posterum *ei* faciendam, cum haec consultatio velut inchoata confessio habenda sit. 3°) Ipse poenitens : quia obligatio sigilli est in favorem poenitentis.—Praefati tamen omnes tenentur ad **secretum naturale**; et ita poenitens tenetur tacere ea ex quibus revelatis vel infamia vel confusio aut damnum *injuste* fieret confessario; quae obligatio est gravis vel levis pro gravitate injuriae. Dixi : *injuste;* quia si lex charitatis aut bonum commune urgeat manifestare, potest et debet hoc facere, ut si sollicitatio ad turpia intervenisset (pag. 532 seq.).

Q. 115. *An* confessarius possit *loqui* cum suo *poenitente* de AUDITIS in confessione, absque ejus *licentia?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel id fit **intra,** vel **extra** confessionem. — Si **primum** : *Affirm* , tum post absolutionem, antequam poenitens discesserit; tum, si illico redierit : quia licet completum sit sacramentum, judicium tamen adhuc moraliter perseverat; tum etiam in subsequenti confessione, quoties gravis quaepiam causa id exigat, v.g. ad emendandum errorem (pag. 372 seq.).—Si **secundum** : Per se *negat.* : quia, quamvis id non sit proprie frangere sigillum, cum

non violet secretum qui loquitur cum illo qui secretum commisit; est tamen natum causare verecundiam poenitenti et odiosum reddere Sacramentum. Dixi : *per se*; nam excipe : 1°) Si ipse poenitens extra confessionem prior loquatur de iis quae fuerunt confessionis materia : quia tunc licentiam concedit in actu exercito. 2°) Si ageretur de poenitente relicto in mortali et omissa vel invalida fuisset absolutio ex defectu formae substantialis (pag.372); quia ipsi dicere : *non es absolutus*, non est peccata exprobrare.

Q. 116. *Quotuplici* MODO committatur sigilli *violatio?*
R. *Duplici* modo : *directo* et *indirecto*.

Explanatur. Violatur **directe**, revelando ea quae ad sacramentalem confessionem pertinent, si aut poenitens *aperte indicatur*, aut saltem ex his *probabiliter innotescere potest;* puta, si confessarius dicat aliis : *Petrus peccavit mortaliter.* — Qui dicit : *primus, quem audivi, fuit adulter*, exponit se periculo directe frangendi sigillum; facile enim contingere potest, quod alia vice, hujus dicti immemor, occasione data dicat ubi et quem primo audiverit; immo potuit alius illum vidisse et aliunde novisse; item si dicat : *hodie mulier, miles, studiosus, sacerdos, mihi tale peccatum confessus est;* quia, exprimendo statum et tempus, facit, ut persona in suspicionem prudenter venire possit; similiter, si post auditas confessiones in communitate religiosa aut parochia non magna narrat peccata quaedam graviora, v. g. adulteria, fornicationes et ejusmodi : quia poenitentes in notitiam probabilem aliis possent devenire. Secus dicendum, si agatur de parochiis *amplis*, i. e. ex S. Lig. (H. A. XVI, 158), quae constant *tribus circiter hominum millibus*, et crimina publica saepius ibi patrentur.

Violatur **indirecte**, cum quis nihil quidem revelat, sed ex his quae dicit aut facit, aut nec dicit nec facit, probabilem suspicionem injicit eorum quae particularis persona sacramentaliter confessa est. — Dixi : 1°) **dicit**, ut si confessarius alta voce aut alio modo a circumstantibus intelligibili, poenitentem arguit, aut ejus peccata repetit, aut ipsi dicit : *redi; quoties?* Item si dicat, quempiam sibi forte superiori confessum fuisse (pag. 380); aut se talem, quem audivit, non vel nondum absolvisse, sed remisisse ad aliud tempus. Dixi : 2°) **facit**; ut si sedens in confessionario surgat ut

legat tabellam casuum reservatorum; vel stans oculis lustret, si quis id animadvertere possit; vel audita confessione statim ab ecclesia discedat, de communione poenitentis nihil sollicitus; aut si poenitenti, confesso quidem sed indisposito, schedulam confessionis deneget, non solum quando illam extra confessionem publice postulet, sed etiam occulte intra illam in iis circumstantiis, in quibus solet dari aliis vel a superioribus poenitentis exigitur, ut saepe fit tempore paschali pro alumnis, famulis, etc. : quia hanc dare aliis et ipsi negare, est exercite dicere, ipsum non esse absolutum ob indispositionem. Dixi : 3°) **nec dicit, nec facit**, ut puta, si ex duobus poenitentibus, v. g. *duobus fratribus*, unum laudet, vel dicat, eum semper venialia confiteri.

Q. 117. *In quo* USUS *scientiae*, ex confessione habitae, 1°) *differat* a sigilli VIOLATIONE, et 2°) an sit *licitus?*

R. Ad 1^{um}) In hoc differt, quod hic *usus* haberi possit absque eo quod aliquid exterius reveletur; *violatio* autem sigilli semper fit cum aliqua directa vel indirecta revelatione eorum, quae sub sigillo cadunt.

R. Ad 2^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel **abest** omne gravamen poenitentis et periculum revelationis, vel **non**.

Si **primum** : *Affirm.*; seu, teste S. LIG. (VI, 657), « *regula generalis est, fere ab omnibus recepta,* LICITUM ESSE *uti notitia confessionis, ubi nulla revelatio intervenit, nec ullum poenitenti gravamen infertur.* »— **Hinc** DD. communiter admittunt: posse sacerdotem ex notitia confessionis orare pro poenitente, vel benignius erga ipsum se gerere; item consulere libros et sapientes; rigorem temperare; ex confessione unius dirigi ad alios interrogandos vel instruendos, nullam tamen dando prioris confessionis suspicionem; praecavere a periculis et occasionibus damni spiritualis aut temporalis, adeoque cautiorem se reddere in re familiari custodienda, socordiam excutere, diligentius invigilare super gregem ; item posse monere etiam alios in genere tantum loquendo, ut sibi caveant, ne exeant e domo, etc., excluso tamen semper omni periculo revelationis et gravamine poenitentis. Quare sacerdos, qui ex confessione novit, sibi in tali loco a poenitente vel aliis parari insidias,

vinum pro sacrificio esse venenatum, etc.; potest, sumpta aliunde occasione, illum locum declinare, tunc non celebrare, etc., etsi poenitens vel alii forte advertant, id oriri ex scientia confessionis. Ratio est : quia nullum inde vel pudorem vel incommodum patitur poenitens, nec ob id rationabiliter retraherentur homines a confessione, nec denique actio vel omissio confessarii est revelativa sigilli; cum supponatur ita indifferens, ut alias ignari inde in notitiam peccatorum confessorum venire non possint; unde si in notitiam veniant, id potius oritur ex praevia quam habent scientia, quam ex actione vel omissione confessarii. Si tamen ex ea agendi ratione, v. g. ex vitatione loci, ubi parantur insidiae, certo immineret poenitenti grave incommodum, v. g. mors a complicibus inferenda, juxta multos non videtur confessarius posse locum declinare, quia uteretur scientia confessionis cum gravamine poenitentis. Alii tamen contradicunt : quia nulla est ibi revelatio sigilli, et jure naturae potest anteponere vitam suam alienae. « Primum est laudabilius et tutius, » ait Bill.

Si **secundum** : *Negat.*, seu in *nullo casu* licitum est, uti scientia confessionali cum gravamine poenitentis, etsi fiat sine aliqua directa vel indirecta revelatione : quia inde confessio redderetur odiosa et formidabilis. Quod etiam verum est, etsi ex non usu talis scientiae multo gravius gravamen sequeretur, uti constat ex prop. damn. per decretum S. U. I. (18 Nov. 1682) approbatum ab Innoc. XI : « *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine poenitentis*, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, *in cujus comparatione prius merito contemnatur*. » **Hinc 1°**) illicitum est confessario, propter auditum in confessione peccatum, exercere actiones ad justitiam vindicativam vel quasi vindicativam pertinentes : ut extra confessionem poenitentem corripere, dure alloqui, severum vultum ostendere, domo expellere, privare officio, beneficio, eleemosyna; ipsum denuntiare, aut inquisitionem de ejus vita facere, etsi ex omissione horum omnium longe gravius tuum proprium vel poenitentis incommodum sequeretur, v. g. etsi, nisi cum domo expellas, furtum rerum tuarum sit continuaturus. **Hinc 2°**) confessarius, propter peccatum ex sola confessione notum, non potest alicui petenti negare sacramenta, nec assistentiam matrimonii propter impedimentum diri-

mens ex sola confessione notum, etsi ex omissione negationis sequatur sacrilegium et matrimonium invalidum. **Hinc. 3°**) superior, propter peccatum ex sola confessione notum, non potest inferiori negare licentiam exeundi, aut inferiorem ad alium locum mittere, aut ei negare suffragium ad professionem religiosam aut aliud in religione vel extra religionem munus, etsi multo graviora mala sint secutura. Constat ex decreto CLEM. VIII (26 Maii 1594) quod afficit superiores regularium, indirecte quoslibet alios confessarios : « *Tam superiores pro tempore exsistentes, quam confessarii, qui postea ad superioris gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad* EXTERIOREM GUBERNATIONEM *utantur.* » Unde, quod dicit S. THOM. (*suppl.* q. 11, a. 1 ad 3 et 4) : superiorem posse amovere ab officio, seu denegare suffragium ei quem ex confessione novit indignum propter alios defectus, puta « *scientiae, vel aetatis, vel alicujus hujusmodi,* » intelligendum est, si indignitas seu defectus extra confessionem innotescant, et quod propter eos sic egisset superior, etiamsi confessionem non audivisset. **Hinc 4°**) confessarius, sciens ex confessione ancillae suae eam esse furtis deditam, quamvis possit in posterum melius invigilare rebus suis, caute tamen procedere deberet, nec posset statim claves ab ea auferre, nec aliud quidpiam peragere, quod natum esset redundare in gravamen seu exprobrationem poenitentis. **Hinc 5°**) si confessarius noverit ex confessione quempiam intricatam habere conscientiam vel tenuem dispositionem afferre, si non habeat causam externam independentem a confessione, non potest se excusare ab eo audiendo : secus uteretur notitia confessionis cum gravamine poenitentis. At procul dubio potest talem in confessione admonere, ne se deinceps accersat.

EPILOGUS.

Super custodia *sigilli sacramentalis* divinam Providentiam **singulariter invigilare**, manifestum est. Quocirca juvat referre quae desuper leguntur in opere. « AMICO CATTOLICO » (IV, 296) : « Il est une chose inouie, disait S. Jean Climaque, il y a douze cents ans, que les péchés accusés au tribunal de la pénitence aient été jamais révélés. Dieu le permet ainsi pour que les pécheurs ne soient pas détournés de la con-

fession et privés de la seule espérance de salut qui leur reste. Les douze siècles qui se sont écoulés depuis S. Jean Climaque n'ont fait que confirmer la vérité de ses paroles. On a vu malheureusement bien des prêtres catholiques oublier la sainteté de leur ministère, donner de graves scandales, se révolter contre l'Église, apostasier; mais on n'en peut citer aucun qui ait violé le secret sacramentel. LUTHER, CARLOSTAD, ŒCOLOMPADE, qui ont administré le sacrement de pénitence avant d'abolir la confession, n'en ont pas violé le secret, on ne saurait le prouver. Il n'est pas même rapporté que, dans le délire ou dans la folie qui arrachent tant d'autres révélations, celles de la confession aient été faites. Preuve manifeste que la Providence veille sur ses ouvrages. »

DE EXTREMA UNCTIONE.

PRAEAMBULUM. Juvat in limine hujus tractatus verba efferre quibus CATECHISMUS ROMANUS de Extremae Unctionis Sacramento tractationem exorditur : « *Cum sancta Scripturarum oracula ita doceant* (Eccli. VII, 40) : IN OMNIBUS OPERIBUS TUIS MEMORARE NOVISSIMA TUA, ET IN AETERNUM NON PECCABIS ; *tacite* **parochi** *admonentur, nullum tempus praetermittendum esse fidelem populum cohortandi, ut in assidua mortis meditatione versetur. Quoniam autem Extremae Unctionis Sacramentum non potest supremi illius diei memoriam conjunctam non habere, facile intelligitur, de eo* **saepe** *agendum esse, non solum ob eam causam, quod illarum rerum mysteria, quae ad salutem pertinent, aperire et explicare maxime convenit; sed etiam quia fideles moriendi necessitatem omnibus propositam esse animo repetentes, pravas cupiditates coercebunt; quare fiet ut in ipsa mortis exspectatione minus se perturbari sentiant. Sed immortales Deo gratias agant, qui ut Baptismi sacramento aditum nobis ad veram vitam patefecit, ita etiam, ut ex hac mortali vita decedentes, expediliorem ad coelum viam haberemus, Extremae Unctionis Sacramentum instituit.* »

Praesens tractatus dividetur in **quinque capita**, in quibus dicemus : 1°) de *quidditate* Extremae Unctionis ; 2°) de ejus *effectibus;* 3°) de *materia* et *forma;* 4°) de *ministro;* 5°) de *subjecto.*

His addetur *duplex* **Appendix** : 1°) de *visitatione* et *cura infirmorum*, ubi et de *benedictione apostolica* ; 2°) de *sepulturis* et *exsequiis.*

CAP. 1. De quidditate extremae unctionis.

Q. 1. *Quid* 1°) sit EXTREMA UNCTIO; 2°) *undenam* illud NOMEN; 3°) *a quo* et *quandonam* fuerit INSTITUTA; et 4°) an *verum* sit SACRAMENTUM?

R. Ad 1^{um}) Ex S. THOM. (in 4. d. 23, q. 1, a. 1): « *Est sacramentum a Christo institutum ad aegroto periclitanti de vita conferendam salutem animae vel etiam corporis per unctionem olei benedicti et orationem sacerdotis.* »

Explanatur. His verbis omnia essentialia designantur : 1°) **divina institutio** per verba : *a Christo institutum;* 2°) **subjectum** per verba : *aegroto periclitanti de vita;* 3°) **materia remota** per verba : *olei benedicti* : 4°) **materia proxima** per verba : *unctionem;* 5°) **forma** per verba : *orationem*; 6°) **minister** per verba : *sacerdotis;* 7°) **effectus** per verba : *salutem animae vel etiam corporis.*

R. Ad 2^{um}) Hoc sacramentum, quod a GRAECIS vocatur ἁγίον ἔλαιον *oleum sanctum*, seu εὐχέλαιον *oratio cum oleo*, a LATINIS dicitur *extrema unctio* ob unam alteramve ex his *tribus* rationibus.

Explanatur. Sive : 1°) quia confertur infirmis de vita periclitantibus; unde quoque *oleum infirmorum* dictum est; et, teste TRID. (Sess. XIV *de extr. unct.* cap. 3), *sacramentum exeuntium* nuncupatur; sive : 2°) quia, ut vult CATECH. ROM., cum multae sint unctiones, quibus homo viator inungitur in Ecclesia, harum omnium ultima est; sive : 3°) quia extremum et ultimum est sacramentum, quod administrari debeat fidelibus : nam, ut habet RIT. ROM., « *ex generali Ecclesiae consuetudine observandum est, ut, si tempus et infirmi conditio permittat, ante extremam unctionem, poenitentiae et eucharistiae sacramenta infirmis praebeantur.* »

R. Ad 3^{um}) De fide est ex TRID. (Sess. XIV, can 1), sacramentum E. U. institutum fuisse a C. D.; et quidem *immediate* ab eo institutum fuisse, licet de fide non sit, theologice tamen certum est (tom. II, pag. 360 seq.). — De *tempore* autem institutionis DD. *disputant.*

Explanatur. *Probabilius* institutum fuit post resurrectionem, et quidem simul cum sacramento Poenitentiae : quia ex Trid. (Sess. XIV, cap. 1) « *non modo poenitentiae, sed et totius christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet*, consummativum *existimatum est a Patribus ;* » unde conveniens non fuit, ut ante illud sacramentum institueretur, sed una cum illo. Fuit autem ex eodem Trid (*ibid.* cap. 1) apud Marcum (VI, 13) «*insinuatum*,» i. e. adumbratum seu obscure indicatum per aliud tanquam per symbolum, perinde ut baptismus Joannis adumbravit baptismum Christi ; et per Jacobum (V, 14 seq.) «*fidelibus commendatum ac promulgatum*. »

Resolvitur. Itaque, contra Maldonatum, Catharinum et alios nonnullos dicendum est cum Bill. et plerisque theologis ac interpretibus : unctionem de qua Marc. (VI, 13). « *Et ungebant oleo multos aegros et sanabant*, » **non esse sacramentum Extremae Unctionis**. Rationes sunt : 1°) Quia in illa unctione Marci nulla fit mentio collationis gratiae, sed sanitatis corporalis dumtaxat. 2°) Quia haec unctio adhibebatur indifferenter sive infirmis decumbentibus, sive aliis, ut caecis et claudis, sive baptizatis sive non baptizatis ; nam apud Matth. (X, 8) dictum erat generaliter Apostolis, nulla facta restrictione : « *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones ejicite*, » et ex Marc. (VI 13) constat multos fuisse unctos et sanatos, cum tamen tunc pauci adhuc essent baptizati. 3°) Quia Apostoli nondum erant tunc sacerdotes ; et quamvis Christus in hoc potuerit dispensare, hujus tamen dispensationis nulla apparet ratio. 4°) Quia Conc. Trid., ubi dicit Sacramentum Extr. Unct. a Christo institutum esse « *apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum... fidelibus commendatum et promulgatum*, » satis indicat unctionem de qua Marc. agitur, non esse ipsum Sacramentum Extr. Unct., sed tantum ejus figuram et quasi praeludium. Si enim de Extr. Unct. apud Marc. sermo esset, opus non erat aliam hujus sacramenti promulgationem quaerere.

R. Ad 4^{um}) De fide est : Extremam Unctionem « *esse vere et proprie sacramentum a C. D. N. institutum*. » ut definitum est a Trid. (*ibid.* can. 1) contra asserentes : eam esse « *ritum tantum acceptum a Patribus*, » ut placuit Luthero;

« *aut figmentum humanum*, » prout audacior CALVINUS blasphemare non erubuit.

Explanatur. Quod dogma probatur : 1°) ex **Scriptura** (JAC. V, 14 seq.) : « *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum; et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei.* » In quibus verbis habentur, quae requiruntur et sufficiunt ad sacramentum N. L. constituendum, scilicet : **A**) signum sensibile : « *unctio* et *oratio* » et quidem stabile, quia sine ulla limitatione temporum aut personarum dicitur : « *Infirmatur quis*, » etc. ; **B**) promissio gratiae : « *salvabit, alleviabit, remittentur ;* » **C**) divina institutio : tum quia dicitur « *in nomine Domini;* » tum quia solus Deus potest elemento annectere gratiam. Probatur : 2°) ex **Traditione**, quam praeter testimonia SS. PP., dicta CC., aliaque instrumenta, luculenter exhibet unanimis et perpetuus consensus totius Ecclesiae, tam orientalis quam occidentalis, qui non potest provenire, nisi ex traditione apostolica, juxta tritam AUGUSTINI regulam : « *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.* » 3°) Cum BILL. suadetur **ratione.** « Christus, ait, instituit sacramenta ut fidelibus subveniret pro quovis tempore et secundum quemvis statum. Sic in *ingressu* Ecclesiae est Baptismus; in *progressu* et *decursu* vitae Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, etc. Ergo et in *exitu*, in quo adversarius noster omnes suae versutiae nervos ad nos perdendos intendit. Non est autem aliud quam Extrema Unctio, quae ideo dicitur sacramentum exeuntium. Hanc rationem fecit suam TRID. Sess. 14 in Prooem. ad Sacram. Extr. Unct. » — Cur autem **in Evangelio** non fiat *expressa* mentio de hoc sacramento, sicut nec de Confirmatione, ratio ex S. THOM. (*Suppl.* q. 29, a. 3 ad 1) est : quia « *praecipue curaverunt* EVANGELISTAE *tradere quae ad necessitatem salutis et ecclesiasticae dispositionis* [sive distinctionem Ecclesiae] *pertinent.* » Porro Extr. Unct. et Confirmatio ad neutrum spectant. — Ad **objectionem** vero : « *Sacramenta veteris legis fuerunt signa sacramentorem novae legis. Sed Extrema Unctio non habuit aliquam figuram in veteri lege. Ergo, etc. ;* » ita **respondet** S. THOM. (*ibid.*, a. 1 ad 2) : « *Dicendum quod hoc sacramentum immediate hominem*

ad gloriam disponit, cum exeuntibus a corpore datur. Et quia in veteri lege non erat tempus adhuc perveniendi ad gloriam, quia neminem ad perfectum adduxit lex (Hebr. VII, 19), *ideo istud sacramentum ibi praefigurari non debuit per aliquod sacramentum sibi respondens sicut per figuram ejusdem generis; quamvis per figuras remotas aliquo modo figuratum sit in omnibus curationibus quae leguntur in veteri testamento.* »

Scholion. Ratio, cur a **pastoribus** de hoc sacramento *saepius* agendum sit coram populo, traditur a Catech. Rom., cujus verba ex integro retulimus in praeambulo hujus tractatus. Accedit, ut infra dicetur, ex judicio Sanctorum multos per hoc sacramentum salvari, qui alioquin, fuissent damnati.

CAP. 2. De effectibus Extremae Unctionis.

Q. 2. *Quinam* sint effectus Extremae Unctionis?

R. *Tres* numerantur ex Trid. (Sess. XIV *de extr. unct.* can. 2) : « *Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem non* conferre gratiam, *nec* remittere peccata, *nec* alleviare *infirmum; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit.* »

Explanatur. Itaque **primus effectus** est *gratiae collatio.* Cum autem sit sacramentum vivorum ex primaria sua institutione, intelligitur per se gratia sanctificans *secunda* seu *augmentum* gratiae.

Secundus effectus est *remissio peccatorum;* quo nomine veniunt : **A)** *Reliquiae* peccatorum, quales sunt non solum poenae peccatis debitae, sed etiam defectus humani et infirmitates ex peccatis commissis contractae, ut propensio ad malum, torpor ad bonum, quaedam gravedo animam deprimens, quominus se ad coelestia erigat, moeror et anxietas, quae moribundos vexare solent, et diffidentiam provocant. Et quamvis hujusmodi *reliquiae* non tollantur *radicitus*, quandoquidem in iis, qui convalescunt, superesse aut reviviscere conspiciantur; reprimuntur tamen et debilitantur, eoque magis, quo melius infirmus est animo comparatus. **B)** Ipsa *peccata*, et non tantum *venialia*, sed etiam *mortalia* : nam **1°)** verba : tum Trid., tum S. Jac., tum formae « *quidquid*

deliquisti, » generalia sunt; 2°) peccata in rigore magis significant *mortalia;* 3°) propter sola venialia, et a fortiori propter poenas residuas, ne opus quidem erat annecti conditionem : « *et si in peccatis sit;* » vix enim reperitur, qui culpa veniali aut poenarum reatu non sit obstrictus. — Interim circa **modum**, quo per Extr. Unc. *mortalia* remittantur, DD. *disputant. Alii* cum Gonet, Sporer, etc., quibus suffragari videtur S. Thom. (*Suppl.* q. 30, a. 1 in c.), dicunt, ea remitti *indirecte* et *per accidens*, sicuti remitti dicuntur a ceteris vivorum sacramentis, si nimirum quis ea recipiat in lethali, falso putans vel se rite absolutum, vel perfecte esse contritum; in eo tamen ab his distare hoc sacramentum, quod cetera vivorum *probabiliter* tantum, hoc vero *certo* primam gratiam non ponenti obicem confert (t. II, p. 369 seq.). *Alii* cum Suar., Tourn., etc. dicunt, *mortalia* remitti *directe* per hoc sacramentum, non quidem ex *primaria* sua institutione, qui modus remittendi mortalia competit tantum baptismo et poenitentiae; sed ex *secundaria* institutione seu *ex consequenti*, quatenus, cum principaliter institutum sit ad tollendas peccatorum *reliquias*, eas tollere nequit, nisi prius peccatum ipsum sublatum sit. Unde quoque docent isti auctores, hoc sacramentum sufficere ad delendum mortalia, quae non potest infirmus confiteri, etsi sciat se tantum esse attritum. — Quidquid dicatur, existimant S. Carol. Borrom. et Ven. Bellarm., **multos salvari** per hoc sacramentum, qui alioquin fuissent damnandi.

Tertius effectus est *alleviatio* infirmi, quae tam de spirituali, quam de corporali intelligitur : quatenus ex Trid. (*ibid.* cap. 2) Extrema Unctio tum 1°) « *aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus daemonis... facilius resistit;* » tum 2°) per eam infirmus « *sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur.* » Et in hac quidem alleviatione quoad animam et quoad corpus consistit *gratia sacramentalis* seu huic sacramento *propria*, i. e. gratiae habitualis modus distinctus seu vis propria, plenius scilicet sanativa, cum ordine et jure ad auxilia specialia ad hoc necessaria.

Q. 3. *An* per Extr. Unct. SANITAS CORPORALIS conferatur : 1°) *ex opere operato;* 2°) *infallibiliter?*

R. Ad 1^{um}) *Controvertitur.*

Explanatur. Alii **negant** cum Sylvio, docentque sanitatem corporis conferri *ex opere operantis*, i. e. per modum impetrationis ex ipsa quidem unctione, non tamen prout est sacramentum, sed ut est sacramentale quoddam, sicut aspersione aquae a sacerdote benedictae tollitur v. g. corruptio aeris. Alii **affirmant** cum Daelman, et rectius quidem, ut adeo hoc sacramentum tam influat in restitutionem sanitatis, quam in collationem gratiae ex peculiari Christi institutione.

R. Ad 2^{um}) Non confertur *infallibiliter*, sed ex Trid. (Sess. XIV *de extr. unct.* cap. 2) « *ubi saluti animae expedierit;* » et ideo, si convalescens peccaret mortaliter in eoque statu moreretur, sanitatem corporis non consequetur.

Explanatur. Rationem affert S. Thom. (*Suppl.* q. 30, a. 2) : « *Extrema unctio non facit corporalem sanationem* ex proprietate naturali materiae, *sed* ex virtute divina, *quae rationabiliter operatur. Et quia ratio operans nunquam inducit* secundarium *effectum, nisi secundum quod expedit ad* principalem, *ideo ex hoc sacramento* non semper *sequitur corporalis sanatio, sed* quando expedit *ad spiritualem sanationem.* » — Utrum vero, *si sanitas saluti expediat*, ea tunc *infallibiliter* conferatur, DD. *disputant*. Alii **affirmant** cum S. Thom. (*loc. cit.*), qui, verbis mox allatis, immediate subjungit : « *Et tunc* semper *eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.* » Quod impedimentum adesse censetur : non solum ob defectum fidei sive fiduciae, sed etiam quando hoc sacramentum non suscipitur, nisi cum morbus ita invaluit, ut jam sine miraculo sanari nequeat. Licet enim virtute supernaturali sanitatem operetur, si animae saluti expediat; illam tamen, ut observat Bened. XIV (*de Syn.* l. VIII, cap. 7) non efficit per modum miraculi, sed via quadam ordinaria, causas naturales adjuvando, ad similitudinem operationis medicinarum corporalium. Alii **negant** cum Steyaertio, docentque sanitatem, licet saluti expediat, *non semper* et infallibiliter obtineri, sed *interdum* tantum juxta ordinationem divinae providentiae, licet etiam aliud nullum obstaret impedimentum. Et hoc ideo sic docent : 1°) quia Trid. (*l. c.*) dicit « *interdum;* » ergo non stata lege; 2°) quia alioquin sequeretur, quod homines, qui semper crescerent in virtute, immortalitate donarentur.

Q. 4. *Quandonam* E. U. PRODUCAT SUOS *effectus?*

R. Eo instanti, in quo consummatur essentialiter hoc sacramentum.

Resolvitur. Hinc, pro diversis circa essentiam hujus sacramenti sententiis, juxta alios producuntur effectus post *unam* unctionem; juxta alios vero, dicentes *quinque* unctiones essentialiter requiri, non producuntur nisi in *ultima*, quamquam in eadem sententia dici possit, quod licet *totalis* effectus non habeatur nisi in ultima, sint tamen habendi effectus *partiales* in unaquaque unctione.

Scholion. His dictis de effectibus Extremae Unctionis, ut tam salubre sacramentum tempore opportuno suscipere valeamus, satis a Deo efflagitare non possumus per intercessionem Sanctorum, imprimis SANCTAE BARBARAE, quam veluti patronam *morientium* Ecclesia veneratur. Quocirca juvat memorari orationem antiquissimam, cui nuper indulgentiam centum dierum adnectere dignatus est Em. Card. PETRUS LAMBERTUS GOOSSENS, Arch. Mechl. (25 Nov. 1893).

SALVE BARBARA BEATA,
PECCATORUM ADVOCATA,
SALUS MORIENTIUM.

AVE VIRGO, MARTYR AVE,
ATQUE MIHI, QUAESO, SUAVE
SEMPER FER AUXILIUM.

SED POTISSIMUM DIGNARE,
APUD DEUM IMPETRARE,
SUBITO NE MORIAR.

ET UT PRIUS EXPIATIS
POENITENTIA PECCATIS
CHRISTI CARNE MUNIAR.

SACRA QUOQUE UNCTIONE,
TUA INTERCESSIONE,
RITE FRUI VALEAM.

SIC SIT OPIS TUA MECUM,
UT POST HANC IN COELO TECUM,
IN AETERNUM GAUDEAM.

AMEN.

CAP. 3. De materia et forma Extr. Unctionis.

Q. 5. *Quaenam* sit MATERIA *remota* Extr. Unctionis : 1°) quoad *validitatem* ; 2) quoad *liceitatem?*

R. 1°) Quoad *validitatem*, materia remota est oleum simpliciter dictum, nempe olivarum, benedictum ab episcopo, vel a sacerdote de licentia tamen S. Pontificis, sive expressa sive tacita, ut adeo minister benedictionis ordinarius sit episcopus, extraordinarius vero sacerdos.

Explanatur. Dixi : **1°) oleum**, ut constat : tum ex S. Jac. «*ungentes eum* OLEO ; » tum ex perpetua Ecclesiae tam graecae quam latinae praxi ; tum ex Trid. (*loc. cit.* cap. 1) quod ait : « *Intellexit Ecclesia materiam esse* OLEUM *ab episcopo benedictum* ; » — et quidem oleum « **olivarum,** » quod dicitur simpliciter oleum, et ut expresse declaratur in Conc. Flor. Rationes *congruentiae* sunt : quia **A)** pinguedinem gratiae significat, juxta Greg. Magn. (l. 4 in 1 Reg.) ; **B)** pacis et tranquillitatis signum est, juxta Gen. VIII ; **C)** sanat, lenit, recreat, penetrat ac lucet. — Dixi : **2°) benedictum ab episcopo** ; et quidem de *necessitate sacramenti*, juxta sententiam S. Thom. (*Suppl.* q. 29, a. 6) eamque omnino tenendam, cum propositio affirmans : « *Extr. Unctionem oleo episcopali benedictione non consecrato ministrari valide posse,* » damnata fuerit « *tanquam temeraria et errori proxima* » a S. U. I. coram Paulo V (13 Jan. 1665). Unde quoque ad **dubium** : « *An in casu necessitatis parochus ad validitatem sacramenti Extremae Unctionis uti possit oleo a se benedicto?* » S. U. I. (14 Sept. 1842) **respondit** : « *Negative.* » Ratio congruentiae ex S. Thom. (*l. c*) est : ut significetur omnem virtutem sacramentorum derivari ex merito Christi, cujus personam praecipue gerit episcopus. Quare, absque delegatione R. P., non potest sacerdos uti oleo a se benedicto, nec in casu necessitatis, ut constat ex S. U. I. (14 Sept. 1842 et 10 Jan. 1850). — Utrum vero de *necessitate sacramenti* oleum debeat esse benedictum ab episcopo *in ordine ad extremam unctionem*, *DD. disputant.* Alii *negant* cum Gonet ; alii *affirmant* cum Sylv. « Quamvis haec SECUNDA sententia, mihi sit aliquantulum probabilior, PRIMA tamen non est improbabilis, » ait Bill. Consentit S. Lig. (VI, 709) inquiens :

« Utraque sententia est probabilis. » Quare in necessitate administrandum erit sacramentum sub conditione cum alio oleo ab episcopo benedicto, v. g. *chrismate* vel oleo *catechumenorum*, et postea, si oleum *infirmorum* haberi poterit, iteretur sub conditione. — Dixi : 3°) **vel a sacerdote de licentia S. Pontificis**, *sive* **expressa**, ut quandoque legitur concessa missionariis apud Indos exsistentibus; *sive* **tacita**, et sic in Ecclesia graeca mos viget, ut ipsimet presbyteri illud oleum benedicant; quam consuetudinem Ecclesia latina nedum improbavit, sed ratam habuit : nam Clemens VIII, decreto « *Sanctissimus Dominus* » (31 Aug. 1595), presbyteris graecis in Italia degentibus permisit in isto ritu perseverare, et Bened. XIV de eo loquitur tanquam de re licita in Const. « *Etsi pastoralis* » (26 Maii 1742).

R. 2°) Quod *liceitatem* attinet, oleum infirmorum ex Rit. Rom. « *Singulis annis* feria V *in coena Domini ab episcopo benedictum, vetere combusto, renovandum est,* » idque sub gravi, nisi novum haberi non possit.

Explanatur. Addit Rit. Rom. : « *Si forte infra annum aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat,* modico oleo non benedicto in minori quantitate *superinfuso,* reparari *potest.* » Idque *saepius* fieri poterit, dummodo oleum non benedictum in unaquaque admixtione sit *in minori* quantitate, quam oleum benedictum; quamvis paulatim longe etiam major quantitas addatur, quam ab episcopo consecrata fuit initio : quia pars dignior trahit ad se minus dignam. Constat ex S. C. C. (23 Sept. 1682) et Pio VI, *in Resp. ad q. 13* (1 April 1794). — Juvat autem incidenter heic adnotare, *triplex* esse oleum sanctum, quod feria V in coena Domini ab episcopo benedicitur : 1°) Oleum **infirmorum**, quod inservit ad inungendos periculose decumbentes et ad consecrationem campanarum pro unctione externa. 2°) Oleum **catechumenorum**, quod adhibetur in baptismo, ante collationem sacramenti; ad consecrandas manus neosacerdotum, necnon ad varias consecrationes faciendas, v. g. ad consecrationem regum. 3°) **Chrisma** seu oleum cum balsamo, quod adhibetur in confirmatione, in caeremoniis baptismi, collato jam sacramento, et ad varias consecrationes, v. g. calicis, patenae, ciborii, altaris, campanae (interius), etc.

Q. 6. Dic : 1°) *quae* sit MATERIA *proxima* E. U. ; 2°) *quaenam* ad eam requirantur de NECESSITATE *praecepti* ; 3°) *quaenam* vero de NECESSITATE *sacramenti?*

R. Ad 1^um^) Est applicatio materiae remotae, i. e. unctio in assignato oleo juxta verba : « *ungentes eum oleo.* »

R. Ad 2^um^) De NECESSITATE *praecepti,* circa *numerum* unctionum et *modum* eas peragendi, requiruntur sequentia.

Explanatur. Ex RIT. ROM. 1°) « **Quinque** *corporis partes* **praecipue** *ungi debent, quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit, nempe* OCULI, AURES, NARES, OS *et* MANUS. » Ratio, quam ex S. THOM. (*Suppl.* q. 32, a. 5 et 6) affert CATECH. ROM., haec est : unctio in hoc sacramento adhibetur tanquam medicatio spiritualis, ideoque ejus ritus ex similitudine medicationis corporalis sumendus est ; in corporis autem morbis, licet totum corpus infirmetur, medicina tamen non applicatur nisi parti a qua, tanquam a fonte et origine, morbus manat. Atqui prima radix et origo peccatorum nostrorum sunt *quinque* sensus : omnis enim cognitio nostra est a sensibus, et nihil est volitum quin praecognitum. — Imo, ex FLOR. et RIT. ROM., PEDES etiam et RENES ungendi sunt. Sed ex eodem RIT. « RENUM *unctio in mulieribus, honestatis gratia, semper omittitur ; atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest.* » Ubi autem unctio RENUM non est in usu, optat S.R.C. (14 Aug. 1858) ap. N.R.T. (1, 639), ut introducatur, si fieri possit. Quod votum clero suo significavit C. DECHAMPS (6 Oct. 1872). Imo ex S. INQ. (28 Aug. 1889) *per se* nunquam omitti potest. — Fit autem unctio : tum in RENIBUS « *propter hoc quod ibi maxime viget appetitus concupiscibilis,* » ut habet S. TH. (*ibid.* ad 3) ; tum in PEDIBUS, « *qui nobis ingressus et ad locum movendi principium sunt,* » ut loquitur CAT. ROM.

2°) « *Si quis autem sit aliquo membro* **mutilatus,** » aut etiam ex S. THOM. (*Suppl.* q. 32, a. 7) a natura eo caruerit, « *pars loco illi proxima inungatur.* » Ratio, cur *mutilati* etiam inungi debeant, ex S. THOM. (*ibid.*) est : « *quia quamvis non habeant membra, habent tamen potentias animae, quae illis membris debentur, saltem in radice ; et interius peccare possunt per ea quae ad partes illas pertinent, quamvis non exterius.* »

3°) Unctiones faciendae sunt tum « *in modum* **crucis** ; » tum servando **ordinem** in RIT. ROM. indicatum, ita ut unctio fiat :

1°) « *ad oculos*, » scilicet in palpebris vel, si claudi nequeant, in superciliis; 2°) « *ad aures* » seu in ima auricula; 3°) « *ad nares*, » i. e. super utramque narem, et quidem foris ad evitandum sternutationem, non vero super extremitatem summitatis nasi, ubi ambae narices conveniunt; 4°) « *ad os, compressis labiis* » seu in labio inferiori; 5°) « *ad manus* » intra pro laicis, extra pro sacerdotibus : tum, quia incongruum esset, ut simplex sacerdos ungeret, quod jam unxit episcopus; tum, ut advertant suam dignitatem et excitentur ad poenitentiam; 6°) « *ad pedes* » sive *in parte inferiori* juxta S. Car. Borr., S. Lig., aliosque plures, quia sensibilitas et usus pedis est praecipue in plantis; sive *supra*, ne sanctum oleum pedibus calcari videatur. Ad **dubium** : « *Utrum pedum pars superior, an inferior ungenda sit in sacramento Extremae Unctionis?* » **respondit** S. R. C. (27 Aug. 1836) : « *Nihil innovandum.* » Unde quisque observet usum dioecesanum. 7°) « *ad lumbos sive renes* » virorum tantum et modo commode moveri possint.

4°) Si membra sint **gemina**, utrumque ungendum est sub una forma, cum duplici tamen cruce, incipiendo, juxta rubricistas, a membro dextro. Ast tunc sacerdos « *caveat ne alterum ipsorum inungendo, sacramenti formam prius absolvat, quam ambo hujusmodi paria membra perunxerit.* »

5°) Unctiones fieri debent « *intincto* **pollice** *in oleo sancto* ; » teste tamen Bened. XIV (*de Syn.* XIII, cap. 19), cui suffragatur S. R. C. (9 Maii 1857 et 31 Aug. 1872), fieri poterunt *virgula* tempore pestis aut alicujus morbi contagiosi.

6°) Minister, si est in sacris, vel ipsemet sacerdos, post quamlibet unctionem, **tergat** loca inuncta novo globulo bombacei vel rei similis, eumque in vase mundo reponat et ad ecclesiam postea deferat, comburat cineresque projiciat in sacrarium.

R. Ad 3^{um}) De *necessitate sacramenti*, requiritur talis applicatio olei, ut infirmus in aestimatione morali dicatur vere inunctus. Unde *probabilius* juxta S. Lig. (VI, 709) sufficit *unica gutta* olei ad unctiones faciendas, cum oleum plus quam alii liquores diffundi possit; *in praxi* tamen tutius est intingere in oleo extremam partem digiti ad singulas unctiones speciales, quae sub repetita forma fiunt. — Utrum vero *plures* unctiones *essentialiter* faciendae sint, DD. *disputant.*

Explanatur. Alii, et quidem probabiliter, **negant** cum Sylvio, Nat. Alex., etc., docentque sufficere *unicam* in quavis corporis parte : tum, quia apud Jac. simpliciter dicitur « *ungentes eum :* » tum, quia diversa est in unctionum numero disciplina, quae, ut observat Bened. XIV (*de Syn.* l. VIII, cap. 3) « *non fuisset singularum ecclesiarum arbitrio permissa, si certum earum numerum sacramenti validitas exposceret.* » Alii communiter **affirmant**, docentque unctiones *quinque* sensuum cum forma quintuplici cuilibet unctioni respondente esse essentiales. Pro hac sententia, praeter S. Bonav., citatur S. Thom.; sed ipse *dubitanter* loquitur. Dicit enim (*Suppl.* q. 32, a. 6) : « *Illa unctio ab omnibus observatur, quae fit ad* quinque *sensus, quasi de necessitate sacramenti.* » Quidquid sit, haec sententia ut tutior **in praxi** est sequenda. Hinc *nonnisi in necessitate et sub conditione* celeriter, sine crucis signo, inungendi sunt quinque sensus, ungendo unum oculum, unam aurem, nares, os et maxillam pro sensu tactus qui per totum corpus diffunditur, sub una forma sensus omnes exprimente; vel etiam, si infirmus timeatur moriturus ante finem, praesertim si nullum aliud sacramentum susceperit, debet sola frons inungi, ubi sedes est sensuum, aut alia pars magis obvia, dicendo : *Per istam sanctam unctionem*, etc. *indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus*, addendo : *visum, auditum, odoratum, gustum et tactum* (in accusativo vel genitivo). Quod si aeger supervivat, sub conditione repetendae sunt unctiones in singulis sensibus cum forma singulis propria.

Resolvitur. Ex dictis intelligitur quomodo se gerere debeat sacerdos qui, administrato hoc sacramento, domum jam reversus, recordatur se aliquam unctionem omisisse. Scilicet : si omissa unctio non sit una de *quinque* unctionibus ad organa quinque sensuum, nihil agere debet. Si vero una esset de his *quinque*, reverti deberet ad domum infirmi et omissionem reparare. Sed quaestio tunc movetur, an debeat tantum supplere unctionem omissam, an vero iterare omnes unctiones? et respondendum est : id pendere a circumstantiis. Si praesens unctio cum praecedentibus censeri possit unum totum morale constituere, debet tantum suppleri unctio omissa; secus omnes unctiones repeti debent, ut si longa temporis mora, veluti horae quadrantis, intercesserit. In dubio autem, omnes unctiones in gratiam infirmi forent iterandae.

Q. 7. *Quae* sit FORMA Extr. Unct.?

R. FORMA in utraque Ecclesia est *deprecativa*.

Explanatur. In Ecclesia **latina** ex RIT. ROM. haec est : « *Per istam sanctam unctionem* ✝ *et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum* (auditum, odoratum, gustum et locutionem, tactum, gressum, lumborum delectationem) *deliquisti. Amen.* » Quae forma ad singulas unctiones est repetenda. In Ecclesia **graeca**, teste *Arcudio*, forma haec est : « *Pater sancte, medice animarum et corporum, sana servum tuum hunc ab illa, quae ipsum detinet, corporis et animae infirmitate.* » Cui aliqui adjiciunt pauca alia verba, quae nihil essentiale exprimunt.

Scholion. Cur forma in hoc sacramento sit **deprecativa,** hisce verbis tradit CATECH. ROM., inquiens : « *Nec vero quisquam admiretur, cur factum sit, ut aliorum sacramentorum forma vel absolute significet quod efficit, ut cum dicimus :* Ego te baptizo ; *aut,* signo te signo crucis ; *vel tanquam ab imperantibus pronuncietur, ut cum in sacramento ordinis administrando dicitur :* accipe potestatem ; *haec una vero extremae unctionis forma* PRECATIONE *quadam absolvatur. Id enim optimo jure constitutum est : nam cum hoc sacramentum propterea adhibeatur, ut praeter spiritualem gratiam, quam tribuit, sanitatem etiam restituat aegrotis ; tamen, quia non semper sequitur, ut aegri a morbis convalescant, ob eam causam* PRECATIONE *forma conficitur, ut a Dei benignitate id impetremus, quod sacramenti vis constanti et perpetuo ordine efficere non solet.* » Alias congruentias addit S. THOM. (*Suppl.* q. 29, a. 8). — Ceterum, quamvis forma hujus sacramenti *deprecatoria* sit, et quidem juxta plures cum SS. THOM. et BONAV. de *necessitate sacramenti* talis esse debeat, et ideo ex BENED. XIV (*de Syn.* l. VIII, cap. 2) « *certe, sine gravi flagitio, non potest privata auctoritate immutari ;* » validitati tamen non obstat **voluntaria distractio** ministri : quia valor sacramenti non pendet ab oratione sacerdotis, ut est opus operantis, sed ut est opus sacramentale, habens suam efficaciam ex institutione et meritis Christi.

Q. 8. *Quae* sint ESSENTIALIA in forma *latina?*

R. Ex communi sensu DD. essentialia sunt : *Per istam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti.*

Explanatur. Per haec enim, aut alia idem saltem implicite significantia, sufficienter exprimitur actio sacramentalis seu unctio et praecipuus hujus sacramenti effectus, videlicet remissio peccatorum. Dixi : *aut alia idem saltem implicite*, etc ; et ita in forma *Graeca*, unctio importatur implicite per verba : *medice* et *sana*.

Resolvitur 1. Hinc essentialia non sunt : neque 1°) verbum *sanctam*, cum ejus non meminerint Flor. et Trid.; neque 2°) verba : *et suam piissimam misericordiam*, cum verbo *indulgeat* tacite contineantur : neque 3°) verbum *Amen*, quod ex Rit. Rom. ab ipso sacerdote inungente addendum est, non vero a ministro inserviente aut aliis adstantibus. — Ast DD. *disputant*, utrum ad essentiam formae pertineat *expressio* cujuslibet sensus, dicendo *per visum, per auditum?* Alii *affirmant;* alii *negant :* quia in formis graecorum sensus non exprimuntur. Nec etiam constat, an sit de essentia sacramenti *quinquies* repetere verba formae cum quinque sensuum determinatione. Interim haec duo posteriora omitti vix possunt sine periculo nullitatis, adeoque nec sine peccato mortali. **Resol. 2.** Si loco *deliquisti* diceretur *dereliquisti*, invalidum foret sacramentum, propter mutationem substantialem, cum haec posteriora verba ex usu generali aliquid omnino diversum significent. Nec refert juxta quosdam verba : *quidquid deliquisti* non pertinere ad essentiam ; quia existimant, licet immerito prorsus, ea sufficienter significari per verbum : *indulgeat*. At in casu praesenti, praecitatis verbis : *quidquid deliquisti* alia omnino verba substituuntur, quorum significatio nullo modo continetur in verbo : *indulgeat*.

Scholion. Cur hoc sacramentum, non obstantibus pluribus materiis et formis, sit **unum**, unitate scilicet *perfectionis* seu *integritatis*, rationem ex S. Thom. (*Suppl.* q. 29, a. 2) et Catech. Rom. tradit Bill. : « Quia illae plures materiae et formae partiales ordinantur ad unum et eumdem finem seu effectum, scilicet ad significandam et causandam perfectam curationem vulnerum spiritualium, ad quod requiritur quod medicina applicetur diversis radicibus vulnerum ; sacramentum autem cum sit artefactum morale, desumit unitatem ab unitate finis ad quem ex institutione Christi ordinatur ; sicut, licet in domo sint plures partes, quia tamen ad unum totalem finem ordinantur, constituunt unam domum, unum aedificium. »

CAP. 4. De Ministro Extremae Unctionis.

Q. 9. *Quis* sit MINISTER *validus* Extr. Unct.?

R. Minister *validae* collationis est solus et quilibet sacerdos.

Explanatur. Dixi : 1°) **solus** sacerdos, ut constat ex TRID. (Sess. XIV, can. 4) : « *Si quis dixerit* PRESBYTEROS *Ecclesiae, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse* SACERDOTES *ab episcopo ordinatos; sed aetate seniores in quavis communitate, ob idque* PROPRIUM *Extr. Unct. ministrum non esse* SOLUM SACERDOTEM, *anathema sit.* » Praeterea soli sacerdotes sunt ministri sacramenti poenitentiae : atqui Extr. Unctio ex eodem TRID. est « *poenitentiae consummativa.* » — Nec **obstant** verba INNOC. I (*epist. ad Decent.*) scribentis : « *Sancto oleo ab episcopo benedicto non solum sacerdotibus, sed* OMNIBUS CHRISTIANIS *uti licere in sua aut suorum necessitate inungendo.* » Nam, **respondetur** : haec verba non de *activo*, sed de *passivo* hujus sacramenti usu explicanda esse : nempe, non solos sacerdotes, sed omnes fideles esse inungendos, uti colligitur ex toto contextu, et latius ostenditur apud GAZZANICA Ord. Praed.

Dixi : 2°) **quilibet** sacerdos, adeoque etiam excommunicatus, suspensus, interdictus : quia, cum non sit institutum hoc sacramentum per modum judicii ut poenitentia, sufficit ad validam ejus collationem potestas ordinis. Et quidem, uti declaravit BENED. XIV, Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742) ad validitatem *unus* sacerdos sufficit : unde illud « *inducat presbyteros* » ponitur per enallagen seu mutationem numeri, significatque *aliquem ex presbyteris*, quo modo Christus dixit leprosis : « *Ostendite vos sacerdotibus,* » i. e. alicui ex sacerdotibus; nam satis erat, si leprosus uni sacerdoti se ostenderet, ut constat ex *Lev.* XIV. Valet tamen sacramentum per *plures* sacerdotes collatum, sive omnes ungant et formam pronuntient una simul, sive successive (tom. II, p.382). Sed nostris moribus grave est *plures* adhibere, nisi infirmo ad exitum properante, vel nisi minister defecerit omnibus unctionibus nondum absolutis. Quod cum fit, reliquas quidem unctiones prosequi licet; at non jam peractas repetere, nequidem sub conditione, nisi longior mora temporis, velut ex S. LIG. (VI,124) horae quadrantis, intercesserit.

Resolvitur. « *Inspectis ipsis divini eloquii verbis, vel facile patet, sacramentum Extr. Unct., etiam in casu necessitatis, absente nimirum alio presbytero, non posse Missionarium aegrotantem* **sibimetipsi** *ministrare,* » ut declaravit S. C. DE P. F. (25 Mart. 1844).

Q. 10. *Quis* sit MINISTER *licitus* Extr. Unct.?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel **non adest**, vel **adest necessitas.** — Si **primum** : seu *extra casum necessitatis*, solus *parochus* loci in quo quis aegrotat, vel ille cui pastor commiserit, *licite* ministrat hoc sacramentum. Nec distinguitur, utrum infirmus sit laicus, an clericus (S. C. C. 16 Sept. 1871). Episcopus tamen, cui nullus proprius parochus est, eligit a quo ungi malit, sive majorem Capituli sui dignitatem, sive curatum. Praeterea Regularibus concessum est, Extr. Unct. suis religiosis ministrare etiam extra monasterium degentibus, et his qui Regularium jure censentur, quales hic sunt *novitii; famuli* actu famulantes et residentes intra claustra monasterii; *tertiarii*, qui collegialiter vivunt vel cum claustralibus habitant; *pauperes in hospitalibus ipsorum degentes*, item probabilius *alumni convictores* (pag. 515); immo juxta plures *hospites saeculares*, quos intra eorum septa inopinato casu infirmari contigerit. Ast, extra hos casus, « *religiosi praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum extremae unctionis aut eucharistiae per viaticum ministrare absque parochi licentia,* » ex Const. « *Apostolicae Sedis* » incurrunt excommunicationem Papae simpliciter reservatam. — Si **secundum** : seu *in casu necessitatis*, quo proprius parochus vel abest, vel non vult ministrare, vel forte non potest, quilibet sacerdos, sive saecularis, sive regularis, licite hoc sacramentum administrat, ex licentia tacita Ecclesiae.

Q. 11. *Quale* peccatum sit : 1°) omittere *orationes* pro hoc sacramento in Rit. praescriptas; 2°) ministrare illud *sine vestibus sacris*; 3°) non adhibere *lumen* aut *ministrum*; 4°) invertere *ordinem* unctionum, vel omittere *cruces* in inungendo?

R. Citra necessitatem, 1°) *grave* est omittere omnes *orationes* in RIT. *praescriptas*; et si praetermissae fuerint, aegroto ad exitum properante, et postea suppetat tempus,

dicendae erunt: 2°) item *mortale* est administrare *sine superpelliceo* et *stola*; contra 3°) *leve* est ministrare *sine lumine, sine ministro*, vel cum *foemina ministrante*; 4°) invertere *ordinem* juxta S. Lig. (VI, 710) est *grave*; ast *cruces* omittere aestimat *leve* (VI, 728).

Resolvitur. Leve foret extra necessitatem administrare cum superpelliceo tantum, aut cum stola tantum. Cfr. N. R. T. (XVIII, 665).

Nota. « *Extr. unct. oleum non esse deferendum solemniter ad infirmos cum superpelliceo ac lanternis* » declaravit S. R. C. (28 Jan. 1606). Si simul administrantur Viaticum et Extrema Unctio, tunc ex Rit. Rom., si praeter sacerdotem, qui defert Sacram Eucharistiam, « *alius presbyter vel diaconus, qui oleum sanctum deferat, haberi possit,* per ipsum *deferatur, qui superpelliceo indutus cum oleo sacro* occulte *delato sequatur sacerdotem Viaticum portantem.* » Si haberi non possit, oleum sacrum poterit ad infirmum itidem *occulte* deferri « *per ipsum sacerdotem, qui defert Sacram Eucharistiam* », ita scilicet, ut vas sacri olei, non appareat, sed bursae violacei coloris inclusum, collo appendatur sub superpelliceo.

Q. 12. *Quanta* sit obligatio ministrandi Extr. Unct.?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Agitur : vel *de curam animarum* **habentibus,** vel **non habentibus.**—**Si primum** : Tenentur ex *justitia* et sub *gravi*, sive per se, sive per alium, hoc sacramentum suis subditis ministrare, ita ut peccent mortaliter, si vel semel per negligentiam omittant : quia boni pastoris est, suis ovibus providere non tantum de necessariis, sed etiam de valde utilibus ad salutem. Imo ad hoc tenentur cum *evidenti periculo propriae suae vitae*, si infirmus versetur *in gravi necessitate*, quia vel non fuit confessus, aut post confessionem verisimiliter putatur relapsus, nec est in statu rursum confitendi : eo enim in casu Extr. Unctio censetur per accidens sacramentum necessitatis (tom. II, p. 406 seq.). — **Si secundum** : Non tenentur ministrare *ex justitia*; aliquando tamen, deficiente pastore, tenentur *ex charitate*, sed *sub levi* tantum, nisi sacramentum,

ut supra, judicaretur necessarium saluti moribundi, quo casu tenerentur *sub gravi* et cum gravi suo incommodo; immo *cum periculo vitae*, si ageretur de infirmo in *extrema necessitate* versante, quatenus nullum aliud recepisset sacramentum et ex personis rudioribus esset, ita ut non possit cum fundamento credi, sibi providere posse per perfectam contritionem.

Q. 13. *Ubinam* OLEUM infirmorum *asservandum* sit?
R. *Regulariter* asservandum est in ecclesia.

Explanatur. Non quidem in tabernaculo SS. Sacramenti (pag. 51); sed in custodia propria et distincta a custodia Chrismatis et Olei catechumenorum, decenter ornata ac obserata, quae habeatur v. g. in sacristia, vel potius prope altare, in quo tabernaculum collocatur, scilicet in pariete ad cornu epistolae aut evangelii, ut innuitur in rescripto S. R. C. ad Episcopos Belgii (21 Aug. 1865). — Dixi : **regulariter**; nam excipe : tum casum *necessitatis;* et ita ex S. Lig. (VI, 730), « recte parochus in sua domo oleum sanctum in nocte servare potest, dum probabile periculum praevidet, ut si vocatus ad conferendam unctionem, praesto non esset; » tum ex S. R. C. (16 Dec. 1826, casum « *magnae distantiae ab ecclesia*, » modo in utroque casu servetur in decenti et tuto loco, v. g. in capsula, sera obserata.

CAP. 5. De Subjecto Extremae Unctionis.

Q. 14. *Quis* sit SUBJECTUM E. U. *valide* suscipiendae?
R. Subjectum *validae* receptionis est solus homo : 1°) *viator baptizatus;* 2°) *ratione aliquando usus;* 3°) qui *vi morbi* de vita *periclitatur;* 4°) hujus sacramenti suscipiendi *intentionem habet* saltem habitualem implicitam, quam alii vocant interpretativam (tom. II, pag. 422); et 5°) *nondum in eodem morbi statu* illud suscepit.

Resolvitur 1. Extr. Unct. incapaces sunt : **Infideles,** quia baptismus est janua aliorum sacramentorum. **Resol. 2.** Incapaces sunt : **Infantes ante usum rationis** et **perpetuo amentes.** Ratio est : quia ex Trid. (*l. c.*) Extr. Unctio est « *Poenitentiae*

consummativa; » praedicti autem non sunt capaces poenitentiae, adeoque nec hujus consummativae. In dubio vero, an pervenerint ad usum rationis aut aliquando illum habuerint, datur sub conditione : *si es capax.*— Utrum autem, praeter usum rationis, etiam requiratur, ut quis **aliquando peccaverit actualiter,** DD. *disputant.* Qui dicunt non requiri, asserunt infirmis hoc sacramentum prodesse ad confortandum, ne saltem in ultima lucta peccent. Qui requirunt, instant terminis Trid. dicentis esse consummativum poenitentiae, quae non datur in illo qui actualiter non peccavit; deinde, aiunt, non videtur, quomodo in tali verificetur forma : *quidquid deliquisti.* Unde alii *affirmant* cum S. Antonino et Suar., B. M. Virginem suscepisse E. U.; alii *negant* cum Vasquezio et Bill. Interim « *communiter et recte* » ait S. Lig. (VI,721) affirmant DD., posse dari E. U. infirmo adulto **statim post baptismum** : tum, quia potuit saltem venialiter peccasse brevi mora, quae inter baptismum et E. U. intercedit; tum, quia dato, quod nullum post baptismum peccatum commiserit, remanent in illo reliquiae peccatorum ante baptismum commissorum. Et haec sententia omnino est tenenda. Nam, ad **dubium** : « *Quando quis paganus adultus sufficienter instructus riteque dispositus baptizatur, quia in gravem incidit morbum,* debetne *imo* potestne *ei conferri sacramentum E. U. immediate post baptismum?* » **Resp.** fuit : « Affirmative, servata forma decreti S. Officii anni 1805. » Ita S. C. de P. F. (26 Sept. 1821). **Resol. 3.** Incapaces sunt : *Qui* **sano corpore** *sunt in periculo mortis,* ut capite plectendi; praelium aut navigationem ingressuri; mulier proxima partui; quia, licet sint in periculo vitae, non tamen *vi morbi.* Contra capaces sunt : « *Qui prae senio deficiunt et in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate,* » ut habet Rit. Rom. Item veneno infecti; lethaliter vulnerati, etiam in duello; feminae in partu deficientes, vel si proximae sint partui in quo mors timetur ob specialis morbi concurrentis circumstantias; viperae morsu laesi, etsi lecto non decumbant. Item qui naufragium passi et ex aquis erepti videntur morituri. Quod si de inungendo dubitetur, an adhuc *vivat,* inungi debet sub conditione : *si vivis.* **Resol. 4.** Incapaces sunt : *infirmi qui* **periculose non decumbunt,** quoniam ex Flor. « *hoc sacramentum dari non debet nisi infirmo de cujus morte timetur.* » Non

sufficit igitur qualiscumque infirmitas, sed debet esse infirmitas ad mortem. Nihilominus non nimis scrupulose exspectari debet periculum extremum; immo Cviech. Rom. dicit, eos « *gravissime peccare, qui illud tempus aegroti ungendi observare solent, cum, jam omni spe salutis amissa, vita et sensibus carere incipiat.* » « Communiter » autem, teste S. Lig. (VI, 714), docent DD., sufficere talem infirmitatem, ut adsit probabile mortis *periculum*. Quod confirmatur ex Rit. Rom., ubi dicit : « *Debet hoc sacramentum infirmis praeberi, qui, cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis* PERICULUM *imminere videatur.* » Unde quoque ad **Quaesitum** : « *Aliquando missionariis christianos sibi commissos visitantibus occurrit aegrotus hectica febri vel simili morbo laborans, qui juxta experientiam vivet adhuc plures menses, sed intra annum morietur.* Quaeritur : *an in tali casu missionarius ipsi administrare possit Viaticum et Extremam Unctionem, eo quod quando verior aderit casus ea recipiendi, non poterit praesens haberi missionarius ob magnam distantiam et alias circumstantias id impedientes;* » S. C. de P. F. (20 Feb. 1801) **respondit** : « *Affirmative.* »— Optima praxis est, quam suggerit Castro Palao : « *ut, quoties Viaticum administratur infirmo ex judicio medici, simul administretur Extr. Unctio.* » **Resol. 5.** Incapaces sunt : *Qui* **nullam habent voluntatem** *illud sacramentum suscipiendi.* Hinc declaravit S. O. (1805) : « *Non esse conferendum sacramentum Extremae Unctionis neophyto moribundo, quem missionarius capacem Baptismi credidit, nisi saltem idem habeat aliquam intentionem recipiendi Sacram Unctionem in beneficium animae pro mortis tempore ordinatam.* » Idem repetit (10 Apr. 1861). Contra ex Rit. Rom. datur infirmis, « *qui, dum sana mente et integris sensibus essent, illud petierint seu verisimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant.* » In dubio vero de tali voluntate, datur sub conditione, et consequenter adultis catholicis, sensibus destitutis, licet male vixerint, sacramenta non frequentaverint, aut in ipso actu peccati usum rationis amiserint. **Resol. 6.** Incapaces sunt : *jam uncti, exsistente adhuc* **eodem mortis periculo** : quia, si plus quam semel in eodem mortis

periculo *valide* conferri posset, non esset ratio, cur id Ecclesia ita stricte inhiberet.

Q. 15. Dic : 1°) *an*, et 2°) *quandonam* E. U. ITERARI possit?
R. Ad 1^{um}) *Affirmative.*

Explanatur. Constat ex TRID. (Sess. XIV, cap. 3) : « *Quod si infirmi* **post susceptam hanc unctionem** *convaluerint, iterum sacramenti hujus subsidio juvari poterunt.* » Rationem dat S. THOM. (*Suppl.*q.33,a.1) : tum quia hoc sacramentum non habet effectum perpetuum, sicut ea quae imprimunt characterem; tum quia ordinatur, ut curatio et medicina ad sanandum : medicina autem sanativa toties iterari debet, quoties infirmitas iteratur.

R. Ad 2^{um}) Ex S. THOM. (*Suppl.* q. 33, a. 2), toties iterabile est, quoties, sublato priori mortis periculo, infirmus reincidit in novum, sive ex eadem infirmitate, sive ex distincta.

Explanatur. Non requiritur, ut infirmus plene recuperaverit sanitatem, et postea in eumdem vel alium morbum aut periculum inciderit; sed **sufficit**, quod eadem licet infirmitate durante, mortis periculum semel evaserit, et postea rursus in illud inciderit, licet antiquum periculum non ita urgens perseveret, ut contingit in hydropicis, asthmaticis et similibus; idque toties quoties. Immo volunt graves DD. cum DICASTILLO **etiam tunc esse iterabile,** quando priori periculo accedit novum prorsus disparatum ex alio accidente, ut si phthisicus tangatur apoplexia : quia novum periculum disponit ad novum agonem. Debet tamen inter unam et alteram unctionem intercedere notabilis temporis distantia : unde una eademque die nullus potest bis inungi; post hebdomadarium vero intervallum admittit BARBOSA (*de Paroch.* cap. 22, n. 58) apud GOBAT (n.889). — **In dubio** autem, an morbi status mutatus sit, ex BENED. XIV (*de Syn.* l. VIII, c. 8) expedit in sacramenti iterationem propendere, modo ex S. LIG. (VI, 715) dubium fuerit positivum, ita ut probabile sit, infirmum jam exiisse e periculo mortis.

Q. 16. *Quae* requirantur in SUBJECTO ad *licite* et *fructuose* recipiendam E. U.?
R. *Per se* requiritur solus status gratiae.

Eplanatur. Ratio est : quia est sacramentum vivorum, licet per *accidens* etiam causare possit primam gratiam, ut ex dictis liquet. De **congruo** est, ut, *quando fieri potest*, praemittatur confessio et Communio; et « *eo quidem tempore*, » ut monet Rit. Rom., ipsis infirmis hoc sacramentum ministretur. « *cum illis adhuc integra mens et ratio viget, ut ad uberiorem sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam suam fidem ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro liniuntur oleo.* » — Dixi : **quando fieri potest**; et ideo ei, qui ob insaniam, furorem, vel alium morbum, confiteri aut communicare non potest, conferenda est Extr. Unctio sine praevia confessione aut communione. Interim, ut observat Rit. Rom., « *si infirmus dum phrenesi aut amentia laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam sacramenti, non inungatur, nisi periculum tollatur omnino.* »

Q. 17. An *peccet* infirmus, *non recipiendo* hoc sacramentum?

R. Ex S. Thom. (p. 3, q. 65, a. 4) infirmus, etiam data opportunitate, sacramentum hoc negligens suscipere, *per se* loquendo non peccat, saltem *mortaliter*.

Explanatur. Ratio est : quia nec est necessarium necessitate medii, nec necessitate praecepti, divini aut humani; imo Ecclesia prohibet illud conferri tempore interdicti, ex cap. « *Quod in te* » de Poenit. A *veniali* tamen peccato contra charitatem propriam vix poterit excusari. *Per accidens* autem, ratione scandali vel contemptus, etiam peccare potest *mortaliter*, ut dictum est de negligente suscipere *Confirmationem* (tom. II, pag. 505 seqq.). — Curet autem parochus, ut plebem dedoceat sequentes **errores** : 1°) Inunctum citius moriturum; cum e contra, juxta dicta pag. 392, Extrema Unctio hunc specialem effectum habeat quod aegrotum alleviet et animet et ad illius etiam sanationem conducat, si ipsius saluti expediat; ad quem effectum obtinendum necessarium est ut sacramentum *tempestive* suscipiatur, quandoquidem ubi omnino desperata est sanatio, aut infirmus jam fere animam agit, iste effectus obtineri non possit sine miraculo, quod exspectare temerarium foret. 2°) Non posse eum condere testamentum; nec 3°) si convaluerit, incedere posse nudis pedibus.

APPENDIX 1ª.

CAP. UNIC. De visitatione et cura infirmorum. Ubi et de Benedictione Apostolica.

Q. 18. Dic : 1°) *an* parochi aliique, curam animarum habentes, teneantur VISITARE infirmos sibi concreditos; 2°) *quando;* 3°) *quoties* et 4°) *quosnam* praecipue?

R. Ad 1^{um}) *Affirm.*, et quidem *sub gravi.*

Explanatur. Constat ex Rit. Rom. : « *Parochus in primis meminisse debet*, NON POSTREMAS *esse muneris sui partes*, AEGROTANTIUM *curam habere.* » — Ad id enim tenentur : tum ratione *stipendii*, quod non tantum pro cura in vita parochianorum, sed etiam pro cura in eorumdem morte accipiunt ; tum ratione *gravis necessitatis spiritualis*, in qua plerique infirmi versantur, cum daemon in fine vitae homines praecipue tentat, juxta illud (Apoc. XII, 12) : « *Descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet ;* » praeterea morbi dolores atque incommoda infirmos contristare solent ac animo dejicere ; ex quo non raro in graves impatientias, quin etiam murmura contra Deum prorumpunt. Interim ex Rit. Rom. : « *si parochus legitime impeditus, infirmorum, ut quando plures sunt, visitationi interdum vacare non potest; id praestandum curabit per alios sacerdotes, si quos habet in parochia sua, aut saltem per laicos homines pios et christiana charitate praeditos.* »

Resolvitur. Ad infirmorum visitationem tenentur non modo **parochi**, sed et **deservitores** et **coadjutores**, qui parochi officium subeunt. Idque verum manet, etiamsi infirmi non ipsis sed aliis confiteantur et a confessario visitari soleant. Ad id quoque tenentur **vicarii**, quorum, licet non habeant vi officii curam animarum, ex Stat. dioec. Megil. (n. 92) « *munus in eo consistit, ut parochos in adimplendis obligationibus adjuvent, ac illorum etiam vices agant, quando necessitas aut justa ratio id requirit.* » Imo expresse ipsis injungitur (n. 93) : « *ut infirmos et aegrotos visitent, eos imprimis quibus exeuntium sacramenta administraverint, aut quos parochus eorum curae specialiter commisit.* » — Quod vero

confessarios infirmorum seu alios quoscumque attinet, ipsi non quidem per se et ex officio, cum etiam confessario qua tali visitatio infirmi nullibi praescribatur, sed ex charitate, quatenus infirmorum visitatio est opus charitatis, ad id obligari possunt.

R. Ad 2um) Parochus tenetur visitare infirmos, non tantum quando accersitur, sed ex RIT. ROM. : « *cum primum noverit, quemquam ex fidelibus curae suae commissis aegrotare, ultro ad illum accedat,* » saltem « *si morbus gravior fuerit.* »

Resolvitur. Hinc « *hortetur parochiales suos, ut ipsum* **admoneant**; » praeterea « *ad hoc juvabit, praesertim in amplis parochiis, aegrotorum* **notam** *seu* **catalogum** *habere, ut cujusque statum et conditionem cognoscat.* » Ita RIT. ROM.

R. Ad 3um) Visitare tenetur parochus « *non semel tantum, sed* SAEPIUS, *quatenus opus fuerit.* » Et quidem « *ingravescente morbo, parochus infirmum* FREQUENTIUS *visitabit, et ad salutem diligenter juvare non desinet.* »

R. Ad 4um) Quamvis omnes infirmi indiscriminatim sine acceptione personarum a parocho visitandi sint, *pauperum* tamen ex RIT. ROM. « *praecipuam curam geret, qui humanis auxiliis destituti, benigni ac providi pastoris charitatem et operam requirunt.* » Quibus pastor de suo, prout debet, et si facultas non suppetat, per *aliorum* eleemosynas succurrat. Praeterea *peccatores*, praesertim ubi periculum immineat, speciali cura parochi indigent, « *ut in viam salutis eos dirigat atque a diabolicis insidiis salutarium adjumentorum praesidio defendat ac tueatur.* »

Resolvitur. Ex quibus omnibus patet, hanc infirmorum visitationem non debere esse **sterilem et mundanam urbanitatem,** sed *exercitium ministerii sacri.*

Q. 19. *Quomodo* AGENDUM *cum infirmis?*

R. De ratione agendi cum infirmis tum ante administrationem Sacramentorum, tum circa administrationem ipsam, tum postea et in ipsa agonia ; item de remediis suggerendis contra

varias tentationes, de motivis et affectibus virtutum exercendis ab infirmo, late tractat Rit. Rom.

Explanatur. In Rit. Rom. praeter titulum : **De visitatione et cura infirmorum** (ubi indicantur preces, quae, prout tempus et aegrotorum conditio feret, pro arbitrio sacerdotis ex toto vel ex parte dici vel omitti possunt), inveniuntur tituli sequentes : **Modus juvandi morientes**; — **Ordo commendationis animae**; — **In exspiratione**; quos saepius legant sacerdotes, ut quaecumque huc spectantia rite peragere valeant.

Scholion. Ad varia **dubia** ab episcopo Basileensi « *super adsistentia infirmorum* » proposita quaeque sequenti modo in compendium redigi possunt, scilicet : « *An et quando teneantur parochi, sub gravi, per se. vel saltem per alium, moribundis assistere usque ad extremum vitae* **agonem** *quamvis sint illi jam sacramentis rite muniti, ac bene dispositi videantur?* » S. C. C. (23 Mart. 1878) ita **respondere** censuit : « *Super adsistentia infirmorum, standum praescriptionibus* Ritualis Romani; *in reliquis consulat* probatos auctores. » — Circa hanc responsionem varias resolutiones tradunt Acta S. Sedis ap. N. R. T. (X, 491-492). Has inter sequentem sub n.V exscribimus : « *S. C. Congregationem ideo forsan noluisse certam determinare normam in subjecta materia : quia, cum ex altera parte certum sit onus adsistendi moribundis obligare parochos sub gravi; ex altera vero difficillimum sit enumerare casus, in quibus animarum pastores levari ab hoc onere possunt, tum a propriis circumstantiis, tum a statu moribundi ejusque moralibus qualitatibus.* » Et sane, sicut non una est parochis opportunitas, cum alius sit solus, alius vero subsidium habeat coadjutoris; sic pariter non una est aegrotis necessitas, cum alius christiane vixerit beneque sit dispositus, alius vero vitiose habitualiter vitam transegerit sicque majori indiget auxilio in extrema lucta ut malignum hostem profligare valeat. Imo tales quandoque inveniuntur homines adeo peccatis assueti, ut magno periculo in peccata relabendi neque de iis poenitendi exponerentur, nisi parochus eis ad finem usque assistat, ut ad contritionem excitentur, iterumque absolutionem accipiant. — Quare cum iisdem Actis S. Sedis (*l.c.*) concludimus sub n. VI : « *Videri parochorum conscientiae relictum*

fuisse stricte pensitare circumstantiarum diversarum qualitatem casus cujuslibet; judiciumque instituere an eadem tales sint, quae solertem animarum pastorem ab hujusmodi gravi onere eximere valeant, prae oculis habendo tum Ritualis Romani praescriptiones, tum probatorum auctorum sententias. » — Quod si periculum sit quominus pastor per seipsum omnibus praesto esse possit, curet ut alii etiam laici debite instruantur qui in hora suprema mortis ubi juxta S. Scripturam (Apoc. XII, 12) « *descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet,* » aegrotis assistere valeant et cum ipsis eliceant actus necessarios, praesertim caritatem erga Deum et contritionem eamque perfectam. — De eadem quaestione agit. N. R. T. (III, 545 seqq.); — item (II, 667 seqq.); — item Lehmk. *Theol. mor.* (II, 647) et ap. N. R. T. (XXVI, 420).

Q. 20. Dic : 1°) *quid* sit BENEDICTIO APOSTOLICA ; 2°) *quinam* hanc DARE possint ; 3°) *quo* RITU concedenda ; 4°) *quibusnam* IMPERTIRI valeat ; 5°) *an* possit ITERARI ; 6°) *quae* CONDITIONES in recipiente requirantur?

R. Ad 1^{um}) BENEDICTIO APOSTOLICA, quae etiam vulgo *generalis absolutio* nuncupatur, definiri potest : « *Benedictio a Papa vel ab ejus delegato sub praescripta verborum forma in articulo mortis impertienda et annexam habens indulgentiam plenariam.* »

Explanatur. Etsi constet ex S. C. Indulg. (23 April. 1675) ap. N. R. T. (XVI, 520) indulgentiam plenariam in articulo mortis « *in* VERO *tantum articulo* **accipi,** » i. e. eo momento quo anima a corpore separatur, ita ut, si infirmus ex morbo convalescat, indulgentiam non consequatur ; ubi tamen de illa **impertienda** quaestio movetur, *articulus mortis* non debet sumi in sensu *strictissimo*, seu pro ipso instanti, quo homo moritur ; nec in sensu *minus stricto*, i. e. pro tempore, quo infirmus ob evidens vitae periculum jam ad mortem properare videtur ; sed potest sumi *latiori* sensu, ita ut sufficiat talis infirmitatis status, quo exeuntium sacramenta ministrari solent. Ratio est : quia RR. PP. cupiunt, ut plurimi moribundi hanc benedictionem consequantur ; hoc autem fieri non posset, si instans mortis periculum requireretur, quando-

quidem ob locorum ac personarum circumstantias sacerdos saepe adesse non posset, qui illam impertiatur. Hinc ad **dubium** : « *Utrum benedictio apost. cum indulg. plen. in art. mort's* DARI *possit post* COLLATA *extrema sacramenta, quum periculum quidem mortis adest, non tamen imminens?* » **Resp.** : « *Affirmative.* » Ita S. C. IND. (19 Dec. 1885). Ap. N. R. T. (XVIII, 255 seq.). Quae responsio plane congruit RIT. ROM., ubi verba referens BENED. XIV, Const. « *Pia Mater* » (5 Apr. 1747), asserit : « *Benedictio in articulo mortis cum soleat impertiri* POST *sacramenta Poenit., Euch., et Extr. Unct.*, etc. »

R. Ad 2^{um}) Hanc dare possunt, praeter *S. Pontificem*, ejus *delegati* et *subdelegati*.

Explanatur. Potestate **delegata** nunc gaudent omnes episcopi, necnon praelati inferiores territorium separatum habentes, cum vera qualitate *Nullius*, si modo petierint; illamque possunt **subdelegare** in suis dioecesibus seu territoriis tot aliis sacerdotibus, « *quotquot pro numero animarum necessarios esse prudenter judicaverint.* » Ita ex BENED. XIV (*Const. cit.*) et S. C. IND. (23 Sept. 1775 et 25 Nov. 1878). Interim, quamvis *diversimode* fieri valeat, « CONSULTIUS *tamen esse, si delegatio fiat singulis* SPECIATIM *et in* SCRIPTIS, » declaravit S. C. IND. (25 Nov. 1878). Praeterea, quoad MONIALES, nonnisi illarum confessarius *ordinarius* subdelegari potest. Ita S. C. IND. (25 Sept. 1775). — Vi autem Const. « *Pia Mater* » BENED. XIV, sicut potestas *delegata* non exspirat morte S. Pontificis, sed manet per integrum tempus, quo adeptum Ecclesiae regimen retinetur; ita nec potestas *subdelegata* exspirat morte aut discessu episcopi, sed perseverat usque ad adventum novi praelati, qui illam confirmare vel revocare potest, confirmare autem censetur, eo ipso quod eam non revocet.

R. Ad 3^{um}) In RIT. ROM. ex BENED. XIV Const. « *Pia Mater* » specialis habetur titulus, in quo reperitur : « *Ritus benedictionis apostolicae in articulo mortis a sacerdotibus ad id delegatis impertiendae.* » Qui ritus in omnibus est stricte observandus, quia formula non est tantum directiva, sed praeceptiva : praecipit enim Pontifex in sua Const. « *Pia Mater* »

formulam a se confectam « *pro impertienda Benedictione et plenaria indulgentia moribundis fidelibus applicanda in posterum adhibendam esse.* » — Juvat praeterea notare sequentia.

Explanatur. 1°) Recitatio confessionis, i. e. *Confiteor*, in sacramento poenitentiae habita, non sufficit pro recitatione illius praescripta, quando impertienda est benedictio apostolica, *nisi necessitas urgeat.* Ita S. C. Ind. (5 Febr. 1841). — 2°) Juxta praxim et rubricas necesse est, *tribus* vicibus recitare *Confiteor*, quando administratur Viaticum, Extr. Unct., et impertitur benedictio apost. (*ibid.*). Ex quo concluditur, singulis quoque vicibus repetenda esse *Miscreatur* et *Indulgentiam :* quia haec, ubi dicenda sunt, confessionem semper subsequuntur. — 3°) Invalide confert sacerdos indulgentiam plenariam in articulo mortis, omissa formula a S. Pontifice praescripta, ob libri deficientiam : quia formula non est tantum directiva, sed praeceptiva (*ibid.*). Ex quo iterum concluditur quod, etsi jam praecesserint in ministratione Viatici et Extr. Unct. salutatio *Pax huic domui*, etc., et *aspersio* aquae benedictae cum antiphona *Asperges*, etc., haec tamen securius repetantur ante benedictionem apost. : quia Bened. XIV in Const. «*Pia Mater*» praecipit formulam a se confectam usurpari, et haec omnia in ipsa formula habentur. — 4°) Pro impertienda absolutione in articulo mortis formula a Bened. XIV praescripta *ab omnibus* indiscriminatim *sub poena nullitatis* est observanda. Ex S. C. Ind. (22 Mart. 1879). Unde quoque Regulares cujuscumque Ordinis sub poena nullitatis hac Benedictina formula in omnibus uti debent, addito tantum ad *Confiteor* nomine sancti proprii Fundatoris. Constat ex decreto S. Rit. C., quod ratum habuit ac sancivit Leo XIII, « *contrariis quibuscumque minime obstantibus* » (7 Maii 1882). Ibi enim legitur : « *Pro absolutione in articulo mortis retineatur* in omnibus *formula praescripta a Constitutione S. M.* Benedicti PP. XIV Pia Mater, *addito tantum ad* Confiteor *nomine sancti proprii Fundatoris.* » Confirmatur ex Brevi « *Quo universi* » Leon. XIII (7 Jul. 1882) ap. N. R. T (XIV, 509 seqq.); item ex decreto S. C. Ind. (24 Maii 1883) ap. N. R. T. (XVIII, 612). Et hinc in editione *typica* Ritualis Romani (Ratisb. 1884) expunctae sunt aliae omnes

formulae, quae in *Appendice* prius legebantur. — 5°) Dicendo formulam Benedictionis sacerdos bis benedicit infirmum, facto versus ipsum Signo crucis; tum cum dicit : *In nomine Patris*, etc.; tum in fine ad verba : *Pater et Filius et Spiritus Sanctus*. — 6°) Ex Bened. XIV Const, « *Pia Mater* » legitur in Rit. Rom. : « *Si vero infirmus sit adeo* MORTI PROXIMUS, *ut neque confessionis generalis faciendae, neque praemissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim sacerdos benedictionem ei impertiatur;* » incipiendo scilicet, juxta Brev. Rom. (edit. Ratisb. 1885) a verbis : « *Dominus noster*, etc. » Et si mors proxime urgeat, ex eodem Brev. Rom. sacerdos dicat : « *Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris* †, *et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* — Ad **dubium** autem : « *Utrum liceat in impertienda absolutione generali papali ad contagium evitandum uti brevissima formula, quae legitur in Breviario Romano...?* » **Respondit** S. Rit. C. (8 Mart. 1879) : « *Affirmative in casu.* »

R. Ad 4^um^) Generaliter loquendo, est danda omnibus qui non sunt *excommunicati*, *impoenitentes*, neque in *manifesto peccato mortali moriuntur.*

Explanatur. Constat ex verbis Bened. XIV in Rit. Rom. relatis : « *Benedictio in articulo mortis cum soleat impertiri post Sacramenta Poenit., Euch., et Extr. Unct. illis infirmis qui vel illam petierint, dum sana mente et integris sensibus erant, seu verisimiliter petivissent, vel dederint signa contritionis, impertienda iisdem est, etiamsi postea linguae ceterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium vel amentium inciderint.* EXCOMMUNICATIS *vero*, IMPOENITENTIBUS *et qui* IN MANIFESTO PECCATO MORTALI MORIUNTUR, *est omnino* DENEGANDA. »

Resolvitur. Impertienda etiam est : 1°) *pueris* qui doli capaces sunt, licet defectu aetatis primam communionem necdum instituerint. Ita S. R. C. (16 Dec 1826); 2°) *damnatis ad mortem*, dum ad illam subeundam ducuntur, vel eadem die qua eam subituri sunt. Ita S. C. de P. F. (10 Aug. 1841). Ap. Bucceb. (*Ench. mor.* p. 205).

R. Ad 5^um^) *Sub distinctione.*

Explanatur. « NEGATIVE, **eadem permanente infirmitate,**

etsi diuturna. Affirmative, *si infirmus* **convaluerit,** *ac deinde quacumque de causa in novum mortis periculum redeat.* » Ita S. C. Ind. (24 Sept. 1858). Et alibi ad **dubium** : « *Benedictio supradicta potestne bis aut amplius in eodem morbo, qui insperate protrahitur, impertiri, etiamsi non convaluerit aegrotus? Si possit iterari haec benedictio, quodnam requiritur intervallum inter ejus largitiones?* » **Resp.** S. C. Ind. (25 Sept. 1775) : « *Semel in eodem statu morbi.* »

Resolvitur 1. Benedictionem in articulo mortis non licet iterare : quando aegrotus eamdem accepit *in statu peccati mortalis;* neque tunc, quando post eamdem *relapsus est* in peccatum ; ratio utriusque est : quia haec non impediunt effectum Benedictionis Apostolicae, modo infirmus sit in statu gratiae in *vero* mortis articulo, quo nimirum momento indulgentia realiter datur et obtinetur; neque tunc, quando *Extr. Unct.* vel *absolutio* iteratur. Constat de his omnibus ex S.C.Ind. (20 Jun. 1856). **Resol. 2.** Non potest infirmus in eodem mortis articulo pluries *lucrari* hanc indulgentiam plenariam in articulo mortis *a pluribus sacerdotibus* facultatem habentibus impertiendam. S. C. Ind. (5 Febr. 1841). **Resol. 3.** Prohibitum est infirmo, in eodem mortis periculo permanenti, *impertiri* pluries *ab eodem* vel *a pluribus* sacerdotibus hanc facultatem habentibus, indulgentiam plenariam in articulo mortis quae vulgo *Benedictio papalis* dicitur. S. C. Ind. (12 Mart. 1855). **Resol. 4.** Prohibitum est impertiri pluries infirmo in eodem mortis periculo permanenti indulgentiam plenariam Benedictionis papalis *a pluribus sacerdotibus* hanc facultatem *ex diverso capite* habentibus, puta ratione aggregationis confraternitati SS. Rosarii, S. Scapularis de Monte Carmelo, SS. Trinitatis, etc. Ita S. C. Ind. (12 Mart. 1855) juxta collectionem quae an. 1885 Ratisbonae prodiit. Quae ultima lectio omnino servanda est, quamvis contrarium assertum legatur in collectione Prinzivalli antea edita. Ad **dubium** enim : « *An hoc responsum ultimum ut authenticum habendum est, ita ut mutanda veniat praxis sacerdotum qui solent ex diverso capite benedictionem apostolicam in eodem mortis articulo pluries impertiri?* » **Resp.** S. C. Ind. (12 Jun. 1884) ap. N. R. T. (XVI, 464): « *Servetur adamussim responsio prouti prostat in postrema editione Ratisbonae typis* Frederici Pustet *cusa.* »

R. Ad 6^{um}) Juxta indultum apostolicum, quo haec facultas

episcopis concedi solet, si recipiens sit mentis compos, in eo requiruntur haec tria sequentia :

Explanatur. Requiritur : 1°) ut sit « *vere poenitens et confessus ac sacra communione refectus ; vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus ;* » 2°) ut « *nomen Jesu ore si potuerit, sin minus corde devote invocaverit ;* » 3°) ut « *mortem tanquam peccati stipendium de manu Domini patienti et alacri animo susceperit.* » Et quamvis, vi Const. « *Pia Mater* » et Rit. Rom., sola acceptatio mortis in omnibus requiratur, quia tamen *indultum* istam acceptationem et invocationem SS. Nominis eadem ratione exigit, ideo haec invocatio saltem mentalis est facienda, quandiu aegrotus suae mentis est compos ; et quidem ut *conditio sine qua non* indulgentiam vi istius benedictionis lucrandi, ut constat ex S. C. Ind. (25 Sept. 1775), adeoque non tantum *pro tutiori*, ut quidam antea asseruerunt ; eaque invocatio necessaria est pro omnibus Christifidelibus, etiam in locis Missionum degentibus. Constat ex declaratione S. C. Ind. (22 Sept. 1892), ap. N. R. T. (XXV, 47), in qua dicitur : « *Invocatio saltem mentalis SS^mi Nominis Jesu est conditio sine qua non pro* **universis** *Christifidelibus, qui in mortis articulo constituti plenariam indulgentiam assequi volunt vi hujus Benedictionis, juxta id quod alias decrevit haec S. Congregatio in una Vindana die 25 Sept. 1775.* » — Dixi : **si sit mentis compos** ; nam ex Const. « *Pia Mater* » etiam danda est moribundis, « *etiamsi linguae ceterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium vel amentiam inciderint.* » Praeterea haec indulgentia potest, si sit periculum in mora, tum *valide* tum *licite* concedi iis, qui etiam *culpabiliter* non fuerunt ab incoepto morbo sacramentis refecti vel Poenit., vel Euch., vel Extr. Unct., vel nullo horum, *subitoque vergunt ad interitum*, ut constat ex S. C. Ind. (23 Sept. 1775) ap. N. R. T. (XVI, 526).

Resolvitur. Quod tertiam conditionem seu **acceptationem mortis** attinet, Constitutio Benedictina et Rituale Rom. eam ita exprimit : Habens facultatem aegrotum « *instruat atque hortetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satis-*

factionem poenarum quas peccando promeruit. » Porro ut recte monet *Libellus exhibens immut. et addit. in Inst. Moral.* Clem. Marc (pag. 21), « res **prudentiae** est hanc adhortationem (quae jam in confessione fieri potest) ita moderari, ut aegroti perturbatio vel adstantium indignatio evitetur. » Commode forte, ut passim notant DD., proponi poterit **per modum orationis** a sacerdote simul cum aegroto, vel saltem eo approbante, recitandae, veluti cum, praehabita de hujus benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, brevi admonitione, dein actui contritionis et invocationi SS. Nominis immediate addantur ipsissima, pro majori securitate, verba quae in Const. Bened. et Rit. Rom. inveniuntur, dicendo : O Bone Jesu ! « *morbi incommoda ac dolores in anteactae vitae expiationem libenter perfero, Tibique me paratum offero ad ultro acceptandum quidquid Tibi placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum quas peccando promerui.* »

Scholion. Praeter indulgentiam plenariam **Benedictionis apostolicae,** quae, ex dictis, tantum « *semel in eodem statu morbi* » impertiri potest : quia nonnisi in vero articulo mortis realiter datur et accipitur, i. e. eo momento quo anima a corpore separatur, ita ut, si infirmus ex morbo convalescat, indulgentiam non consequatur, juxta dicta (pag. 412 et 416) ; moribundi possunt **plures alias indulgentias,** tam *partiales*, quam *plenarias*, variis titulis, etiam sine sacerdotis ministerio, si hoc non requiritur, tam pro se quam pro animabus in Purgatorio detentis lucrari, scilicet : 1°) si possideant *res sacras*, v. g. cruces, numismata, coronas, apostolicis indulgentiis ditatas ; 2°) si sint sodales alicujus Confraternitatis, v. g. SS. Rosarii, vel Tertii Ordinis S. Dominici, S. Francisci, etc. ; 3°) si gestent aliquod *Scapulare* approbatum ; 4°) si frequenter in vita *elicuerint* actus virtutum theologicarum, etc. Secus, conditio hominis pejor fieret *in articulo mortis*, ubi magis auxilis spiritualibus indiget, quam *in decursu vitae*, ubi eadem die lucrari potest etiam indulgentias plenarias diversas. Quod sane nemo dixerit. Quis, inquam, negaverit infirmum ad mortem aegrotantem, quoties communicaret, non posse v. g. lucrari indulgentias plenarias adnexas orationi : *En ego, O bone Jesu*, etc. ? — Ad quas indulgentias plenarias in articulo mortis lucrandas **requi-**

ritur : **A**) Ut moribundus sit confessus et sacra communione refectus, vel si haec sacramenta suscipere nequeat, ut sit saltem contritus. **B**) Ut SS. Nomen Jesu invocet, saltem corde, si voce nequeat, ut plerumque praescriptum est; et quidem tot vicibus, quot sunt indulgentiae lucrandae. **C**) Ut secum vel prope lectum habeat res, v. g. crucem, rosarium, quibus adnexae sunt indulgentiae, quamvis eas non videat, nec de iis cogitet. — **Expedit** tamen moribundum ad memoriam lucrandarum indulgentiarum revocare. — **Sufficit** autem ad illas impertiendas quodvis tempus in quo verificetur mortis articulus, etsi mors nonnisi post plures dies sequatur.

Resolvitur 1. Ex dictis concipitur, **cur** moribundi possint lucrari alias indulgentias plenarias post impertitam Benedictionem Apostolicam, haec vero nonnisi semel in eadem permanente infirmitate conferri valeat. **Resol. 2.** Nihil impedit, quominus Regulares necnon Confraternitatum Directores, si facultatem ad hoc habeant, possint, in articulo mortis, suis Tertiariis, Confratribus et Consororibus, post acceptam Benedictionem Apostolicam, impertiri alias indulgentias plenarias quas lucrari valent vi aggregationis Confraternitati v. g. SS. Rosarii, Sacri Scapularis de Monte Carmelo, SS. Trinitatis vel Tertii Ordinis S. Dominici, S. Francisci, etc. Cfr. Beringer (I, 504 seqq.); N. R. T. (XXIV, 447 seq.).

APPENDIX 2ª.

CAP. UNIC. De sepulturis et exsequiis.

Q. 21. *Cuinam* parocho competat JUS *sepeliendi* corpora fidelium?

R. Quoniam omnino decet, ut qui curam spiritualem gessit vivorum, is quoque defunctorum corpora terrae sanctae mandet; ideo, loquendo de sepultura fidelium *universim*, ex jure communi, jus sepeliendi *regulariter* competit parocho illius loci in quo defunctus habebat domicilium aut quasi-domicilium.

Explanatur. Dixi : 1°) *loquendo de sepultura fidelium* **universim**; nam in praesenti negotio juris dispositiones non sunt *absque discrimine* de clericis et regularibus intelligendae. Jus enim

canonicum, pro peculiari honore, cujus digni sunt, varia statuit quoad sepulturam tum Papae, tum Cardinalium, tum Episcoporum; hi enim ut plurimum sepeliuntur : *Papa* in basilica vaticana, *Cardinales* in ecclesia sui tituli, *Episcopi* in ecclesia sua cathedrali. *Regulares* vero sepeliendi sunt in ecclesia vel coemeterio sui Ordinis, licet extra monasterium decesserint, si ad illud commode deferri queant; adeoque et hi qui Regularium jure censentur, sive novitii, sive famuli, sive tertiarii, immo et tertiariae, quae in monasteriis perpetuo degunt; non tamen puellae, quae eo morabantur educationis causa; quae sepeliendae sunt in parochia intra cujus fines monasterium positum est. — Dixi : 2°) **regulariter**; nam excipe : nisi defunctus vel **A**) alibi sibi sepulturam legitime elegerit; et hanc in locis religiosis jure tumuli gaudentibus eligere unicuique licet, nisi specialiter a jure prohibeatur, uti, praeter eos qui mente non sunt compotes, prohibentur : tum *impuberes*, ob inopiam consilii, quamvis tamen pro iis, dum vivunt, et consuetudo regionis id habeat, eligere potest pater, eoque mortuo mater, uti declaravit S. C. Episc. et Reg. (6 Febr. 1874); tum *Regulares* professi, utpote qui propriae voluntati renuntiarunt; tum sacra sepultura *indigni*, ut patet; vel **B**) legitimum sepulchrum majorum vel familiae habeat; vel **C**) extra propriam suam parochiam casualiter moriens, ad illam commode et absque periculo deportari non valeat, ut si, propter nimiam locorum distantiam, juxta prudentis judicis arbitrium commensurandum, ex funeris retardatione timendum sit, ne cadaver putrescat et aerem inficiat, aut ad illud transferendum impensae requirerentur vires haeredum excedentes.

Resolvitur 1. Itaque **quadruplex** distingui potest sepultura : *parochialis*, *electa*, *avita* seu in sepulchro gentilitio seu familiari, et *casualis*. Sepultura *parochialis* est regula; ceterae sunt exceptiones. **Resol. 2.** De jure communi, **regulariter** loquendo : 1°) qui decedit in loco domicilii, ibi est sepeliendus; 2°) qui duo simul habet domicilia, in illo sepelitur, in quo obiit; 3°) qui moritur in loco quasi-domicilii, ibi est sepeliendus, etiamsi alibi habeat domicilium; 4°) qui casu in aliena parochia moritur, in propria sua parochia sepeliendus est, si *commode* ad illam depor-

tari valeat; 5°) cum vagi subsint parocho loci in quo hic et nunc sunt et moriuntur, ibi sunt terrae mandandi.

Q. 22. *Cuinam* parocho COMPETAT de jure communi celebrare *exsequias?*

R. Quoniam « *exsequiae ad ritum sepeliendi pertinent, ipsumque actum sepeliendi comitantur et a sepultura non separantur*, » cui juris ordinationi moriens se conformasse praesumitur, nisi jusserit aliter fieri; hinc, de jure communi, regula est : exsequias celebrari in ecclesia, uti vocant, *sepeliente*, i. e. in qua quis sepelitur, vel hodie, ubi in coemeteriis publicis sepeliendum est, *exponente;* cui consequenter competunt omnia emolumenta funeraria, dempta tamen *portione canonica*, quae ab ipsa debetur parocho ob curam animarum et sacramenta praestita ei qui decessit, immo et episcopo, ubi adhuc obtinet.

Explanatur. Et quidem de jure communi **portio canonica** debetur ex omnibus *quae ad ecclesiam cum funere deferuntur*, exceptis, ex Const. « *Rom. Pontifex* » BENED. XIII edita (an. 1725) pro Italia insulisque adjacentibus : « *candelis quas sacerdotes, etiam regulares, vel piarum sodalitatum confratres, funus associantes, manualiter per viam accensas deferunt, et pannis aut sudariolis, quae cum funere deferuntur.* » Nec ea continentur, ut olim, pia legata a defuncto ecclesiae relicta. — Quod si funus non ipsa depositionis die, sed qua alia fiat, etsi diu post, parocho nihilominus debebitur; immo, si postero die aliud funus solemniori pompa peragatur, hujus quoque canonica portio parocho ab ecclesia debetur. Ita S. C. C. (3 Aug. 1862) : tum, quia debetur ex jure « *de obventionibus omnibus funeralibus;* » tum, ne secus fraus legi et parochis fiat. Haec autem portio vocatur **quarta funeralis**, quia ex cap. 8 *de Sepult.*, nisi aliud consuetudine loci sit introductum, debet esse emolumentorum pars *quarta*. — Interim, dum quis legitime in aliena parochia sepelitur, spectat quidem ad proprium defuncti parochum corpus e domo levare et funus recto tramite, per viam ab ipso declarandam, vel usque ad limites parochiae alienae, vel usque ad januam regularis ecclesiae tumulantis deducere; at non potest neque exsequias quaslibet, neque praeviam

cadaveris ad ecclesiam parochialem delationem exigere. Ecclesia enim tumulans sola jure potitur officium funebre persolvendi corpusque sepeliendi et omnia funeralia percipiendi emolumenta, dempta tamen, ut diximus, portione canonica,

Resolvitur. Itaque, ut ex dictis sequitur : 1°) Si quis in alia ecclesia conditus fuerit, ut si peregrinus in aliena parochia decesserit et sepultus fuerit, portio canonica detrahenda erit ab ecclesia tumulante vel exponente, licet exempta vel parochiali, et quamvis parochus illius loci Viaticum et Extr. Unct. ei ministraverit (S. C. *Episc.* et *Reg.* 22 Maii 1615). 2°) Haec portio debetur parocho domicilii vel quasi-domicilii ; et si defunctus forte duo habuit domicilia, inter utriusque domicilii parochos est dividenda, quamvis in una earum tantum consueverit recipere sacramenta (S. C. C. 29 Nov. 1851 et 6 Maii 1870) ; adeoque, ut videtur, etsi in una domicilium, in altera quasi-domicilium foverit. 3°) Debetur portio, tametsi nullum funus sive testatoris sive haeredum voluntate peractum fuerit ; quo casu *quarta* taxabitur pro conditione defuncti, et negotium cum haeredibus erit ; nisi forte, tempore pestis, magistratu civili vetante, fuerit omissum (S. C. C. 21 Aug. 1869).

NOTA. Haec intellecta sunto de **jure communi**. Nam quoad haec omnia plurimum valent tum locorum consuetudines, tum statuta dioecesana, tum conventiones inter parochos. Sic in dioecesi Mechlin. usu factum est ut, quando quis in aliena parochia sepelitur, sive quia ipse defunctus ibi elegit sepulturam, sive quia parentes seu haeredes ob suppressum coemeterium parochiale aliave de causa ibi cadaver deferri curant, exsequiae celebrentur in propria defuncti parochia, non vero in ecclesia tumulante, nisi ipse defunctus aut ejus haeredes duplex funus vel duplices exsequias celebrandas ordinaverint. Cui usui consonant statuta dioecesana, ubi legitur, sub n. 350. « *Si quis in propria parochia defunctus, in alienam parochiam transferatur sepeliendus, et utrobique non fiant exsequiae, celebrentur in ipsa defuncti ecclesia parochiali, juxta diuturnam hujus dioecesis consuetudinem.* » Praeterea edicitur sub n. 352 : « *Si autem quis in aliena parochia fuerit defunctus et cadaver cura parentum vel haeredum in propriam parochiam deportatum fuerit, exsequiae celebrentur in propria ecclesia parochiali defuncti, nullo redemptionis jure persoluto* (Cfr. Sext. decret.

lib. III, tit. XII, cap. *Is qui*).— *Si diem quis obierit in aliena parochia, et in eadem ecclesiasticae sepulturae mandetur, liberum erit parentibus vel haeredibus exsequias in alterutra ecclesia parochiali celebrare, nullo pro exsequiis jure redemptionis persoluto.* »

Q. 23. *Quaenam* servanda sint, tum de jure *ecclesiastico*, tum de jure *civili* : 1°) quoad *tempus* ; 2°) quoad *locum* sepulturae ?

R. Ad 1um) Ex Rit. Rom. : « *Nullum corpus sepeliatur, praesertim si mors repentina fuerit, nisi post debitum temporis intervallum, ut nullus omnino de morte relinquatur dubitandi locus.* » — Interim quacumque diei hora corpus sepeliri potest, a solis ortu usque ad occasum ; nunquam vero de nocte, nisi cum licentia Ordinarii (S. C. C. 15 Mart. 1704). — Praeterea apud nos lege civili cautum est, ut nullum cadaver sepeliatur sine licentia officialis civilis scripto data, haecque ordinarie non concedatur, nisi 24 horae post obitum elapsae sint. Qui secus defunctum sepelirent aut sepeliri juberent, ad mulctam et ad carcerem damnari possent.

R. Ad 2um) Plura servanda sunt tam de jure *ecclesiastico*, quam de jure *civili*.

Explanatur. De jure **ecclesiastico**, ex Rit. Rom., requiruntur sequentia : 1°) Ut, « *ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in* coemeteriis, *retineatur ; et ubi fieri potest, restituatur.* »

2°) Ut « *cui locus sepulturae dabitur in ecclesia,* humi *tantum detur ;* » adeoque ne corpora condantur monumentis *supra terram* exstructis, quod expresse prohibuit S. Pius V, Const. « *Quum primum* » (kal. April. 1566), multo minus *comburantur*. — Circa cadaverum **cremationem** plura eaque gravissima sunt notanda. Imprimis duplex **dubium** prodiit : « *1. An licitum sit nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera? 2. An licitum sit mandare, ut sua aliorumve corpora comburantur.* » Cui **respondit** S. U. Inq. (19 Maii 1886) : Ad 1um) *Negative ; et, si agatur de societatibus* Massonicae *sectae filialibus, incurri poenas contra hanc latas :* Ad 2um) *Negative.* « *Factaque de his SS*mo *D. N.* Leoni *PP. XIII relatione, Sanctitas Sua resolutiones EE. PP. approbavit et confirmavit, et cum locorum*

Ordinariis communicandas mandavit, ut opportune **instruendos** *curent Christifideles circa* **detestabilem abusum corpora cremandi,** *atque ab eo gregem sibi concreditum totis viribus deterreant.*» Ap. N.R.T. (XVIII, 376 seq.). — Praeterea S.U. Inq. (15 Dec. 1886) quoad *sepulturam ecclesiasticam* in casu **cremationis** sequentia decrevit : « *Quoties agatur de iis, quorum corpora, non propria ipsorum, sed* ALIENA *voluntate cremationi subjiciantur, Ecclesiae ritus et suffragia adhiberi posse tum domi, tum in Ecclesia, non autem usque ad cremationis locum, remoto scandalo. Scandalum autem removeri etiam poterit si notum fiat, cremationem non propria defuncti voluntate electam fuisse. At ubi agatur de iis, qui* PROPRIA *voluntate certo et notorie usque ad mortem perseverarunt, attento decreto feriae IV, 19 Maii 1886, agendum cum iis juxta normas Ritualis Romani tit.:* Quibus non licet dare sepulturam ecclesiasticam. *In casibus autem particularibus, in quibus dubium vel difficultas oriatur, consulendus erit Ordinarius, qui, accurate perpensis omnibus adjunctis, id decernat, quod magis expedire in Domino judicaverit.*» Ap. N. R. T. (XXIV, 618 seq.). — Denique Archiepiscopus Friburg. haec quatuor **dubia** proposuit : «I. *Utrum liceat sacramenta morientium ministrare fidelibus qui Massonicae quidem sectae non adhaerent, nec ejus ducti principiis, sed aliis rationibus moti corpora sua post mortem cremanda mandarunt, si hoc mandatum retractare nolint?* » « II. *Utrum liceat pro fidelibus quorum corpora non sine ipsorum culpa cremata sunt, missae sacrificium publice offerre vel etiam privatim applicare, itemque fundationes ad hunc finem acceptare?* » « III. *Utrum liceat cadaverum cremationi cooperari, sive mandato ac consilio, sive praestita opera, ut medicis, officialibus, operariis in crematione inservientibus? et utrum hoc liceat saltem, si fiat in quadam necessitate aut ad evitandum magnum damnum?* » « IV. *Utrum liceat taliter cooperantibus ministrare sacramenta, si ab hac cooperatione desistere nolunt, aut desistere non posse affirmant?* » Quibus dubiis ita **respondit** S. U. Inq. (27 Jul. 1892) ap. N. R. T. (XXVII, 128 seq.) : « Ad I. *Si moniti remanent,* Negative. *Ut vero fiat aut omittatur monitio, serventur regulae a probatis auctoribus traditae, habita praesertim ratione scandali vitandi.* » « Ad II. *Circa publicam S. Missae applicationem,* Negative ; *circa privatim,* Affirmative. »

« Ad III. *Nunquam licere formaliter cooperari mandato vel consilio. Tolerari autem aliquando posse materialem cooperationem dummodo :* 1° *crematio non habeatur pro signo protestativo massonicae sectae ;* 2° *non aliquid in ipsa contineatur quod per se, directe, atque unice exprimat reprobationem catholicae doctrinae et approbationem sectae ;* 3° *neque constet officiales et operarios catholicos ad opus adstringi vel vocari in contemptum catholicae religionis. Caeterum quamvis in hisce casibus relinquendi sunt in bona fide, semper tamen monendi sunt ne cremationi cooperari intendant.* » « Ad IV. *Provisum in praecedenti. Et detur decretum feriae IV 15 Dec. 1886. Quod quidem decretum ita se habet :* » ut illud supra tradidimus.

3°) Ut « *cadavera* PROPE *altaria non sepeliantur* » ; et quidem sepulchra tribus ab altari cubitis distent (S. R. C. 17 Mart. 1662) (1) ; et si sub altari vel ejus gradibus, humata sint mortuorum corpora, non est illic celebranda missa, donec alio transferantur (S. R. C. 10 Nov. 1599), ap. S. Lig. (VI, 369). Quae tamen prohibitio non tenet, si cadavera sint humata profunde in cella aliqua, sub alto fornice constructa sicque ab altare satis separata, ut notat LACROIX (VI, 2067), et constat ex S. R. C. (17 Febr. 1877 et 27 Jul. 1878) ap. N. R. T. (XXI, 150).

4°) Ut, sive in coemeteriis, sive in ecclesiis, sepulchra CLERICORUM a *laicorum*, et sepulchra INFANTIUM ab *adultorum* sepulchris sint separata, quatenus commode fieri potest. Infantes tamen in sepulchro gentilitio vel haereditario sepeliri posse, explorati juris est (S. R. C. 12 Dec. 1620).

5°) Ut corpora in sepulchris ponantur eodem situ et loco prout in ecclesia : *sacerdotum* scilicet, cum capite versus altare majus ecclesiae, et *aliorum* cum pedibus versus idem altare ; et si coemeterium separatum sit ab ecclesia, corpora sacerdotum cum capite et aliorum cum pedibus versus orientem poni convenit, quia sic de jure ecclesiae construi debent.

(1) Ut testantur *Ephemerides Liturgicae*, declaravit S. R. C. (5 Aug. 1898), « *tres cubitos esse fere unum metrum longitudinis, atque hanc distantiam sepulcrorum ab altari sufficere.* » Addunt praeterea hanc distantiam non amplius intercedere debere, ut lex servetur, inter gradus vel gradum altaris et cadaver sepultum, sed sufficere ut intercedat inter cadaver sepultum et ipsum altare. Ap. N. R. T. (XXXI, 80 seqq.) et R. T. FRANC. (IV, 40 seqq.).

Ex **lege civili** notentur sequentia : **1°**) Prohibetur generatim, ne corpora sepeliantur in ecclesiis aut in aliis aedificiis clausis quae ad coetum hominum destinantur, exceptis tamen, ex consuetudine, quibusdam personis dignioribus, **episcopis** scilicet et **membris familiae regiae**, pro quibus, ex decreto prairiali, necessaria est licentia gubernii. Non tamen prohibetur sepultura in capella quam quis habet in ipso coemeterio vel in sacello domestico quod a civitate aut pago saltem 25 metris distat. **2°**) In coemeterio, ponenda sunt corpora **secundum ordinem incoeptum**, sine ulla distinctione, nisi aliqua concessio obtineatur. **3°**) In coemeterio sepulturae **catholicorum** destinato, reservari debet aliqua pars, quae inserviat sepulturae eorum quibus neganda est sepultura ecclesiastica; imo aliquando reservari debent plures partes distinctae, juxta pluralitatem confessionum religiosarum ibidem vigentium. Utinam observarentur! Quocirca notanda est **decisio** S. C. de Prop Fide (16 April. 1862) ap. N. R. T. (XXII, 271), in qua leguntur sequentia : « *1. Studium omne in id conferet* [episcopus], *ut catholici proprium coemeterium et a coemeterio acatholicorum separatum habeant. 2. Quod si rerum adjuncta id minime sinant, catholicique adigantur corpora fidelium defunctorum in coemeterio protestantium sepulturae dare, curet saltem, ut in eodem distinctus ac separatus constituatur locus pro catholicorum sepultura. 3. Demum si nec impetrari id possit, prout etiam quoad usque id assequi datum non fuerit, quoties catholicum humari contigerit, benedictione prius lustrari debet locus, quo sepulturae traditur.*

Q. 24. *An* de jure *ecclesiastico* BENEDICTA esse debeat *terra*, in qua sepeliuntur corpora fidelium?

R. *Affirmative.*

Explanatur. *Duplex* autem distinguitur BENEDICTIO : una **generalis**, altera **particularis.** — Benedictio **generalis**, quae per episcopum aut ejus delegatum fieri debet, est illa qua benedicitur totum coemeterium sepulturae fidelium destinatum, exceptis partibus reservatis, de quibus supra. — Ast cum hodie, omnibus divinis humanisque permixtis, non raro accidat, ut ii, quibus sepultura ecclesiastica deneganda est, sacrilege sepeliantur ministerio laicorum in loco fidelibus solis consecrato, ideo in quibusdam locis

sapienter ab episcopo statutum est, ut ibi fiat benedictio non generalis, sed **particularis**, i. e. qua singulus locus, in quo deponendum est corpus alicujus fidelis, immediate ante depositionem, sigillatim benedicitur a sacerdote qui sepulturam instituit, prout fit in locis infidelium, adhibita oratione quae in Rit. Rom. invenitur. Ad hanc autem benedictionem peragendam, Rit. Rom. nullam requirit delegationem.

Resolvitur 1. Magna est **differentia** inter utramque benedictionem. Prima est benedictio *constitutiva*, conferens esse sacrum terrae cui applicatur; secunda est *invocativa* tantum, conferens solum munimen extrinsecum divinae protectionis. Prima *manet*. « Cette bénédiction, ait Ill^mus Malou, *Collect. Epist. past.* (X, 95), non seulement sanctifie le terrain où les corps des fidèles sont déposés, mais elle profite aussi à leurs âmes; car elle reste attachée au sol comme une prière permanente. » Secunda vero non est permanens, sed *transiens*. Prima secum trahit varia privilegia; utrum idem de secunda dici possit, ignoratur. **Resol. 2.** Melius est sepeliri in coemeterio benedicto quam aliter. Cfr. N. R. T. (XXIV, 441 seqq.).

Q. 25. *Quibus* NEGANDA sit sepultura ecclesiastica?

R. Varii sunt ex Rit. Rom., « *qui ab ecclesiastica sepultura* IPSO JURE *sunt excludendi.* » Possunt autem ad *duplicem* classem revocari : — quidam enim arcentur ratione *censurae*, — quidam ratione *delicti*.

Explanatur. 1°) Ratione **censurae** : regula juris est, ut *quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis*. Hinc ex hoc capite arcentur sepultura ecclesiastica : *quotquod ab Ecclesiae communione remoti sunt* : — Sive **1°) Ecclesiae communione nunquam fuerint participes,** ceu **non baptizati**, ut *judaei, pagani,* aliique *infideles;* immo *christianorum infantes mortui sine baptismo,* nisi in utero matris exstincti sint cum ipsa matre; quo casu una cum matre tanquam pars viscerum sepeliuntur. Si vero ex utero extracti fuissent, ita sepeliri non possunt, nisi saltem sub conditione fuissent baptizati. Quod vero *catechumenos* attinet, communis tenet sententia, ipsis quoque negandam esse ecclesiasticam sepulturam. Nonnulli tamen contradicunt DD.

magni nominis. Immo, ex Conc. plen. Baltim. II (n. 390) adultis qui morte correpti fuerint, dum baptismo recipiendo semet disponerent, sepultura ecclesiastica non est deneganda. — Sive 2°) **ab ecclesiae communione separati fuerint,** nempe : **A**) *haeretici* vel tantum notorii, etsi non vitandi, ad quos reducuntur *apostatae a fide;* **B**) eorum *fautores, defensores, receptatores;* **C**) *schismatici;* **D**) *publici excommunicati et nominatim interdicti;* qui tamen, si contriti decesserint, possunt, absolutis prius eorum cadaveribus ab his qui potuissent vivos absolvere, in loco sacro sepeliri. — **Hinc** si quando attentaretur alicujus **heterodoxi tumulatio** in gentilitiis privatisque catholicarum familiarum sepulchris, nunquam licet *active* hujusmodi tumulationi cooperari; in casu vero *necessitatis*, AD EVITANDA GRAVIORA MALA, catholici omnino *passive* se habere debent. Quo spectat decisio S. Offich (30 Mart. 1859) : « *Curent episcopi totis viribus ut cuncta fiant ad normam Sacrorum Canonum; quatenus vero absque scandalo et periculo id obtineri non possit, tolerari posse.* » Atque ad normam hujusce decisionis esse intelligendum decretum 589 Conc. Plen. Baltim. II, seu tolerantiam de qua in dicto decreto intelligendam esse non quidem positivam seu absolutam, sed mere passivam ad praecavenda majora mala, docent *Litterae* S. Rom. et Univ. Inq. *de tumulatione haereticorum in catholicarum familiarum sepulchris gentilitiis* (14 Nov. 1888). Ap. N. R. T. (XXII, 265 seqq.).

2°) Ratione **delicti,** arcendi sunt : **qui in manifesto et notorio peccato mortali decedunt**; adeoque 1°) *publici peccatores*, i. e. ex Bened. XIV (*de Syn.* l. VII, c. XI, n. 8) « quorum peccata noscuntur aut per judicis sententiam, aut per propriam confessionem, aut per evidentiam facti, quae nulla possit tergiversatione celari, » quales sunt meretrices, qui publice vitam degunt in adulterio, in concubinatu, usurarii manifesti, adscripti societatibus a S. Sede etiam sine censura damnatis, etc.; 2°) *qui mortem, sui compotes, sibi intulerint;* 3°) *qui interierint ex vulnere accepto ex duello*, etiamsi ante obitum dederint poenitentiae signa; 4°) qui « *propria voluntate* » CREMATIONEM elegerunt, et in hac voluntate certo et notorie usque ad mortem perseverarunt, ex decr. S. Off. (15 Dec. 1886) juxta dicta (pag. 424). — His addit Rit. Rom. eos : « *de quibus publice constat, quod semel in anno non susceperunt*

sacramenta confessionis et communionis in Pascha, et absque ullo signo contritionis obierunt; verum eos praetereo : quia hi non privantur sepultura ecclesiastica, nisi consulto Ordinario et post edictum propositum, quod hodie amplius proponi non solet.— Praeter recensitos, nulli catholicorum locus sacer denegandus est, adeoque nec *mimis* et *comoediis*, nec illis qui ob delicta *ultimo afficiuntur supplicio*, cum nulla sit lex canonica, quae tales ecclesiastica sepultura privet, nisi eorum impoenitentia sit omnino certa et adeo publica, ut sine scandalo sepultura concedi nequeat.

Dixi : **in manifesto et notorio peccato mortali decedunt**; proinde opus est : 1°) Ut **de peccato dubitari non possit**, nec quoad factum, nec quoad intentionem facientis; et sic in loco sacro sepeliri potest, qui in *ebrietate* moritur, cum dubitari possit, utrum ebrietas fuerit voluntaria. Quoad dubia vero circa *suicidas*, recole dicta (tom. I, pag. 452). Notetur praeterea declaratio S. U. I. 16 Maii 1866) ap. N. R. T. (XVII, 449 seq.) : « *Quando* CERTO *constat vel de iracundia vel desperatione negari debet ecclesiastica sepultura, et vitari debent pompae et solemnitates exsequiarum; quando autem* CERTO *constat de insania datur ecclesiastica sepultura cum solemnitatibus exsequiarum; quando tamen* DUBIUM *superest, utrum mortem quis sibi dederit per desperationem, an per insaniam, dari potest ecclesiastica sepultura, vitatis tamen pompis et solemnitatibus exsequiarum.* » 2°) Ut **peccatum sit publicum**, publicitate sive *juris*, sive *facti*, sive *famae* (tom. I, p. 485 seq. et tom. II, p. 409). Hinc si sacerdos solus testis fuerit impoenitentiae moribundi, non est deneganda sepultura ecclesiastica, nisi aliunde ipsi denegari debeat. Sed tacere debet sacerdos de impia dispositione moribundi, et sinere, ut credant, eum fuisse sacramentis rite expiatum. Debent enim vitari scandala, quantum fieri potest. Imo, ut scite notat Gousset (II, 636), operae pretium erit, ut sacerdos, dubius de dispositione moribundi, ipsum absque testibus alloquatur et ad confessionem inducat, ne malus ejus animus innotescat; modo tamen aliquod scandalum non sit necessario reparandum. 3°) Ut **absque ullo signo contritionis obierint.** Secus igitur dicendum, si v. g. per se vel per alios confessarium arcesserint; si res sacras deosculati fuerint; si Deum invocaverint; si desiderium sepulturae ecclesiasticae manifestaverint; si pectus

tundere visi sint, etc. — Juxta communem tamen DD. sententiam, non sufficit etiam coram testibus impertita sacramentalis absolutio, quae juxta dicta (pag. 268 seqq.) dari potest cuicumque peccatori etiam publico, si vel in ipso actu peccati, v. g. in adulterio, **sensibus destituatur** : quia, ut dicunt, haec absolutio, licet forsan, ob internam moribundi dispositionem, coram Deo valeat, non sufficit tamen coram Ecclesia ejusque tribunali, in quo de internis non judicatur (1). Quidam contrarium sustinent, et non improbabiliter quidem : tum quia nemo, praesertim in finem usque, praesumitur malus, nisi probetur; tum quia sepultura ecclesiastica inter praecipua christianorum jura recensetur, qua proinde in dubio nemo privandus est; tum quia in casu Ecclesia non judicat de internis, sed potius de data absolutione.

Verum, ubi agitur de **duellantibus**, a Bened. XIV, Const. « *Detestabilem* » (10 Nov. 1752) statutum fuit, ut qui *ex vulnere* accepto in duello, sive in duelli loco sive in alio, vitam finierint, arceantur ecclesiastica sepultura, sive duellum publice, sive privatim inductum fuerit, *ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta poenitentiae signa dederit, atque a peccatis et censuris absolutionem obtinuerit* (tom. I, pag. 465). His tamen non obstantibus, scribit Gousset : « *Cependant si, se sentant atteint d'un coup mortel, il* [le duelliste] *réclamait un prêtre ou les secours de la religion, et que ce fait fût constaté par plusieurs témoins, nous pensons que l'on peut tempérer la rigueur des canons et accorder au duelliste la sépulture ecclésiastique. Le refus,* quoique canonique, *n'en serait pas compris, parmi nous, dans le cas dont il s'agit. S'il meurt à la maison, ou tandis qu'on le porte à la maison, il ne peut y avoir de difficulté. Il suffit qu'il ait montré du repentir, pour pouvoir être inhumé avec les cérémonies de l'Eglise.* » Quae sententia, ob auctoritatem tanti viri, saltem extrinsece probabilis est. Interim, quia ad poenam hic incurrendam oportet : tum ut duellum sit *stricte dictum;* tum ut mors certo sequatur *ex vulnere* in duello accepto;

(1) Huic communi sententiae adhaerere tum S. Poenit. tum S. Inq. opinatur doctissimus auctor operis periodici : Revue Théol. Franç. (III, 673) in commentario suo decreti S. Inq. (18 Jul. 1898) circa *modum agendi* in articulo mortis cum peccatoribus publicis. De qua materia etiam tractat S. C. de P. F. (10 Maii 1898) ap. R. T. F. (IV, 24 seqq.)

hinc in monomachia decendentibus saepe locus sacer concedi poterit, consulto tamen prius Ordinario, si facilis recursus ad ipsum pateat : sive quia una alterave conditio deficit ex iis, quae ad duellum stricte dictum requiruntur (tom. I, p. 460 seq.); sive quia, si duellista vitam diu protraxerit, saepe difficile est, ne dicam impossibile, in diuturno morbo cum certitudine pronuntiare, num vulnus, in duello acceptum, sit vera mortis causa. Accedit, ut mox dicetur, ex negatione sepulturae, quantumvis canonica, posse oriri gravia incommoda, quibus praestat occurrere. — De **negatione** sepulturae sacrae agit N. R. T. (IX, 518 seqq.; XVII, 443 seqq.).

Q. 26. Dic : 1°) *quid* secum importet NEGATIO sepulturae ecclesiasticae; 2°) *utrum* hanc, *inconsulto Ordinario*, liceat NEGARE; 3°) *an* POENA haec, quoties canonice incurritur, sit *semper* servanda?

R. Ad 1^{um}) Negatio sepulturae ecclesiasticae secum importat negationem eorum, quae illam comitantur. Hinc, quibus non licet eam concedere, hos quoque efferre ritu catholico, eisque justa facere, grave est. Putat tamen LACROIX, non esse illicitum pulsare campanas, quia pulsantur, ut fideles orent pro mortuo.

R. Ad 2^{um}) Cum privatio sepulturae ecclesiasticae sit poena *fori exterioris*, sunt qui putent, nemini denegandam esse sepulturam ecclesiasticam, nisi prius constiterit per sententiam Ordinarii, ipsum fuisse *reum talis criminis et dignum tali poena*. Ast hoc a RIT. ROM. videtur alienum prorsus.

Explanatur. Ratio est : tum quia enumerat eos, « *qui ab ecclesiastia sepultura* **ipso jure** *sunt excludendi* » ; tum quia aperte dicit : « *Ubi vero in praedictis casibus* **dubium** *occurrerit, Ordinarius consulatur.* » — Interim multum **suadet prudentia,** hisce praesertim diebus, in re adeo gravi, non praeterire judicium episcopi, si commodo adiri potest. Immo, non paucis in locis, negatio sepulturae ecclesiasticae *de facto* reservatur Ordinario. Quod si in dubio episcopus interrogari nequeat, sepultura concedenda erit, juxta principium : « *In dubio odiosa sunt restringenda.* »

R. Ad 3^{um}) *Negative.*

Explanatur Ratio est : quia haec poena est introducta *jure canonico*, cujus nulla est obligatio cum incommodo gravi, seu certo, seu vere graviterque probabili. Hinc dari possunt circumstantiae in quibus, ad evitanda graviora mala, ecclesiastica sepultura *tolerari* potest, dummodo: 1°) haec non extorqueatur **in contemptum** Ecclesiae, « quia, ut ait Reiff. (tom. IV, pag. 586), cooperari ad contemptum Ecclesiae non tantum humana, sed et divina lege prohibitum est; » dummodo 2°) catholici nunquam active cooperentur, sed **omnino passive** se habeant; et dummodo 3°) defunctus non efferatur signis **massonicis** feretro aut vexillis appositis. Huc, praeter allata (pag. 428) S. Sedis documenta, spectat decisio S. U. I. (15 Julii 1609), quae censuit sepulturam *haereticorum* tolerandam esse, « *si ei absque scandalo resisti non potest.* » Item decisio S. Poenit. (10 Dec. 1860) ap. N. R. T. (XVII, 448) quoad notorie excommunicatos : « *Curandum, ut cuncta ad normam sacrorum canonum fiant; quatenus vero* absque turbarum et scandali periculo *id obtineri nequeat, parochus neque per se, neque per alios sacerdotes ad exsequias et ad sepulturam ullo modo concurrant,* » i. e. passive se habeant. Constat denique Pium IX (26 Oct. 1865) graviter conquestum esse cum Archiep. Parisien., quod « *exsequiis interfuerit Magni utriusque militiae Magistri* Magnan, *et solemnem absolutionem fuerit impertitus, dum ex illius feretro* Massonica *etiam exstabant insignia, et eidem funeri socii illius damnatae sectae cum eisdem insignibus adsistebant.* »

Q. 27. *An* poenam incurrant, qui dant *indignis* sepulturam ecclesiasticam?

R. Quamvis peccent, qui dant indignis sepulturam ecclesiasticam, soli tamen « *mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos,* » ex Const. « *Apostolicae Sedis* » Pii IX, incurrunt excommunicationem latae sententiae *nemini* reservatam.

Resolvitur. Hinc : **1°**) Non incurritur, nisi agatur de *haereticis* notoriis, ad quos reducuntur *apostatae a fide*, vel de *excommunicatis* aut *interdictis* nominatim. **2°**) Eam tantum incurrunt, qui *mandant* vel *cogunt* tales tradi *sepulturae ecclesiasticae*, i. e. qui

tumulo *inferre, condere* jubent; non vero qui eis justa persolvere mandant; nec qui funus associant, crucem et luminaria deferunt; nec sepelientes; nec hi qui sepelientibus operam praestant. 3°) Qui *mandant, cogunt,* eam non incurrunt, nisi postquam mandatum obtinuerit suum effectum, i. e. post sepulturam traditam. 4°) Non incurritur, si sepultura fiat in loco *profano*, etsi ritu catholico; contra incurritur, si fiat in *loco sacro*, etiam nullo ritu adhibito. Interim, an ad locum *sacrum* requiratur, ut speciali benedictione sit consecratus, DD. *disputant.* Alii *negant* cum Suarez dicuntque sufficere, ut sive auctoritate episcopi, sive etiam ex recepta consuetudine locus aliquis ad hoc munus sepeliendi fideles destinatus sit. Alii *Affirmant* cum Ferr., Reiff., et probabilius quidem. 5°) Cum Pontifex non usurpaverit verba *scienter* aut *praesumptuose*, ab hac censura incurrenda non excusat ignorantia crassa aut supina. Cfr. Adnotationes in Const. « *Apostolicae Sedis* » in fine tom. 4.

Q. 28. Dic : 1°) *quandonam* coemeterium POLLUATUR; 2°) *quandonam* EXSECRETUR, et 3°) *quomodo* RECONCILIETUR?

R. Ad 1^{um}) Quibus *modis* ecclesia *polluitur*, iisdem *polluitur* coemeterium (pag. 148 seqq.); cum hac tamen differentia, quod, polluta ecclesia, coemeterium quoque, si est contiguum, polluatur, sed non contra. Quod si duo coemeteria contigua intermedio pariete sejuncta sint, uno polluto, alterum non polluitur, tametsi eo pariete janua aditum ad alterum praestet.

R. Ad 2^{um}) *Exsecratur* coemeterium in sequentibus casibus.

Explanatur. 1°) Si quacumque de causa ita destruatur aut immutetur, ut eamdem moraliter formam non servet, sicuti contingere potest in terrae motibus, in aquarum impetu, in metallorum cultu et lapicidinarum. 2°) Si cruces, muris etiam superstitibus, ignem patiantur vel alia de causa ad nihilum redigantur. 3°) Si, legitima accedente superioris licentia, ad usus profanos convertatur. Sicuti tamen per ecclesiae consecrationem (1), consecratum censeri nequit coemeterium contiguum, ita neque exsecratum per

(1) Ad DUBIUM : « *Utrum, benedicto coemeterio, censeri debeat benedicta etiam ecclesia eidem adnexa et vice-versa?* » S. C. Rit. (21 Febr. 1896) RESPONDIT : « *Negative ad utrumque.* » Ap. N. R. T. XXVIII, 293.

ecclesiae exsecrationem. Praeterea, ut per transennam dixerim, si coemeterium amplietur, pars addita benedicenda erit, sive sit major, sive minor, nisi tam modica sit, ut considerari non debeat. Quanta autem talis pars esse possit, morali aestimatione determinandum erit.

R. Ad 3^{um}) *Sub distinctione.*

Explanatur. Sicut dictum est de ecclesia (pag. 150), ita quoque coemeterium, si **consecratum** fuerit, reconciliari debet ab ipso episcopo vel a sacerdote delegato a Papa cum aqua benedicta ab episcopo. Si tamen corporum fidelium humatio diutius differenda foret, episcopus, aliquo impedimento detentus, posset delegare sacerdotem ad benedicendum coemeterium simplici benedictione, donec ipsemet illud consecrare possit. Si vero tantum fuerit **benedictum,** reconciliari potest a quovis presbytero. Sed utrum tunc presbyteri egeant delegatione Ordinarii, DD. *disputant.* Communiter **affirmant** ex Rit. Rom.; quidam tamen **negant** ex Cap. 10 *de Cons. Eccl.*, quos inter Lugo. Reconciliata autem ecclesia, coemeterium quoque ei contiguum ipso jure reconciliatum intelligitur. Sed si solum coemeterium violatum fuerit, seorsim reconciliandum erit (Rit. Rom. h. t.).

Scholion. Ubi per *infidelium* aut *vitandorum* sepulturam locus sacer **pollutus** fuerit, scite advertit Gousset : « *Dans ce cas, on ne doit, suivant les canons, réconcilier le cimetière qu'après avoir* exhumé *le corps qui l'a profané. Si l'autorité civile s'oppose à l'exhumation, malgré les justes et légitimes réclamations de l'autorité ecclésiastique, l'évêque pourra permettre de réconcilier le cimetière par une nouvelle bénédiction. L'Eglise n'exige pas l'impossible.* » Tum addit : « *Mais que fera le curé, si, avant d'avoir reçu la décision de l'Ordinaire, quelque fidèle de sa paroisse vient à mourir? Pourra t il accompagner le corps au cimetière, et y faire de cérémonie religieuse? Il le pourra, à raison des graves inconvénients qu'il y aurait à ne pas le faire; mais il bénira la fosse où le corps doit être déposé. Les temps ne sont pas les mêmes; il ne faut donc pas s'étonner si les règles, en matière de discipline, varient dans leur application.* »

Q. 29. *An* CORPUS sepulturae traditum *exhumari* possit?

R. *Ordinarie* non potest, nisi de licentia episcopi et officialis civilis; immo graves poenae in exhumatores cadaverum et violatores sepulchorum statutae sunt tum in jure romano, tum in jure civili art. 360 codicis poenalis.

Resolvitur. Hinc si cadaver in coemeterio benedicto jam sepultum, civili auctoritate imperante, exhumari debet ad illius inspectionem, hoc utique licet, cum sit ad bonum publicum; prius tamen foret obtinenda licentia a superiore ecclesiastico, cum loca sacra sint sub ejus jurisdictione posita. Qui tamen hodie hoc curant? Ideo parochi permissive se habendo, ad scissiones evitandas, curent saltem, ut casu adveniente omnia decenter ac religiose fiant.

Q. 30. In *quos* FINES adhibeantur *exsequiae?*

R. Ex S. THOM. (*Suppl.* q. 71, a. 11) «*cultus exsequiarum*» seu exsequiae adhibentur: 1°) in defunctorum honorem et refrigerium; 2°) in vivorum solatium et aedificationem; 3°) per accidens, in fabricae et ministrorum sustentationem, solutione expensarum, quae eis per modum eleemosynae tribuuntur.

Q. 31. *Quae* circa EXSEQUIAS servanda sint?

R. In RIT. ROM. praescribuntur praecipue sequentia.

Explanatur. 1°) «*Quod antiquissimi est instituti, illud,* QUANTUM FIERI POTERIT, *retineatur, ut* MISSA, **praesente corpore** DEFUNCTI, PRO EO CELEBRETUR, *antequam sepulturae tradatur.*» 2°) «*Caveant omnino parochi aliique sacerdotes, ne exsequiarum causa quidquam* PACISCANTUR, *aut* TANQUAM PRETIUM EXIGANT; *sed iis eleemosynis contenti sint, quae aut* **probata consuetudine** *dari solent, aut* **Ordinarius** *constituerit.*» Possunt tamen a recusantibus et post gratiosam monitionem solvere differentibus, juridice exigere quod ex laudabili consuetudine solvi consuevit. 3°) «*Cum autem antiquissimi ritus ecclesiastici sit,* CEREOS *accensos in exsequis et funeribus deferre, caveant item, ne ejusmodi ritus omittatur, ac ne quid* **avare** *aut* **indigne** *in eo committatur.*» Quod dictum de *cereis* par est similiter de omnibus expensis intelligere. *Avare* scilicet, si numerus aut pondus cereorum aliaeve expensae, supra taxam praescriptam aut pro officiis non factis exigantur; *indigne*, si can-

delae non omnes vel eorum loco aliae adhibitae accendantur. 4°) « Pauperes *vero, quibus mortuis nihil aut ita parum superest, ut propriis impensis humari non possint,* **gratis omnino** *sepeliantur; ac debita lumina suis impensis, si opus fuerit, adhibeant sacerdotes ad quos defuncti cura pertinet, vel aliqua pia confraternitas, si fuerit, juxta loci consuetudinem.* » 5°) « Sacerdos *aut* cujusvis Ordinis clericus *defunctus vestibus suis quotidianis communibus usque ad talarem vestem inclusive, tum desuper sacro* **vestitu sacerdotali** *vel* **clericali,** *quem Ordinis sui ratio deposcit, indui debet,* » prout ibidem latius describitur. Ad **quaestionem** autem : debeantne *sepeliri* cum vestibus proprio Ordini congruentibus ; an vero sufficiat, ut cum his in Ecclesia *exponantur;* **respondit** S. R. C. (12 Nov. 1831) : « *Servetur cujusque loci consuetudo.* » 6°) « Laici cadaver, *quolibet generis aut dignitatis titulo praeditus ille fuerit,* **clerici** *ne deferant, sed* **laici.** » 7°) Corpora defunctorum in ecclesia ponenda sunt « *ita ut defuncti pedes, si fuerit* **laicus,** *sint versus altare majus; si vero fuerit* **sacerdos,** *caput sit versus ipsum altare.* » Hinc in exsequiis defuncti sacerdotis *praesente corpore* locanda est crux ad caput defuncti inter feretrum et altare (S. R. C. 3 Sept. 1746), et celebrans se sistit ad pedes defuncti contra crucem. Dixi : *praesente corpore;* nam cadavere *absente,* crux locatur semper inter feretrum et fores ecclesiae, seu ad pedes tumuli contra altare, et celebrans inter altare et tumulum contra crucem S. R. C. (21 Jul. 1855). 8°) Servandus est « *exsequiarum* **ordo,** » prout nimirum in Rit. Rom. describitur tam pro *adultis* quam pro *parvulis.*

Scholion. Juvat praeterea in hanc materiam sequentia adnotare. 1° **Pannus,** quo feretrum cooperitur, sit **nigri coloris** pro omnibus adultis, etiam pro innuptis puellis. Constat enim ex S. C. C. (21 Jul. 1855) feretrum, si in eo reconditur corpus puellae innuptae, panno ex lana *alba* contexto cooperire in signum virginitatis, non licere. 2°) In sepultura et exsequis *clericorum* licet super feretrum apponere **insignia** Ordinis ad qualitatem personae designandam, v. g. pro sacerdotibus imponere biretum vel stolam nigri aut violacei coloris. At **baldachinum** ponere vel super defunctum vel super castrum doloris, etiam in exsequiis aut officiis pro Episcopo aut S. Pontifice non licet ex S. R. C. (4 Jul. 1879). 3°) Ad **dubia :**

« I. *Utrum in funeribus ducendis tolerari queat usus* CURRUS, *super quo imponatur feretrum equis vehendum ad ecclesiam et coemeterium?* II. *Et quatenus affirmative, utrum parochus et clerus funus ducere possint* SACRIS VESTIBUS *induti erectaque* CRUCE*?*» **Respondit** S. R. C. (5 Mart. 1870) : « *Utrumque fieri posse.* » **4°**) In feretro vel tumulo, dum pro aliquo defuncto exsequiae fiunt, tam praesente quam absente cadavere, *nequit exponi ejusdem defuncti* **imago**; et si hujusmodi usus alicubi vigeat, *curandum est ut eliminetur abusus.* Ita S. R. C. (30 April 1896) ap. N. R. T. (XXVIII, 433). **5°**) Non decet in parietibus ecclesiae vel publici oratorii suspendere **coronas mortuarias**, ut inibi maneant. » Ita ex S. R. C. (22 Maii 1896) ap. N. R. T. (XXVIII, 433). **6°**) In sepultura parvulorum **ante usum rationis** decedentium, missa celebrari non debet, cum suffragiis non indigeant. Si tamen petatur, celebretur missa de die, vel si rubricae permittant, ad libitum celebrari poterit votiva, v. g. *de Angelis*, ut cum iisdem ob felicem transitum congaudeamus Deumque collaudemus, vel etiam de *Requiem* pro defunctis parvuli consanguineis. Si vero **ad usum rationis pervenerint**, aequiparantur adultis, ac consequenter pro ipsis dicenda est Missa *de Requiem*, ut in die obitus, quae missa iisdem gaudet privilegiis ac pro adulto defuncto. Idem fieri poterit, si *dubitetur* de usu rationis; vel si magis placet, in casu dubio, nihil etiam obstat missam de die celebrare.

Q. 32. *Quandonam* exsequiae fieri possint?
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Si fiant **privatim** et *sine cantu*, fieri possunt omnibus diebus. — Si vero fiant **solemniter** et cum cantu, fieri nequeunt : **1°**) *toto triduo sacro* majoris hebdomadae; in sabbato tamen sancto etiam sic fieri possunt post meridiem seu potius ad vesperam; **2°**) *tempore solemnis expositionis SS. Sacramenti*, si reponi nequeat, ut in precibus 40 horarum aut in perpetua adoratione; quo casu si cadaver in ecclesia sit inferendum, officium funerale extra ecclesiam quidem solemniter fieri potest et debet; sed in ecclesia privatim et sine cantu et convenienter in aliqua cappella laterali, si fieri possit. Aliis diebus solemnibus exsequiae solemnes et in cantu non prohibentur; illis tamen diebus quibus

vetita est missa exsequialis praesente corpore, laudabiliter ad vesperam differuntur post expletum diei officium. Curandum quoque, ut fiat sine praejudicio missae conventualis et parochialis, aliorumque officiorum.

Q. 33. *Quandonam* prohibeatur MISSA *exsequialis?*
R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Missa *cantata* exsequialis, **praesente corpore,** prohibetur : **1°**) in *triduo sacro* maj. hebd.; **2°**) in die *Nativ. Dom.*, in Dominicis *Paschae* et *Pentecostes;* in festis *Ascens. Dom.*, *Assumpt. B. M. V.*, *Imm. Concept.*, *Nativ. S. Joan. Bapt.*, *S. Joseph*, *Omnium Sanctorum*, in *Anniv. Dedic.* propriae eccles., et in festo *Patroni* seu *Titul.* eccles.; **3°**) in Dominicis in quas *transferuntur* solemnitas quatuor festorum sequentium : *Epiph.*, *Corp. Christi*, SS. AA. *Petri et Pauli* ac *Patroni principalis* loci; **4°**) publice exposito *SS. Sacramento.*

Si corpus est **absens**, insepultum tamen, Missa exsequialis insuper prohibetur in omnibus festis duplicibus 1 classis.

Si corpus aliqua ex causa terrae jam traditum est, Missa exsequialis prohibetur in omnibus festis duplicibus 1 et 2 classis et festis de praecepto.

Quod si dicta causa sit vel civile vetitum, vel morbus contagiosus, consideratur corpus ac si esset physice praesens, dummodo tumulatum non fuerit ultra biduum ab obitu.

Constat autem ex decreto S. R. C. (19 Maii 1896) ap. N. R. T. (XXVIII, 541 seq.) « in quibuslibet ecclesiis et oratoriis, quum publicis tum privatis et in sacellis ad seminaria, collegia et religiosas vel pias utriusque sexus communitates spectantibus, MISSAS **privatas** DE REQUIE, praesente, insepulto, vel etiam sepulto non ultra biduum cadavere, fieri posse die vel pro die obitus aut depositionis; verum sub clausulis et conditionibus quibus, juxta rubricas et decreta, MISSA SOLEMNIS *de Requie* iisdem in casibus decantatur, exceptis duplicibus primae classis et festis de praecepto. »

Unde Indultum concessum dioecesi Mechlinien., 22 Maii 1841, pro exsequiis *pauperum* in posterum non amplius est applicandum.

Q. 34. *An* LICITUM sit habere *sermonem* in laudem defuncti, pro quo missa exsequialis celebratur?

R. *Affirm.*, sed tantummodo finita missa, et quidem ante absolutionem, et in habitu ordinario. Ex *Caerem. Episc.* (lib. I, c. 22, n. 6). Cfr. N. R. T. (VIII, 632).

Resolvitur. Itaque ante absolutionem sermocinaturus, *vestibus nigris*, scilicet veste talari et pallio indutus, *sine cotta* (superpelliceo) et facta oratione ante medium altare, nulla petita benedictione ab episcopo (si adsit), sed facta ei et altari profunda reverentia, ascendet pulpitum panno nigro coopertum, ubi, facta iterum episcopo reverentia, signans se signo crucis facit sermonem. Hunc ritum in omnibus ecclesiis servandum esse, et vestibus nigris stolam non comprehendi, ideoque stolam super veste talari non gestari posse, declaravit S. R. C. (14 Jun. 1845).

Q. 35. *An* liceat CATHOLICIS interesse *haereticorum* funeribus et sepulturae?

R. Id non licet, nisi adsint sequentes conditiones : 1°) ut *meram praesentiam materialem* exhibeant, i. e. causa honoris civilis erga defunctos; 2°) ut eam recusare nequeant *sine gravi damno vel periculo;* 3°) ut evitetur *omnis communicatio in haereticorum ritibus et caeremoniis.*

Explanatur. Constat ex S. U. I. (14 Jan. 1818) ubi ad **dubium** : «*An liceat interesse haereticorum funeribus et sepulturae?*» EE. PP. **decreverunt** : « *Licere quotiescumque agatur de assistentia* MATERIALI *praestita civilis officii causa, a qua eximi nequeunt catholici sine gravi* DAMNO *vel* PERICULO, *dummodo nullo modo* COMMUNICENT *in eorum ritibus et sacris caeremoniis quibuscumque* ». Ap. N. R. T. (III, 303).

Interim, in locis ubi catholici permixtim vivunt cum acatholicis, ut in Germania, Hollandia, America Septentrionali et alibi, mos est, ut fideles, etiam timorati, urbanitatis aut amicitiae causa, sine scrupulo, scientibus et non contradicentibus episcopis, funus acatholicorum comitentur, plerumque nonnisi ad ingressum tantum templi aut coemeterii, quo melius ostendant, se non participare eorum caeremoniis et precibus, si quas tamen adhuc adhibeant.

Imo, antiquorum et imprimis S. Lig. (II, 16) vestigia secutus, ad **quaestionem** : « *An liceat catholicis audire religiosas haereticorum conciones*, FUNUS DEDUCERE, *sacris eorum interesse, aut nuptiali eorum convivio?* » **respondet** Scavini : « *Si ex regionis consuetudine et communi judicio haec agere non habeatur ut signum professionis fidei, uti contingit in Germania, praecluso omni animae periculo, per se loquendo licet : nam in communi aestimatione tunc catholici interessentes non habentur uti communicantes in divinis. Hinc de se non peccant contra fidem, qui intersunt convivio nuptiali aut* SEPULTURAE *haereticorum, quia haec proprie ad fidem non spectant, sed praefatae adunationes mere civiles sunt habendae. Item est de iis, qui templa haereticorum ingrediuntur, eorum conciones audiunt, et sacris eorum intersunt sine pravo fine ; habentur uti simplices spectatores, quod quidem usus permittit... Item* NEQUE IN ALIIS LOCIS *per se loquendo videtur* GRAVITER ILLICITUM *sacris haereticorum interesse, puta ob curiositatem, modo semper absit scandalum, quod quidem vel in ipsa frequentia adesset; item periculum perversionis, communicatio impietatis et specialis prohibitio.* »

Verum in Instructione *Em. Card. Vicarii pro parochis et confessariis Romae* (12 Jul. 1878), quam edidit « *juxta declarationem S. Rom. et Univ. Inquisitionis* » ipsi factam, ut fatetur in statutis quae idem Cardinalis, deinceps episcopus Albanensis renuntiatus, pro dioecesi sua promulgavit (an. 1887), haec, quae sequuntur, leguntur : « **Peccant** *vero graviter qui vel* SOLA CURIOSITATE *ducti scienter ingrediuntur fana seu aulas haereticorum dum hi* CONCIONES *vel* COLLATIONES *habent, quique illas audiunt ; similiter qui damnatis eorum sacris* MATERIALITER *tantum adstant eisque communicant et vel cantu aut musicis instrumentis eisdem sacris cooperantur, etsi id fiat solius lucri aviditate.* »

DE ORDINE.

PRAEAMBULUM. Huc usque egimus de Sacramentis quibus homo perficitur **quoad propriam personam** ; restat agendum de his sacramentis quibus perficitur **in ordine ad communitatem**, quae sunt *Ordo* et *Matrimonium*. Scilicet, ut docet S. Thom. (p. 3, q. 65, a. 1 in c.), « *perficitur homo in* ORDINE AD COMMUNITATEM *dupliciter :* UNO

MODO *per hoc quod accipit potestatem regendi multitudinem et exercendi actus publicos; et loco hujus in spirituali vita est sacramentum* ORDINIS, *secundum illud* (HEBR. VII) *quod sacerdotes hostias offerunt non solum pro se, sed etiam pro populo.* SECUNDO *quantum ad naturalem propagationem, quod fit per* MATRIMONIUM *tam in corporali quam in spirituali vita, eo quod est non solum sacramentum, sed naturae officium.* »

Itaque in tractatu de *Ordine* agitur de ritu quo homines quidam ex aliis assumuntur et pro hominibus constituuntur in his quae sunt ad Deum, ad offerendum scilicet sacrificium, atque ad obeunda cetera ecclesiastica munia. Et hinc, ut observat CATECH. ROM., « *si quis aliorum sacramentorum naturam et rationem diligenter consideravit, facile perspiciet ea omnia ab Ordinis sacramento ita pendere, ut sine illo partim confici et administrari nullo modo queant, partim solemni caeremonia et religioso quodam ritu ac cultu carere videantur.* »—Porro quaecumque in eo tractatu sumus dicturi, **duas in partes** distribuemus.

In **prima** parte dicemus de sacramento Ordinis **in genere** seu *in universum*, quam partem *septem* sequentibus capitibus complectemur. In 1°) tradentur *notiones praeviae;* in 2°) dicetur *de veritate sacramenti Ordinis;* in 3°) *de effectibus sacramenti Ordinis;* in 4°) *de ministro ordinationis;* in 5°) *de subjecto validae ac licitae ordinationis;* in 6°) *de materia et forma sacramenti Ordinis in communi;* in 7°) *de poenis inale ordinantis et ordinati.*

In **secunda** parte dicemus de Ordine **in specie**, seu *de singulis in specie ordinibus*, quam partem *quinque* capitibus absolvemus. Scilicet disseretur : 1°) *de sacerdotio minori* seu *de presbyteratu;* 2°) *de sacerdotio majori* seu *de episcopatu;* 3°) *de diaconatu;* 4°) *de subdiaconatu;* 5°) *de ordinibus minoribus.* — Quibus omnibus adjicietur **Appendix** : *de tonsura.*

PARS PRIMA.

DE ORDINE IN GENERE.

CAP. 1. Notiones praeviae.

Q. 1. *Quid* 1°) sit ORDO ; 2°) *an* NUMERUS Ordinum sit *definitus;* 3°) *quot* dentur ORDINES ; 4°) *quomodo* DISTINGUANTUR ; et 5°) *ex quibus* constet *hierarchia ecclesiastica?*

R. Ad 1^{um}) Ex S. Thom. (*Suppl.* q. 34, a. 2 ad 4) *Ordo*, vi *nominis*, seu *generatim* sumptus, significat dispositionem rerum superiorum et inferiorum, quae ita inter se aptatae sunt, ut una ad alteram referatur. In sensu *ecclesiastico*, Ordo *bifariam* considerari potest : *active* vel *passive*.

Explanatur. Si sumatur **active**, melius *Ordinatio* quam *Ordo* nuncupatur, estque ex S. Thom. (*Suppl.* q. 34, a. 2 in cor.) « *Signaculum quoddam Ecclesiae, quo spiritualis potestas traditur ordinato* » seu paulo uberius : *ritus sacer, quo gradus alicujus potestatis confertur ad altaris ministerium.* — Dicitur : *ritus* seu *signaculum* non *sacramentum;* ut praescindatur a quaestione, an *omnes* Ordines sint sacramenta, quod multi negant. Dicitur : *ad altaris ministerium ;* quia ex S. Thom. (*Suppl.* q. 37, a. 2) omnes Ordines ad Eucharistiam ordinantur, vel *immediate*, ut sacerdotium, vel *mediate*, ut reliqui. — Si sumatur **passive**, est veluti effectus ex ordinatione resultans, seu ipsemet *gradus potestatis collatus ad altaris ministerium.*

R. Ad 2^{um}) *Negative.* De fide tamen est, *plures* esse Ordines : nam definitur in Trid. (Sess. XXIII *de sacram. Ord.*, can. 2) : « *Si quis dixerit*, praeter sacerdotium, *non esse in Ecclesia catholica* alios ordines *et majores et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur, anathema sit.* »

Explanatur. Cur **plures** sint Ordines, **congruentias** dat S. Thom. (*Suppl.* q. 37, a. 1) : « Primo *quidem propter Dei sapientiam commendandam, quae in distinctione rerum ordinata maxime relucet tam in naturalibus, quam in spiritualibus.* Secundo *ad subveniendum humanae infirmitati ; quia per unum non poterant omnia quae ad divina mysteria pertinebant expleri, sine magno gravamine.* Tertio *ut via proficiendi hominibus amplior detur, dum plures in diversis officiis distribuuntur, ut omnes sint Dei cooperatores, quo nihil est divinius.* »

R. Ad 3^{um}) *Septem* ab initio ad haec usque tempora, saltem apud *Latinos*, obtinuerunt Ordines, in Trid. (*ibid.* cap. 2)

memorati, nimirum : *Ostiariatus*, *Lectoratus*, *Exorcistatus*, *Acolythatus*, *Subdiaconatus*, *Diaconatus* et *Sacerdotium*, quod in *Presbyteratum* et *Episcopatum* diducitur.

Explanatur. Rationem hujus **septenarii** numeri Ordinum hisce exhibet S. Thom. (*Suppl.* q. 37, a. 2) : Distinctio Ordinum est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam : quia potestas Ordinis aut est ad consecrationem ipsius Eucharistiae, aut ad aliquod ministerium ordinatum ad illam. Si *primo* modo, est Ordo sacerdotum. Si *secundo* modo, vel ministerium est in ordine ad ipsum sacramentum, vel in ordine ad suscipientes. Si sit in ordine ad ipsum sacramentum est *triplex : primum* est, quo minister cooperatur sacerdoti in ipso sacramento, vel dispensando illud, vel tradendo materiam proximam ad illud, et hoc pertinet ad Diaconatum. *Secundum* est ministerium ordinatum ad praeparandam materiam sacramenti in vasis sacris; et hoc est Subdiaconorum. *Tertium* est ministerium ad praeparandam materiam in vasis non sacris eamque offerendam Diacono; et hoc est Acolythorum. Si vero sit in ordine ad praeparationem suscipientium, non potest esse nisi super immundos. *Triplex* autem est genus immundorum : quidam enim sunt omnino infideles credere nolentes, et hi totaliter a visione divinorum et coetu fidelium arcendi sunt; et hoc pertinet ad Ostiarios. Quidam sunt volentes credere sed nondum instructi, scilicet catechumeni, et ad eorum instructionem ordinatur Lectoratus. Quidam tandem sunt fideles et instructi sed impedimentum habentes ex daemonis potestate, scilicet energumeni, et ad hoc ministerium pertinet ordo exorcistarum. — Ceterum, ubi Patres Tridentini hos septem Ordines commemorant, nequaquam tamen definiunt, esse septem **tantum** Ordines, quemadmodum decreverunt esse septem *tantum* N. L. Sacramenta; ut adeo questionem inter Canonistas et Scholasticos agitatam : an ritus, quo initiuntur clerici tonsione capillorum, sit verus *Ordo;* et aliam : num Episcopatus sit sola sacerdotalis characteris *extensio*, vel *Ordo*, presbyteratu sublimior, disputantium arbitrio relinquant.

Dixi : *saltem apud* **Latinos**; **Graeci** enim, saltem a saeculo IX, non septem sed *quatuor* tantum Ordines admittunt, scilicet : *Sacerdotium*, *Diaconatum*, *Subdiaconatum* et *Lectoratum*. Minis-

teria tamen, quatuor minoribus Ordinibus a Latinis tributa, in suis Liturgiis et officiis ecclesiasticis non omiserunt Graeci, sed ea partim *Lectori*, partim *Subdiacono* diviserunt.

R. Ad 4^{um}) Ex Septem Ordinibus, quos Latinorum Ecclesiae servant ex vetustissima institutione, tres sunt *majores* et *sacri*, scilicet : *Subdiaconatus*, *Diaconatus* et *Sacerdotium* ; quatuor vero reliqui sunt *minores* et *non sacri*.

Explanatur. Ideo autem *tres* priores dicuntur **majores** : quia per eos ordinati ad majus et proximius officium circa Eucharistiam exercendam deputantur ; dicuntur etiam **sacri** : quia annexam habent obligationem perpetuae castitatis et recitandi Breviarium, quibus homines quasi specialiter Deo consecrantur in perpetuum et inhabiles redduntur ad matrimonium. Non autem dicuntur *sacri*, quod sint sacramenta : nam secundum omnes, nunc *Subdiaconatus* est Ordo *sacer* ; attamen non secundum omnes, est *sacramentum* ; item secundum omnes, *Minores Ordines* sunt *non sacri*, et tamen in sententia D. Thomae et plurimorum DD. sunt *sacramenta*. — Reliqui vero *quatuor*, ob rationem contrariam, **minores** et **non sacri** nuncupantur.

R. Ad 5^{um}) Memorati septem Ordines *hierarchiam ecclesiasticam* constituunt, eam videlicet quae hierarchia *Ordinis* nuncupatur, quaeque respicit sacramentorum administrationem atque distinguitur ab hierarchia *jurisdictionis*.

Explanatur. Haec enim hierarchia **jurisdictionis** respicit spirituale fidelium regimen, et constat variis dignitatibus, quae sequenti ordine recensetur : *Papatus*, *Cardinalatus*, *Patriarchatus*, *Primatia*, *Archiepiscopatus*, *Episcopatus*, *Praelaturae inferiores*, tandem *Dignitates inferiores* episcopum adjuvantes, quali gaudent *vicarii capitulares*, *vicarii generales*, *capitula canonicorum*, *vicarii foranei* seu decani, *parochi*, ceterique sacerdotes. Unde, ut patet, etiam ex iis qui ad sacerdotii apicem, nempe ad episcopatum evecti sunt, aliqui altiorem, alii inferiorem, si jurisdictionem spectemus, locum occupant.— Et quidem 1°) **Papatus** in ratione Ordinis ab episcopatu non differt, sed est episcopatus Romanus, cui annexa est summa potestas jurisdictionis in univer-

sos episcopos et fideles. 2°) **Cardinalatus** Ordo non est, sed est Ecclesiae eminentissima dignitas a Pontificibus olim inducta, ut sibi in Ecclesiae regimine assessores et consiliarios haberent, eo ferme modo, quo Moyses septuaginta sibi seniores adscivit in rebus difficillimis judicandis. Cardinales hodiedum eligunt summum Pontificem et ceteros dignitate praecedunt. De his late scripsi in opere : De la Cour Romaine, *sous le Pontificat de N. S. P. le Pape Pie IX.* 3°) **Patriarchatus** audit episcopatus, cui etiam Primatiae subsunt. 4°) **Primatia** est episcopatus patriarchali jurisdictione inferior, metropolitana vero seu archiepiscopali superior. Hodie primatibus solum honoris nomen sine ulla potestate relictum est. 5°) **Archiepiscopatus** seu **Metropolitanatus** similiter episcopatus est, qui subest quidem primatiae, praeest vero aliis ejusdem privinciae episcopatibus, qui *suffraganei* nuncupantur. 6°) **Episcopatus** est summum sacerdotium seu plenitudo sacerdotii. Hodie autem episcopi in tres classes dividuntur : **A**) Alii sunt episcopi *dioecesani*, qui alicujus provinciae districtui seu dioecesi praesunt quoad curam animarum et regimen ecclesiasticum. **B**) Alii sunt episcopi *titulares*, qui propriam dioecesim non habent, cujus defectu, potestatis usu et jurisdictione privantur. Vocantur passim episcopi *in partibus infidelium*, quia exornantur titulo alicujus earum ecclesiarum, quae sub jugo infidelium gemunt, ne memoria earumdem antiquae dignitatis penitus obliteretur. **C**) Alii sunt episcopi *coadjutores* aliorum episcoporum, constituti vel sine futura successione, hique vocantur coadjutores *temporales ;* vel cum jure successionis, hique nuncupantur coadjutores *perpetui* seu haereditarii. 7°) **Praelaturae inferiores** medium quasi locum occupant inter episcopos et presbyteros. Praelati namque inferiores sunt antistites qui, expertes Ordinis episcopalis, in sibi subjectas ecclesias atque personas quasi-episcopalem jurisdictionem exercent, uti v. g. abbates Ordinum religiosorum relative ad suos. Triplex autem distinguitur praelatorum inferiorum species, quas describit Bened. XIV (*de Syn.* l. 2, c. XI). 8°) Ad ceteras **Dignitates inferiores** quod attinet, jam egimus (t. II, p. 313 seqq.) : *de vicario capitulari ;* de *capitulo canonicorum*, et de *parochis*. Quoad **vicarium generalem**, notentur sequentia : **A**) Ipse in his, quae jurisdictionis sunt, fungitur vice episcopi ejusque utitur jurisdictione, ut adeo

in hac re una eademque sit utriusque persona unumque tribunal. Et si episcopus plures sibi vicarios generales constituerit, nisi unus eorum principalior sit, vel nisi eos constituerit diversis negotiis vel territoriis, omnes in solidum agunt, quasi plures mandatarii. Si tamen unus negotium gerere coeperit, alii non poterunt se ulterius intromittere, nisi forte ille postea nequeat aut nolit negotium implere. B) Nihilominus vicarii generalis jurisdictionem effugiunt : a) Negotia extraordinaria ; b) ea quae episcopus non facile praesumitur concessurus, nisi forte absit longe diuque ; c) quae pertinent ad potestatem Ordinis, licet vic. gen. sit praeditus Ordine episcopali. C) Episcopo autem sublato, puta morte, renunciatione, translatione, etc., omne jus et nomen vicarii continuo evanescit ; illo autem suspenso, jurisdictio quoque vicarii in suspenso est ipso jure. Tandem **vicarii foranei** seu **decani**, quos episcopus pro suo lubitu constituit aut amovet, potestate sibi ab episcopo mandata fruuntur, quae loco circumscribitur et plerumque ad res particulares pertinet. A *decano* recte ad episcopum provocatur.

CAP. 2. De veritate Sacramenti Ordinis.

Q. 2. Sitne Ordo *sacramentum?*

R. Ordinem esse sacramentum, de fide definitum est in Trid. (Sess. XXIII *de sacram. Ord.*, can. 3) : « *Si quis dixerit, Ordinem sive sacram Ordinationem non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino institutum : vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis ; aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum, anathema sit.* »

Explanatur. Probatur : 1°) Ex **SS. LL.**, in quibus non tantum narratur ab Apostolis per ritum externum, manuum scilicet impositionem, novos Ecclesiae ministros, episcopos, presbyteros, diaconos, fuisse ordinatos ; verum etiam diserte traditur, huic ritui seu manuum impositioni gratiam sanctificantem fuisse annexam. Etenim S. Paulus, loquens de ordinatione Timothei, ait (1 Tim. IV, 14) : « *Noli negligere gratiam quae est in te, quae data est tibi*

per prophetiam (i. e. juxta revelationem mihi factam, ut te in episcopum consecrarem) *cum impositione manuum presbyterii.* » Et iterum (2 Tim. I, 6) : « *Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei quae est in te per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis.* » Itaque Apostolus Timotheum in utroque loco hortatur, ut gratiam non sinat otiosam residere, sed ut excitet illam ad munia sacra rite et sancte obeunda. Quae gratia alia quam *sanctificans* seu *gratum faciens* esse nequit, quum gratia gratis data neque ad munia sacra recte ac sancte exsequenda faciat, neque suscitari hominis conatu possit, utpote ei quasi externa et ab ipso prorsus non pendens, neque etiam fortitudinis animi, dilectionis, vitae sobriae ac sanctae causa sit. — **Nec obstat**, quod Apostolus eam gratiam non vocet χάριν, sed vocabulum χάρισμα usurpet : haec enim vox non tantum gratiam gratis datam significat, sed etiam ab ipso Apostolo in sensu gratiae sanctificantis adhibetur, ut (Rom. V, 15) : «*Sed non sicut delictum, ita et donum* (χάρισμα). *Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia* (χάρις) *Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.*» Ubi χάρισμα non tantum delicto opponitur, et ideo virtutem internam divinitus collatam necessario indicat; sed etiam cum vocabulo χάρις manifeste commutatur. Tria igitur in istis verbis habemus, quae requiruntur et sufficiunt ad vere ac proprie sacramentum constituendum : A) *Ritum externum*, in manuum impositione; B) *gratiam sanctificantem* huic ritui annexam; C) *divinam institutionem*, quum solius Dei sit, instituere signum sensibile operativum gratiae. — Aliunde Ordinem a Deo fuisse institutum constat ex variis Scripturae locis : Act. (XIII,2) : «*Segregate mihi Saulum et Barnabam;* » I Cor. (IV, 1) : « *Sic nos existimet homo ut ministros Christi;* » Ephes. (IV, 11) : « *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores.*

Probatur : 2°) Ex **Traditione** cujus, praeter Concilia, testes sunt : tum SS. PP. quos inter D. Aug. qui, loquens de Baptismo et Ordine, aperte dicit (libr. 2 *contr. Parm.* cap. 13) : « *Utrumque sacramentum est, quod nemo dubitat;* » tum perpetuus utriusque Ecclesiae orientalis et occidentalis consensus, de quo constat :

A) quia graeci ceterique orientales, etsi latinis invidi semperque proni, ut ritus et fidem Ecclesiae Romanae, etiam in minimis, carperent; nunquam tamen eam accusarunt, quod sacramenta plura vel pauciora admiserit quam Christus instituisset; **B**) ex utriusque Ecclesiae publicis euchologiis, libris symbolicis, ritibus, quae omnium septem sacramentorum mentionem faciunt, et qua ratione administranda sint, exponunt; **C**) ex responsione JEREMIAE, Patriarchae Constantinopolitani, data an. 1575 Confessionis Augustanae Nuntiis, nimirum: graecos omnes eadem cum latinis nec plura, nec pauciora sacramenta admittere. Quae fides Ecclesiae graecae cum latina adhuc magis apparuit, quando paulo post famosus CYRILLUS LUCARIS, item P. C. et Calvinistis devotus, novellam doctrinam spargere incoepit, et aperto mendacio suam haereticam professionem pro antiqua fide Ecclesiae graecae obtrudebat. Statim enim tota Ecclesia graeca ipsi obstitit; in variis conciliis innovator damnatus fuit, donec tandem an. 1638 iterum exauctoratus fuit et laqueo suffocatus. Cfr. dicta (tom. II, pag. 359 seq.).

Q. 3. Sintne *omnes* Ordines SACRAMENTA?

R. Quamvis de fide sit Ordinem seu Ordinationem esse sacramentum, non tamen certo constat, singulos in specie Ordines esse sacramenta.

Explanatur. Et quidem 1°) **Sacerdotium,** quod in **minus** seu *presbyteratum*, et in **majus** seu *episcopatum* dispertitur, esse sacramentum, de fide tenendum est. Si enim de fide est, aliquam Ordinationem esse sacramentum, hoc saltem de Sacerdotio intelligendum est, quod est omnium Ordinum inferiorum Ordo praestantissimus.

Interim, utrum **episcopatus,** inadaequate sumptus, pro eo scilicet quod addit presbyteratui seu simplici sacerdotio potestatem ordinandi, confirmandi et gubernandi, sit Ordo et Sacramentum *essentiatiter* seu *realiter distinctum* a presbyteratu; an vero *solum ejusdem complementum* seu *sola ejusdem extensio*, i. e. mera extensio characteris sacerdotalis ad nova officia et ampliorem potestatem ac dignitatem, inter DD. *disputatur*.

Hoc **posterius** docent non pauci cum BILLUART, STEYAERTIO, PUIG et XARRIÉ. Pro eadem sententia, praeter S. THOM. (*Suppl.*

q. 40, a. 5) citantur : Alb. Magn., S. Bonav., Scot., D. Soto, Vasq., Conin., Filliuc., etc., et communiter Thomistae, paucis exceptis. Rationes eorum sunt : **A**) quia distinctio Ordinum accipitur secundum habitudinem quam habent ad Eucharistiam; potestas enim Ordinis aut est ad consecrationem, aut ad aliquod ministerium ordinatum ad sacramentum Eucharistiae, quae est finis ceterorum sacramentorum (pag. 442). Jam vero episcopatus non dicit hanc specialem habitudinem, sed eam supponit completam et perfectam in sacerdotio, cum non possit episcopus magis consecrare quam simplex sacerdos. **B**) Trid. (Sess. XXIII, cap. 2) recensendo Ordines, *septem* tantum numerat et nominat, omisso episcopatu; et can. 2 loquitur de sacerdotio tanquam de supremo Ordine ad quem per alios Ordines ascenditur, inquiens : « *Si quis dixerit praeter* sacerdotium *non esse in Ecclesia catholica alios Ordines majores et minores, per quos velut gradus quosdam in sacerdotium tendatur, anathema sit.* » Atqui si episcopatus esset Ordo essentialiter distinctus a sacerdotio, non tantum forent *septem*, nec apparet ratio cur Concilium illum omisisset. Item nec sacerdotium foret Ordo supremus, sed episcopatus. **C**) Si episcopatus esset Ordo essentialiter distinctus a presbyteratu, vel esset ipsi *par*, vel *inferior*, vel *superior*. Non *par :* quia essentiae rerum non secus ac numeri per inaequalitatem constituuntur. Non *inferior :* quia episcopatus est et dicitur apex sacerdotii. Non *superior :* quia nulla est potestas sublimior potestate in corpus Christi reale, quam confert sacerdotium, haecque longe praestat potestati in corpus Christi mysticum seu fideles, quam confert episcopatus. **D**) Episcopatus includit sacerdotium non eminenter tantum, sicut v. g. sacerdotium includit diaconatum; sed *essentialiter formaliter*, ita ut non possit esse nec concipi episcopus sine sacerdotio, et ideo dicitur a S. Aug. *primus* sacerdos seu sacerdos princeps. Ergo non est a sacerdotio specie distinctus : una enim species non includit formaliter, essentialiter alteram, alias jam non forent duae species, sed una.

Verum **prius**, teste S. Lig. (VI, 738) « communius » docetur; immo haec sententia a Bellarm. dicitur « *certissima* » et « nunc temporis *communis* et *omnino tenenda* » est, dicit Perrone. Prae-

terea legitur in CATECH. THEOL. AD ORDINANDOS : « *Episcopatum non solum esse apicem et consummationem sacerdotii, sed etiam esse Ordinem a simplici presbyteratu distinctum atque verum esse sacramentum ; idque ita nunc constat inter TT., ut opposita sententia* ERRONEA *videatur.* » Et quidem, juxta patronos hujus sententiae, episcopatum esse Ordinem et Sacramentum a presbyteratu distinctum, ex eo ipso, aiunt, videtur confici, quod cum peculiari ritu, distincta consecratione propriisque materia et forma perficiatur, conferatque potestatem, quam nulla alia ordinatio tribuit, scilicet confirmandi, ordinandi, etc. Quae potestas non est solius *jurisdictionis :* alias posset a Papa auferri ; ergo est *Ordinis*, et ordinatio, per quam confertur, est Ordo et Sacramentum distinctum, cum in ea detur specialis gratia. Praeterea TRID. manifeste tradit episcopatum esse Ordinem et quidem distinctum a presbyteratu. Dicet enim (Sess. XXIII, cap. 4) : « *In ordinatione episcoporum, sacerdotum et ceterorum* ORDINUM, etc., » docetque episcopos plura peragere posse, « *quarum functionum potestatem reliqui* INFERIORIS ORDINIS *nullam habent.* » Accedit hunc distinctum Ordinem esse quoque ex TRID. distinctum Sacramentum ; definit enim (can. 4) : « *per sacram ordinationem dari Spiritum Sanctum, ac proinde non frustra episcopos dicere : Accipe Spiritum Sanctum.* » Atqui in ordinatione episcoporum forma est : « *Accipe Spiritum Sanctum*, etc. ; » ergo ordinatio episcoporum confert gratiam specialem ac proinde est Sacramentum distinctum. Nec valet dicere : Ordines in casu numerum septenarium excedere ; siquidem episcopatus et presbyteratus sub uno sacerdotii Ordine comprehenduntur. Quae quidem argumenta haud sunt despicienda. — An tamen talia sint, ut a sententia S. THOMAE sit recedendum, asserere non vellem. Imo tantum abest, ut haec S. THOMAE sententia videatur relinquenda, ut potius, sicut aperte deducitur ex Const. « *Apostolicae curae* » LEON. XIII « *De Ordinationibus Anglicanis* » (Idib. Sept. 1896) ap. N. R. T. (XXVIII, 620 seqq.), de ea libere disputetur. Quod magis est : eadem sententia Romae publice in Scholis traditur, etiam in Coll. Rom. Cfr. BILLOT S. J. (*Thes.* XXXI, § 2). Quare concludere licet cum TT. Hispanis PUIG et XARRIÉ O. P. : « Ordo Episcopatus non videtur a Presbyteratu adaequate et essentialiter distinctus, sed tantum per quamdam eminentiam majo-

remque perfectionem, modo quodam simili, quo in physicis calor intensus distinguitur a calore remisso, non adaequate et essentialiter, sed solum secundum quemdam gradum perfectiorem; seu, ut theologice loquamur, Episcopatus a Presbyteratu videtur eo proportionali modo distingui, quo gratia Christi, ut Capitis, distinguitur a gratia ipsius, ut singularis homo, et a gratia, quae in nobis est, ut sumus ipsius membra; a quibus gratia Christi, ut Capitis, non distinguitur adaequate et essentialiter, sed tantum secundum quamdam eminentiam ac perfectionem majorem. Christus enim, ut Caput, talem habet gratiam, ut gratiam possit aliis communicare, quod nec nobis nec ipsi Christo competebat, ut erat homo singularis. »

Similiter 2°) **Diaconatum** esse sacramentum, theologice certum est. Definit enim Trid. (Sess. XXIII, can. 4) : « *Si quis dixerit, per Sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere : Accipe Spiritum Sanctum,... anathema sit.* » Jam vero, in ordinatione diaconorum dicunt Episcopi, imponendo manus : *Accipe Spiritum Sanctum;* ergo inferendum est, ordinationem diaconorum conferre gratiam, ac proinde esse vere sacramentum. Praeterea definit (*ibid.* can. 6) : «*In ecclesia catholica esse hierarchiam* divina *ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et* ministeris. » Jam vero inter *ministros* primi certo sunt diaconi.

Denique, quod 3°) **Subdiaconatum** et 4°) **Ordines minores** attinet, an sint *sacramenta*, inter DD. *disputatur.* — Alii **negant** post Petrum Lombardum : quia, esto concederetur, eos a Christo fuisse institutos, non ideo constaret, illos habere rationem sacramenti, cum velut caeremoniae, sicut lotio pedum, institui potuissent; praeterea in ritu eos conferendi nihil clare ostendit gratiae promissionem; manus non imponuntur, nec Spiritus Sanctus promittitur. — Alii, S Thom. et S. Bonav. secuti, **affirmant,** quorum sententiam, post Greg. de Valentia, « *communiorem et probabiliorem* » vocant docti Theologi Hispani Puig et Xarrié O. P. Ratio potissima deducitur ex Conciliis. Sic Trid., postquam definierat : « *Praeter Sacerdotium esse in Ecclesia catholica alios Ordines majores et minores,* » sequenti canone, citra ullam restrictionem statuit : « *Sacram Ordinationem esse vere et proprie sacramentum a C. D. institutum.* » Ergo juxta mentem Concilii etiam

Subdiaconatus et Ordines minores rationem sacramenti participare videntur. Quae quidem mens haud parum confirmatur ex consensu Theologorum ejusdem Concilii qui, teste Theiner (*Act. gen.* Conc. Trid. II, 135 seqq.), omnes, solo excepto Didaco de Payva, in Subd. et Ord. min. sacramenti notam agnoscebant. Praeterea Flor. definit Ordinem in genere esse sacramentum, inquiens : « *Sextum sacramentum est Ordinis;* » sub Ordine autem tanquam sub genere ponit presbyteratum, diaconatum, subdiaconatum et reliquos; ergo hi omnes Ordines sunt sacramenta : species enim participant rationem generis, sicut album, quod est coloris species, rationem participat coloris. Eamdem sententiam praeter Billot (*Thes.* XXIX, § 2) hodie tuetur doctissimus Egger (*Ench. Theol. dog.* n. 644) eamque argumentis validissimis vindicat.

Res igitur in dubio relinquitur atque ulterius, quam par est, progrediuntur qui sententiam S. Thom. veluti antiquatam et improbabilem traducunt. Quare **concludimus** cum Bened. XIV (*de Syn.* l. 8, c. 9) : quod « *dubii pariter et nos haeremus, nec ullam in hac difficillima controversia sententiam ferimus.* » — Pro **praxi** addit Bouvier : quod ordinandus, qui cum mortali ad hos Ordines accedit, peccet mortaliter, ob periculum forte sacramentum vivorum indigne recipiendi.

Ceterum, etsi in pluribus Ordinibus, immo fortassis in omnibus, adsit ratio sacramenti, non ideo sequitur, plura esse sacramenta quam septem. Non enim sunt nisi sacramenta *partialia*, quae unum sacramentum Ordinis integrant. Sic unum tantum est sacramentum Extr. Unctionis, etiam juxta illos, qui putant, quod quinque unctiones habent singulae rationem sacramenti. Praeterea, ut docet S. Thom. (*Suppl.* q. 37, a. 1 ad 2 et 3), « *Divisio Ordinis..., est totius* potestativi : » unde sicut « *in regno quamvis tota potestatis plenitudo resideat penes regem, non tamen excluduntur ministrorum potestates, quae sunt participationes quaedam regiae potestatis;* » ita quoque « *tota plenitudo sacramenti hujus est in uno Ordine, scilicet sacerdotio, sed in aliis est quaedam participatio Ordinis.* » Vel dicas, Ordines *specifice* sumptos, esse plura sacramenta; *generice* vero, esse unum sacramentum, seu omnes comprehendi in uno genere, nempe, in sacramento Ordinis.

Q. 4. *Quandonam* SACRAMENTUM Ordinis *institutum* sit?
R. In ultima coena, quando Christus Apostolis dixit : « *Hoc facite in meam commemorationem.* »

Explanatur. Et quidem **1°**) tunc **sacerdotium** instituit : nam Apostolos suos tunc *presbyteros* constituit, dando eis mandatum et potestatem idem faciendi, quod ipse fecerat, i. e. idem offerendi sacrificium; utque haec potestas in Ecclesia perseveraret, eos simul *episcopos* fecit, seu potestatem dedit ordinandi alios. **Nec obstat,** quod Apostoli potestatem remittendi peccata non nisi post resurrectionem Christi acceperint. Haec enim potestas non est de essentia *sacerdotii,* quamvis cum eo jam sit conjuncta; adeoque Apostoli ipsi eorumque successores, etiamsi potestas illa nunquam iis fuisset concessa, nihilominus veri fuissent sacerdotes. — Praeterea **2°**) dicendum est, simul cum sacerdotio tunc Christum instituisse **diaconatum** et per potestatem *excellentiae*, quam habebat et quae signis non est alligata, istum etiam Ordinem contulisse Apostolis. Unde falsum est, Apostolos cum ordinarent septem primos diaconos, tunc instituisse Ordinem diaconatus. — Tandem **3°**) Theologi, qui dicunt **subdiaconatum** et **quatuor minores Ordines** esse vere sacramenta, dicunt etiam, illos simul cum sacerdotio institutos fuisse a Christo et ab ipso Apostolis simul cum sacerdotio collatos, per potestatem *excellentiae*, i. e. absque ritu externo soloque voluntatis imperio, effectum horum sacramentorum ipsis tribuendo; ideoque asserunt, materias et formas illorum Christum instituisse et Apostolos docuisse post resurrectionem suam; illas tamen materias et formas instituisse tantum *in genere*; at Ecclesiae potestatem reliquisse illas *in specie* et in particulari instituendi seu determinandi juxta dicta (tom. II, pag. 380 seqq.).

CAP. 3. De effectibus Sacramenti Ordinis.

Q. 5. *Quinam* sint EFFECTUS sacramenti Ordinis?
R. Sunt *tres* sequentes.

Explanatur. 1°) Gratia **sanctificans,** per se *secunda*, cum sit sacramentum vivorum, per accidens *prima* (t. II, p. 369 seq.); **2°**) **gratia sacramentalis,** i. e. gratiae habitualis specialis vigor

cum ordine et exigentia auxilii actualis suo tempore conferendi ad sancte exercenda officia unicuique Ordini propria; 3°) **character**, seu signaculum indelebile in anima impressum, per quod ordinati divino ministerio dedicantur et a ceteris fidelibus distinguuntur, sicuti officiarii principis et milites aliquo sensibili signo ab aliis hominibus secernuntur. — Et quidem singuli Ordines, posito quod sint sacramenta, probabilius conferunt diversum characterem, cum in singulis diversae tribuantur potestates.

Q. 6. *An* Ordinis CHARACTER sacramentalis *alium* characterem *praesupponat?*

R. *Affirmative.*

Explanatur. Et quidem 1°) *de necessitate* **sacramenti,** omnis Ordo praesupponit characterem Baptismi, ita ut sine ipso nullus sit. Similiter character episcopalis absolute supponit characterem presbyteratus, ut communiter docent DD.; alioquin ordinatus non esset verus episcopus. Praeterea 2°) *de necessitate* **praecepti,** omnis Ordo, imo et Tonsura, supponit seu exigit characterem Confirmationis, et characterem Ordinis inferioris, ita ut ordinati *per saltum*, ut aiunt, valide quidem ordinati sint, sed non licite.

Q. 7. *An* CHARACTER Ordinis maneat in *haereticis* aliisque ab Ecclesia *separatis?*

R. *Affirm.*; et ideo episcopi haeretici, schismatici, excommunicati, etsi non licite, valide tamen possunt alios ordinare: quia potestas ordinandi residet in charactere episcopali indelebili.

Resolvitur. Hinc, si Canones quandoque hujusmodi ordinationes **irritas** declararunt, id non fecerunt quoad *substantiam*, *potestatem* et *characterem*, quasi iterari deberent, modo juxta formam Ecclesiae factae fuissent; sed tantum quoad *honorem*, *locum*, *privilegia* et *functionem* ministerii, atque etiam quoad *gratiam* Spiritus Sancti, si ordinati ab illis scienter ordinati fuissent et eorum proinde peccatis communicassent. Quod si aliquando iis qui ab haereticis aut schismaticis ordinati fuerant, cum reverterentur ad Ecclesiam catholicam, adhibita fuerit manuum impositio, id de *reconciliatoria* impositione intelligendum est, qua restituerentur

in communionem Ecclesiae et sui Ordinis dignitatem et locum; non vero de *consecratoria*, qua iterum ordinarentur.

CAP. 4. De ministro ordinationis.

Q. 8. *Quis* sit *ordinarius* MINISTER *validae* ordinationis ?

R. Est omnis et solus episcopus *consecratus*. Constat ex CC. FLOR. (*decr. union.*) et TRID. (sess. 23, can. 7).

Resolvitur 1. Episcopus electus et confirmatus, sed nondum consecratus, non potest valide conferre Ordines, nisi ex delegatione Papae : quia ordinare est potestas Ordinis episcopalis, quam accipit per consecrationem; poterit tamen dare licentiam suis subditis, ut ab alieno consecrato ordinentur : quia hoc pertinet ad potestatem jurisdictionis, quam post confirmationem acquisivit. **Resol. 2.** Ordinat valide et quemcumque, etiam non sibi subditum, quicumque charactere episcopali insignitus est, etiamsi sedem episcopalem non habeat, vel sit haereticus, schismaticus, excommunicatus, degradatus, simoniacus, modo adhibeatur necessaria materia et forma cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. **Resol. 3.** Contra qui characterem episcopalem valide non receperunt, ordinationem ut ministri *ordinarii* aliis communicare non valent. Quare nullae habentur ordinationes *Lutheranorum* propter defectum tam characteris in ordinante, quam legitimae formae a Christo institutae. Sic pariter ordinationes *Anglicanae* certo invalidae sunt nedum propter defectum characteris in ordinante, sed maxime propter insufficientiam ritus novi et defectum intentionis. De qua invaliditate non licet amplius disputare ex quo LEO XIII Litt. Apost. « *Apostolicae curae* » (13 Sept. 1896) pronuntiavit declaravitque : « *Ordinationes ritu anglicano actas, irritas prorsus fuisse et esse, omninoque nullas.* » Unde quoque omnino iterandae sunt ordinationes in illis *Anglicanis*, qui post suam conversionem apud nos sacris initiari cupiunt.

Aliter tenendum est, tum de *Graecis schismaticis ;* tum de *Jansenistis* in Hollandia, quorum prima ordinatio, instigante ESPENIO, facta fuit a *Dominico Maria* VARLET, episcopo Babylionensi, vero

quidem, licet suspenso. Unde, hi omnes habent veri nominis episcopos, sacerdotes et alios ministros. (1) Idem dic de *Neo-catholicis* in Germania, Helvetia.

Q. 9. *Quisnam* esse possit *validae* ordinationis MINISTER *extraordinarius?*

R. *Certa* ab *incertis* sunt secernenda.

Explanatur. Simplex sacerdos, ex commissione Papae, CONFERRE POTEST : 1°) **Tonsuram** et **Ordines minores,** ut probatur tum ex factis; — tum ex consuetudine a R. P. approbata, qua id faciunt S. R. E. Presbyteri Cardinales, in titulis quisque suis; — tum ex ipso TRID. (sess. 23 *de ref.* c. 10) ubi agnoscitur privilegium illud competere abbatibus regularibus (cum mitra et annulo ab episcopo benedictis,) relative ad suos subditos religiosos. Utrum vero ordinatio alterius quam subditi religiosi, sit invalida, an solum illicita, inter DD. *disputatur.* Alii cum BENED. XIV (*de Syn.* lib. 2, c. XI, n. 13) ex variis responsis S. C. C. censent eam solum esse illicitam. Quidam tamen recentiores cum LUCIDI (*de Visit. SS. Lim.* cap. I. n. 31 seq.) et BIZZ. (*Coll.* pag. 139) censent eam hodie nedum illicitam sed etiam invalidam esse, nisi adsit aliqua specialis concessio ad casum particularem, idque evincunt ex aliis responsis post BENED. XIV editis. — 2°) Probabilius **Subdiaconatum,** cum et hoc saepius factum fuisse legatur. — 3°) Immo probabiliter **Diaconatum,** ex eo quod haec facultas de facto concessa fuerit abbatibus *Cistersiensium* ab INNOC. VIII, an. 1489, « *ne monachi hinc inde discurrere cogerentur.* » Testatur autem VASQUEZ, privilegium illud asservari in collegio Complutensium et a se fuisse perlectum. (2) Idem concessum fuisse superioribus *Fratrum minorum*, multi asserunt apud MORINUM et HENNO.

Sed CONFERRE NON POTEST : 1°) **Presbyteratum**, juxta communiorem sententiam; non pauci tamen contradicunt apud MORINUM; nec certo 2°) **Episcopatum.**

Neque dictis **obstat,** quod sacramenti Ordinis minister sit in-

(1) De origine et fastis *Jansenistarum* late scripsi in opere : *De Hermanni Damenii vita et meritis Oratio.* LOV. 1867. — (2) Cfr. PLANCHARD, *De l'ordination au Diaconat par privilège pontifical*, ap. REV. THEOL. FRANC. (II, 598 seqq.).

stitutionis divinae, qualis non est simplex sacerdos ex commissione Papae ordinans **Resp.** cum Giribaldi (*de Ord.* c. 3, n. 10) : «Christum D. instituisse episcopos ministros *ordinarios* Ordinationis, ita tamen ut reliquerit Ecclesiae ejusque Pastori Summo Pontifici potestatem delegandi hujusmodi facultatem simplici sacerdoti, qui licet non sit minister ordinarius, nec habeat hanc facultatem ex vi sui Ordinis, potest tamen illam recipere per communicationem a summo Pontifice, qui a Christo facultatem habet illam communicandi, ea ratione, qua minister *ordinarius* **Confirmationis** ex institutione Christi est solus Episcopus, et tamen simplex sacerdos potest esse delegatus » seu minister *extraordinarius*, ut dictum fuit (tom. II, pag. 498 seq.).

Unde quoque dato, abbatibus Cistersiensibus ab Innoc. VIII facultatem revera fuisse concessam ut Monachis sui Ordinis nedum Subdiaconatum sed etiam diaconatum conferre possint, rejectis aliorum interpretationibus, simpliciter respondemus cum eodem Giribaldi (*l. c.*) : « Cum igitur factum constet, non videtur de jure dubitandum, sed *absolute dicendum*, posse simplicem sacerdotem ex speciali commissione Summi Pontificis, Subdiaconatus et Diaconatus ordines conferre. » Et recta est conclusio : sicut ex eo quod RR. Pontifices dispensaverint in matrimonio rato non consummato, recte concluditur R R. Pontifices in eo posse dispensare, cum illorum facta jus ac potestatem faciendi demonstrant, juxta tritum S. Augustini effatum (Epist. 55 ad Jan. c. 19) : « *Ecclesia Dei,... quae sunt contra fidem vel bonam vitam* [mores], *non approbat, nec tacet, nec facit.* »

Q. 10. *Quis* sit ordinis minister *legitimus*, i. e. minister *licitae* ordinationis?

R. Est solus episcopus *proprius* ordinandi, i. e. ille cujus jurisdictioni quisque ordinandus subjicitur, quod quidem ex *quadruplici* ratione seu titulo contingere potest, ut mox dicetur; ita ut mortaliter peccet tam ordinans alienum subditum, quam faciens se ab alio ordinari, nisi adferat ex parte proprii episcopi vel *excardinationem* seu *exeat*, vel *litteras dimissorias*. — Cfr. circa *Excard.* Decret. S. C. C. (20 Jul. 1898). Ap. R. T. F. (III, 533 seqq.).

Explanatur. Discrimen inter haec *duo* sic assignat Gousset : « *Dans le cas d'une* EXCORPORATION *l'évêque qui ordonne* INCORPORE *le sujet à sa jurisdiction. Dans le cas d'un* DIMISSOIRE, *l'évêque n'ordonne que par délégation, et le sujet, qui reçoit les Ordres, demeure soumis à l'évêque qui l'a envoyé.* » Qui autem ordinat alienum subditum sine *dimissorialibus* episcopi sui, nisi forte collato ei prius beneficio sufficienti, ipso jure incurrit suspensionem per annum ab Ordinum administratione. Has litteras *dimissoriales*, vacante sede, concedere nequit vicarius capitularis, nisi post annum a die vacationis, praeterquam iis qui beneficii ecclesiastici recepti vel recipiendi occasione arctati seu necessitati fuerint (tom. II, pag. 315). Ceterum, habens litteras dimissorias a suo episcopo vel vicario generali, si episcopus forte absit longe diuque, iis uti potest, eo etiam mortuo, quia habentur instar gratiae *factae*, quae non exspirat morte concedentis (tom. I, pag. 179); et si uni nominatim episcopo datae fuerint in gratiam ordinandi, huic integrum est, eo praetermisso, alium adire (S. Lig. VI, 788).

Q. 11. *Quotuplex* sit EPISCOPUS *proprius* respectu ordinandi?

R. Est *quadruplex* : ORIGINIS, DOMICILII, BENEFICII et FAMILIARITATIS seu FAMULATUS. — Cfr. R. T. F. (II, 661 seqq.).

Explanatur. Itaque 1°) **Originis** episcopus est, in cujus dioecesi parentes ordinandi domicilium habebant tempore nativitatis filii. Ibi enim quis habet originem, ubi ipse est natus, non quidem *fortuito*, v. g. itineris vel negotiorum causa, sed *per se*, i. e. ubi parentes fixum tempore nativitatis habebant domicilium. Natus tamen ex parentibus *infidelium* ratione baptismi fit subditus episcopi, ubi baptizatur : cum enim talis nequidem ratione patris sit alicui episcopo subjectus, sortitur primum locum originis respectu ecclesiae ubi regeneratur. (Pauli III Const. *Cupientes*, 31 Mart. 1542). Idemque videtur dicendum de haereticis qui rebaptizantur sub conditione (Gasp. p. 807). *Illegitimus* autem sequitur matrem in ratione originis aut domicilii : quia mater solet esse notior; quod si pater et mater ignorentur, potest ordinari in loco ubi est inventus. — 2°) **Domicilii** episcopus est ille, in cujus dioecesi ordinandus domicilium fixit, animo perpetuo ibi manendi.

Unde quoad praesens non sufficit *quasi domicilium*, quo quis per majorem anni partem vel etiam plures annos in aliquo loco manere intendit, ut v. g. servi, studiosi et similes, prout decrevit Innoc. XII, in Bul. « *Speculatores* » (4 Nov. 1694) Quod si quis habeat duo aequaliter domicilia in diversis dioecesibus, v. g. in hyeme degit in una, in aestate in altera, est subditus utriusque episcopi. — 3°) **Beneficii** episcopus is est, in cujus dioecesi ordinandus beneficium, licet non residentiale, pacifice possidet, quod, detractis oneribus, sufficiens sit ad honestam vitae sustentationem. Hinc pro accipienda prima tonsura per hoc non fit aliquis subditus, quod statim post illam sit accepturus beneficium, ad quod jam est praesentatus. — 4°) **Familiaritatis** episcopus est ille, in cujus famulatu est cujus expensis vivit ordinandus, saltem a triennio, etsi non continuo, dummodo non diu fuerit interruptum. Quod tamen ex Trid. (Sess. XIV *de ref.* c. 2) non intelligitur de episcopo *titulari* seu *in partibus*. Praeterea requiritur, ut episcopus ordinans suum familiarem, statim ei conferat beneficium sive in sua sive in aliena dioecesi, si is aliud beneficium aut sacrum patrimonium non habet (Trid. Sess. XXIII *de ref.* c. 9); ubi per *statim* communiter intelligitur : intra mensem a die factae ordinationis. — Porro a quolibet episcopo cui quis subest ratione sive *originis*, sive *domicilii*, sive *beneficii*, sive *familiaritatis*, Ordines suscipere potest; quin etiam, modo fraus absit, Ordo unus ab uno episcopo et alius ab alio recte suscipitur (S. C. C. 27 Febr. 1666). Ast, ut episcopus subditum *proprium*, qui alibi tanto tempore moratus est, « *ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit*, » i. e. juxta regulas ab auctoribus traditas, et a S. C. Inq. confirmatas (18 April. 1888 et 11 Maii 1892) ap. N. R. T. (XXVI, 317 seq.), si ibi post septennium completum *per sex menses* in aliena dioecesi moratus fuerit, ordinare queat, requiruntur, et quidem, ex Const. « *Apostolicae Sedis*, » sub poena suspensionis per annum ab Ordinum administratione, Ordinarii ejus loci litterae **testimoniales** de vita et moribus ordinandi deque absentia cujuslibet canonici impedimenti. Hinc, ut constat ex S. C. C. (11 Jul. 1840) clerici qui in aliquo Seminario studiis incubuerunt, ab episcopo quidem proprio ordinandi sunt, sed ad eum adferre debent testimoniales ab episcopi loci in quo situm est seminarium. Nec sufficere litteras moderatoris Seminarii respondit S. C. C. (14 Jul. 1894) ap.

N. R. T. (XXVII, 117 seq.). — Imo, constat ex S. C. C. (9 Sept. 1893) et praesertim decisione data (26 Jan. 1895), « *pro clericis ordinandis jam* **militiae** *addictis, sub poena a Const.* Apostolicae Sedis *comminata requiri litteras testimoniales Ordinarii in cujus dioecesi* **per trimestre** *commorati fuerint; et quatenus Ordinarii litterae plenum testimonium non reddant, Episcopus, obtenta ad hoc facultate ab Apostolica Sede, provideat per* juramentum supplecorium. » Ap. N. R. T. (XXVII, 364). Praterea ex Innoc XII (*l.c.*) testimoniales super *natalibus* et *aetate* semper petendae sunt ab episcopo domicilii vel originis, sive diu, sive brevi in ejus dioecesi manserit ordinandus.

Et haec quidem omnia locum habent in **piis Congreg.**, in quibus vota simplicia dumtaxat emittuntur (S. C. EE. et RR. 6 Maii 1864 et 12 Febr. 1894), nisi speciale privilegium a S. Sede obtinuerint. — **Regularium** vero *proprius* episcopus est ille, in cujus dioecesi situm est monasterium quod inhabitant. Si tamen episcopus dioecesanus sit absens vel ordinationem non sit habiturus, Regulares possunt quemlibet alium episcopum adire, dummodo Praelatus Regularis ex industria Ordinationem in id temporis non distulerit, ut habetur in decreto S. C. C. (15 Mart. 1596) jussu Clem. VIII edito. Apud Bened. XIV, Const. « *Impositi Nobis* » (27 Febr. 1747). Dimissoriis autem Regularis Superioris juncta esse debet authentica attestatio vicarii generalis, vel cancellarii aut secretarii ejusdem episcopi dioecesani, ex qua constet, vel ipum a dioecesi abesse, vel clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto. Excipiuntur Regulares qui post Conc. Trid. speciale privilegium *directe* obtinuerunt suscipiendi Ordines a quolibet catholico antistite, ut alumnis Societatis Jesu concessit Greg. XIII (22 Sept. 1582). — A quo autem episcopo ordinandi sint **Novitii regularium**, utrum ab episcopo originis vel ab episcopo illius loci ubi tyrocinium exercent, non satis liquet. De quo vide S. Lig. (VI, 765). Verum hodie durante triennio post tyrocinium ante professionem solemnem, non licet eis concedere dimissorias, nisi ad Tonsuram et minores Ordines tantum (S. C. *Super statu regular.* (12 Jun. 1858). De litteris *dimissorialibus* et *testimonialibus* quoad *Regulares* et *Inst. vot. simp.* tractat N. R. T. (XXIII, pag. 215 seqq.). et R. T. F. (II, 667 seqq.).

CAP. 5. De subjecto validae ac licitae ordinationis.

Q. 12. *Quodnam* sit SUBJECTUM *validae* ordinationis?

R. Est solus *mas*, *baptizatus* et, si sit *adultus* rationis compos, *intentionem* habens Ordinem recipiendi.

Resolvitur 1. Hinc ipso JURE DIVINO *incapaces* sunt Ordinis cujuslibet : **Foeminae,** ut ostendunt : tum Scriptura, dicente PAULO (I COR. XIV, 35) : « *Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia ;* » tum perpetua praxis Ecclesiae; tum sententia SS. PP., qui partim in *Collyridianos*, partim in *Montanistas*, ad altaris munia foeminas intrudere praesumentes (de quibus egi in opere : PRINCIPIA ET ERRORES), acriter invecti sunt ; tum unanimis doctrina TT., quibus praeest S. THOM. (*Suppl.* q. 39, a. 1). — Unde **episcopae** et **presbyterae,** de quibus fit mentio in antiquis canonibus, sic dictae sunt, non ab illo Ordine sacro vel ministerio, sed a viris suis qui ad episcopatum, vel presbyteratum fuerant promoti. Quibus mulieribus perpetuae continentiae lex praecipiebatur, antequam earum mariti sacris Ordinibus initiarentur, a quibus veluti sorores habebantur. **Diaconissae** vero, quorum memoratur usque ad saeculum X, i. e. fere usque ad tempus, quo consuetudo baptizandi per immersionem est antiquata, ordinationem non suscipiebant, earumque initiatio, etiam cum manuum impositione facta, non erat sacramentalis, sed mera caeremonia, qualis est **abbatissarum** benedictio. Ideo autem *diaconissarum* ministerium ab Ecclesia fuit institutum, ut ea officia praestarent mulieribus, quae diaconi praestabant viris, maxime in immersione baptismi, ut consuleretur muliebris sexus honestati ; praeterea portas Ecclesiae mulieribus, quae erant a viris separatae, aperiebant; ipsas rudimenta fidei docebant, mulierum pauperum curam habebant cum diaconis ; at altaris sacrificio non ministrabant, vasa sacra non tractabant, non praedicabant, non baptizabant. **Nec obstat** historia de **Joanna papissa,** quae perhibetur sexum occultasse et Sedem Apostolicam ultra duos annos occupasse sub nomine JOANNIS VIII, circa an. 855. Nam hoc factum, a quodam scriptore saeculi XI primo narratum, jam ab omnibus, etiam a protestantibus, inter quos BLONDEL., LEIBN., BOXH., CAVEUS, ut mera fabula habetur. Dein, etiam in

supposito quod sit verum, inde minime sequeretur, mulieres ordinationis esse capaces. **Resol. 2.** *Incapaces* sunt : **non baptizati,** cum baptismus sit janua omnium sacramentorum. **Resol. 3** *Incapaces* sunt : *Adulti* rationis compotes, **si careant intentione** saltem habituali, i. e. habita et non revocata (tom. II, pag. 418 seqq.), cum nescio non sit gravis imponenda obligatio quando potest audiri, neque gratia sit tribuenda non petenti quando eam petere potest. *Infantes* autem ante usum rationis et perpetuo amentes, etsi illicite, valide tamen Ordines suscipiunt. S. Thomas (*Suppl.* q. 39, a. 2) videtur excipere episcopatum : quia, cum episcopatus accipiat potestatem in corpus Christi mysticum, requiritur actus suscipientis curam animarum pastoralem. « *Verum*, ait Bill., *duo distinguenda sunt in episcopatu : scilicet extensio characteris seu potestas, et cura pastoralis animarum atque Ecclesiae quacum init matrimonium spirituale. Ad hoc secundum requiritur consensus, non ad primum. Et hoc sensu intelligendum esse* S. Thomam *docent nobiles ejus interpretes* Paludanus, D. Soto, Gonet, etc. » Quidquid sit, praedicti infantes sic ordinati non tenentur servare onera et obligationes Ordini suo annexas, nisi postea rationis compotes consentiant, aut haec munia obire velint; aliis verbis : nisi *expresse* vel *tacite* ordinationem suam ratam habeant.

Q. 13. *Quid* dicendum de ordinatione *hermaphroditorum?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Juxta *veteres* DD., hermaphroditus seu androgynus, si in ipso *praevaleat sexus* **masculinus,** *valide* ordinatur; secus, si *praevaleat* **foemineus.** Quod si *uterque* sexus **aequaliter** dominetur, juxta alios res evadit *dubia;* juxta alios vero ordinatio est *invalida;* quamdiu enim sexus virilis non praevalet, non est absolute vir. *Certo* nullus horum *licite* ordinatur : quia ob indecentiam est irregularis. Addunt praeterea : quod si in hermaphrodito ordinato, v. g. sacerdote, postea praevaleret sexus foemineus, maneret quidem character sacerdotalis, quia indelebilis; valide autem consecrare non posset : quia ob sexum mutatum desinit esse minister proprius capax Ordinis exercitii, sicut dum sacerdos desinit esse homo viator. — Verum in haec liceat cum D'Annib.

sequentia **adnotare** : **1°**) HERMAPHRODITOS *perfectae utriusque naturae* aliquando exstitisse, nullo exemplo comprobatur. **2°**) Marem foeminam factum, nullum adhuc scimus. **3°**) Foeminae in mares si quas mutatas accipimus, mares erant, quibus sexus, qui in utero matris ob defectum caloris prodire nequivit, serius erupit.

Q. 14. *Quodnam* sit SUBJECTUM *licitae* ordinationis?

R. Est subjectum capax, habens praeterea omnia requisita ad licitam susceptionem Ordinis, quae commode in *tres* veluti classes dividi possunt.

Explanatur. 1°) Alia quasi **ab intrinseco** postulantur animamque ordinandi intimius afficiunt, et sunt : *divina vocatio, status gratiae* et *animus clericandi*. **2°**) Alia veluti **ab extrinseco** requiruntur, et sunt : *confirmatio, exercitium Ordinis suscepti, legitima aetas, scientia, titulus, immunitas a censura et irregularitate*, et *exercitia spiritualia*. **3°**) Alia demum potius ipsius *ordinationis* **modum** spectant, ut *interstitia, tempus, ordinatio per gradus, locus, legitimus episcopus*.

Q. 15. *Quid* dicendum de *requisitis* ex parte : 1°) DIVINAE VOCATIONIS; 2°) STATUS GRATIAE; 3°) ANIMI CLERICANDI?

R. Ad 1^{um}) *Divinam vocationem*, quae ad quemlibet vitae statum est necessaria (tom. II, pag. 265 seq.), maxime ad clericatum requiri, praeter ordinis sublimitatem, muneris sanctitatem et oneris gravitatem, aperte docet S. Scriptura.

Explanatur. Sic dicit Paulus (HEBR. V, 4) : « *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* » Similiter Apostoli, ut in locum *Judae* alium subrogarent, ita Deum deprecati sunt (ACT. I, 24) : « *Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum.* » Imo ipse Christus Apostolis dixit (JOAN. XV, 16) : « *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* »

Hujus autem divinae vocationis **signa** sunt praecipue *tria* : **1°**) Singularis quaedam ad hunc statum **propensio,** quae si dulcis, constans ac fortis sit, nonnisi a Deo provenire potest. — **2°**) **Probitas vitae.** Unde TRID. (Sess. XXIII, *de ref.* cap. 12) ait : « *Sciant... episcopi,... debere ad hos Ordines assumi... dignos*

dumtaxat, et quorum probata vita senectus sit.» — **Hinc,** ex eodem Trid. (*ibid.* cap. 5) *saecularium*, qui ad majores Ordines assumendi sunt, nomina publice in ecclesia proponi debent, ut de illis haberi possint testimonia circa natalia, aetatem, mores et vitam. Dixi : *saecularium ;* quia ab his proclamationibus eximuntur non Regulares tantum, sed Religiosi etiam votorum simplicium, cum his satis provisum sit tum informationibus ante habitus susceptionem faciendis ex decreto S. C. *super statu Regul.* (25 Jan. 1848), tum superiorum vigilantia. — Et haec quidem inquisitio seu examen de Ordinandorum qualitatibus, ne promoveatur indignus seu impedimento canonico laborans, vocatur scrutinium (1). — **Hinc** quoque, *per se* loquendo, absolvi non posset juvenis in peccato carnis habituatus, si, nondum a tali vitio curatus, ascendere vellet ad sacros Ordines (tom. II, pag. 411). — 3°) **Recta intentio,** juxta illud (Hebr. V, 1) : « *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum.* » Quare mortaliter peccat, qui *principaliter* Ordines susciperet ob fines humanos, quasi sine curis victurus cum ad curas pervenerit.

Principaliora autem **media** ad cognoscendum, utrum vocationis spiritus a Deo sit, *tria* quoque sunt : — 1°) **Oratio,** juxta illud (Luc. XI, 10) : « *Qui petit, accipit ; et qui quaerit, invenit, et pulsanti aperietur ;* — 2° **Consilii petitio** a prudentibus et maxime a propriae conscientiae moderatoribus ; — 3°) **Seria consideratio** obligationum status clericalis et firma voluntas iisdem satisfaciendi. Cfr. N. R. T. (VIII, 78 seq. et 202 seqq.).

R. Ad 2um) *Status gratiae* requiritur : tum pro susceptione Ordinum qui certo sunt sacramenta ; tum etiam pro reliquis de quibus utrum sint sacramenta dubitatur, ob periculum forte

(1) Hoc *triplex* in jure distinguitur : scrutinium *parochi*, de quo modo diximus, quod faciendum est intra mensem a parocho vel alio ab episcopo constituto ; scrutinium *episcopi*, paucis diebus ante ordinationem instituendum ab ipso episcopo, adhibitis quibusdam e clero gravioribus viris circa supradictas ordinandi conditiones et insuper circa fidem ejus et doctrinam ; tandem scrutinium *archidiaconi*, quod fit in ipso Ordinationis actu pro diaconatu et presbyteratu tantum, dum respondet archidiaconus episcopo roganti « *scis illos dignos esse ?* » Qui ritus hodie mere caeremonialis esse videtur. Cfr. Deshayes (*Memento juris eccles.* n. 1061) ; — Bened. XIV (*de Syn.* V, III).

sacramentum vivorum indigne suscipiendi. Praeterea in hanc rem sic loquitur S. THOM. (*Suppl.* q. 36, a. 1) : « *Cum in quolibet ordine aliquis constituatur* DUX *aliis, in rebus divinis, quasi praesumptuosus* MORTALITER *peccat, qui cum conscientia peccati mortalis ad Ordines accedit; et ideo* SANCTITAS *vitae requiritur ad Ordinem de necessitate praecepti.* » Cfr. BENED. XIV, *de Syn.* (lib. VIII, c. 9, n. 1).

Resolvitur. Qui vero sacramentum Ordinis susciperet in mortali, reciperet quidem characterem, non vero gratiam : nec quatenus est donum Dei sanctificans animam; nec quatenus importat auxilia necessaria ad munia ecclesiastica rite obeunda; ista tamen reviviscerent, si postmodum restitueretur in gratia, cum in ordinatione, quamvis fuerit in lethali, reciperet quoddam jus ad hujusmodi auxilia suo tempore et positis debitis dispositionibus habenda. Cur autem non reciperet gratiam, reciperet vero characterem, ratio est : quod peccatum mortale sit obex gratiae et cum illa stare non possit; hanc autem repugnantiam non habet character cum peccato, utpote non ordinatus ad sanctificandam animam.

R. Ad 3^{um}) *Animum clericandi* expresse requirit TRID. (Sess. XXIII, *de ref.* cap. 4), ubi loquitur de *Tonsura;* quod valet a fortiori de *Ordinibus*. Nec immerito quidem : nam, cum status clericalis sit fixus et stabilis, ex se habet, ut qui eum suscipit, teneat permanenter.

Resolvitur 1. Hinc qui Tonsuram susciperet animo effugiendi forum laicale et postea redeundi ad saeculum, probabilius non excusaretur a mortali : tum quia sic agere fraudem appelat TRID. (*ibid.*); tum quia revera iste graviter defraudat Ecclesiam, abutendo suis ministeriis ad fines temporales. **Resol. 2.** Hinc quoque, si clericus uxorem duceret, peccaret saltem leviter, nisi ob justam causam id faceret, v. g. ad sedandas inimicitias aut tentationes carnis; ad subveniendum foeminae pauperi, etc. Quinimo, timendum est, ne in malo statu exsistat ille, qui certus de sua vocatione ad statum ecclesiasticum, ab ea recederet, ut saeculo fruatur.

Resol. 3. Non autem tenetur ordinatus ullo praecepto habere animum *ascendendi ad Ordinem superiorem*, nisi hanc obligationem habeat ratione beneficii, quod Ordinem illum requirit.

Q. 16. *Quid* dicendum de *requisitis* ex parte : 1°) CONFIRMATIONIS ; 2°) EXERCITII ORDINIS SUSCEPTI ; 3°) AETATIS ; 4°) SCIENTIAE ; 5°) TITULI ; 6°) IMMUNITATIS *a censura et irregularitate ;* 7°) EXERCITIORUM SPIRITUALIUM?

R. Ad 1^{um}) *Confirmationem* requiri, constat ex TRID. (Sess. XXIII, *de ref.* cap. 4), ubi loquens de *Tonsura*, quae Ordinibus praemittenda est, ait : « *Prima Tonsura non initientur, qui sacramentum Confirmationis non susceperint.* »

Explanatur. An **Confirmatio** requiratur *sub gravi*, an tantum *sub levi*, DD. *disputant.* Hoc *posterius* communissime affirmant, ducti exemplo Apostolorum, qui nonnisi in Pentecoste fuerunt confirmati, ut passim docent PP. — Quoniam tamen ex pluribus decretis S. C. C. et notanter ex declaratione (27 Sept. 1601) constat ordinatos nondum confirmatos haberi tanquam male promotos, invalide beneficio provisos atque inhabiles ad superiores Ordines absque praevia Sedis Apostolicae dispensatione, difficulter admodum hujusmodi poenae graves concipiuntur cum culpa tantum *levi*. Quidquid sit, nullus hodie admittitur ante Confirmationem.

R. Ad 2^{um}) Quod *exercitium suscepti Ordinis* attinet, hoc de solo Ordine aliquo *majori* est intelligendum, quem ordinatus exercuisse debet, magis ex consilio et usu, quam ex rigoroso praecepto, priusquam ad Ordinem superiorem admittatur.

R. Ad 3^{um}) *Varia* est aetas requisita pro *variis* gradibus.

Explanatur. TRID. (Sess. 23 *de ref.* c. 4-11-12) exigit : pro **Tonsura** aetatem illam, qua tonsurandus sit confirmatus et sciat rudimenta fidei necnon legere et scribere ; pro **Ordinibus minoribus** illam, qua ordinandi saltem linguam latinam intelligant ; pro **Subdiaconatu** exigit annum 22 ; pro **Diaconatu** annum 23, et pro **Presbyteratu** annum 25 ; et sufficit, ut sint inchoati, ut

constat ex variis decretis S. C. C. — Pro **Episcopatu** requiritur annus 30 completus. Ita ex Cap. « *Cum in cunctis* » de Elect. — Dispensare autem super aetate, jure ordinario reservatur R. P., qui nonnisi pro sacerdotio id indulgere solet, justa accedente causa.

R. Ad 4^{um}) Quod *scientiam* spectat, *generatim* loquendo ea talis requiritur, quae necessaria sit obeundis officiis Ordini annexis.

Explanatur. Loquendo *in specie*, ex Trid. (Sess. XXIII *de ref.*, cap. 4) pro **Tonsurandis** requiritur : « *Ut edocti fuerint rudimenta fidei et sciant legere et scribere;* » pro **Minoristis** vero : « *Ut linguam latinam intelligant* » (*ibid.* cap. 11); pro ordinandis ad **Subdiaconatum** et **Diaconatum** : « *Ut sint litteris et in iis quae ad Ordinem exercendum pertineant, instructi* » (*ibid.* cap. 13); pro **Sacerdotio** : « *Ut ipsi ad populum docendum ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda sacramenta, diligenti examine praecedente, idonei comprobentur* » (*ibid.* cap. 14). Interim notat S. Lig. (VI, 792) : « Quod, esto episcopus licite possit petentes ordinare, si eam afferant scientiam, quam Trid. requirit; per hoc tamen non ideo prohibeatur, quominus majorem exigat scientiam a suis *subditis* (nam pro alienis aliter sentiendum); maxime si illi ordinentur ad ecclesiam alicujus amplae civitatis : quia Concilium in iis, quae circa scientiam praescripsit, tantum voluit modum ponere episcopis, ne promoverent aliquem scientia praescripta carentem, non vero prohibuit, quin Episcopi majorem scientiam requirant, nisi necessitas loci aliud omnino postulet. » Tandem pro **Episcopo** requiritur : quod « *scientia hujusmodi polleat, ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere; ideoque antea in universitate studiorum* magister *sive* doctor, *aut* licentiatus *in S. Theologia vel jure canonico merito sit promotus, aut publico alicujus academiae testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si* regularis *fuerit, a superioribus suae religionis similem fidem habeat* » (Sess. XXII *de ref.*, cap. 2). Praeterea pro illis qui infra fines Italiae et insularum adjacentium ad Episcopatum sunt promovendi, Clemens VIII specialem Congregationem instituit, *Examinis Episcoporum* nuncupatam, de qua egi in opere : Synopsis S. R. C. Cardinalium Congregationum, pag. 78.

Scholion. Ordinandorum **examen** quoad scientiam ceterasque dotes in iis requisitis ex Trid. (sess. 23 *de ref.* c. 7) ad episcopum pertinet, etiam respectu *Regularium* (1) «et de hoc non est amplius dubitandum post Bullam Bened. XIV « *Impositi nobis* » (27 Febr. 1747), qua statutum fuit Regulares examinandos esse ab episcopo ordinante. » Ita S. Lig. (VI, 792). Itaque omnes initiandos episcopus tenetur per se vel per alios examinare « *sibi adscitis ad id peritis et idoneis viris*, » ut loquitur Trid. (*l. c.*), « nisi aliunde sit certus de ipsorum idoneitate per propriam notitiam vel per communem opinionem, » ut habet S. Lig. (*ibid.*). Praeterea ex communi sententia, cui suffragatur S. Thom. (Suppl.q.36,a.2,ad 1.), observat S. Lig. (VI, 791) : minorem scientiam requiri in Regularibus, qui vitae *contemplativae* sunt addicti, ut Camalducenses, Carthusiani et similes, quam in Religiosis aliorum Ordinum qui sunt ad vitam *activam* instituti.— Interim **hodie**, et quidem ubique locorum observandum est decretum S. C. *EE.* et *RR.* «*Auctis admodum* » (4 Nov. 1892) ap. N. R. T. (XXV, 29 seqq.), in quo statuitur ut : « *Professi tum votorum solemnium, tum simplicium, ab Ordinariis locorum ad SS. Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a Jure statuta testimoniales litteras exhibeant quod, saltem* per annum, *S. Theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu, ad minus* per biennium, *si de diaconatu, et quoad presbyteratum, saltem* per triennium, *praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo.* ».

R. Ad 5^{um}) Nomine tituli, qui pro *Sacris* Ordinibus suscipiendis requiritur, intelligitur jus percipiendi necessaria pro honesta clerici sustentatione juxta taxam Ordinarii vel mores.

Explanatur. Ideo **inductus** fuit ; tum ne clerici defectu sustentationis mendicare cogantur vel quid sordidum exercere (Trid. sess. 21 *de ref.* c. 2) ; tum ut liberius spiritualibus vacent, quin temporalium sollicitudine distrahantur. — Et quidem pro **clero saeculari** requiritur : — vel titulus *beneficii* seu *pensionis ;* — vel *patrimonii ;* — vel *servitii ecclesiae ;* — vel *missionis* in parti-

(1) Excipiuntur clerici Soc. Jesu, qui speciali et incommunicabili privilegio exempti sunt (Schmalzgr. et Pichler lib. I, tit. 12.

bus infidelium. — Pro **regularibus** valet titulus *paupertatis* seu professionis religiosae, vi cujus ex communibus monasterii bonis vel eleemosynis sustentandi sunt; ast valet pro iis tantum qui sunt vere religiosi adeoque vota solemnia sunt professi; non vero pro novitiis, uti constat ex S. C. *super statu Regul.* (20 Jan. 1860); neque pro professis votorum simplicium, exceptis religiosis *Soc. Jesu*, qui post vota simplicia ordinari possunt ex concessione Greg. XIV Const « *Ecclesiae catholicae* » (28 Jun. 1591) et si ex Societate dimittantur, haec non tenetur ad subministrationem congruae sustentationis, prout declaravit Bened. XIII apud S. Lig. (VI, 814). Unde clerici Congregationum vota simplicia habentium titulo *paupertatis* ordinari nequeant; bene vero titulo *communis mensae* vel *missionis*, si ad congregationem pertinent, quae ad id speciali privilegio gaudet, et dummodo servetur Decr. S. C. *EE.* et *RR.* « *Auctis admodum* » (4 Nov. 1892) in quo circa Instituta votorum simplicium statuitur : « *Ut horum Institutorum Superiores non possint in posterum litteras dimissoriales concedere pro SS. Ordinibus vel quomodocumque ad Sacros Ordines alumnos promovere titulo* Mensae communis *vel* Missionis, *nisi illis tantum alumnis qui vota quidem simplicia, sed perpetua jam emiserint, et proprio Instituto stabiliter aggregati fuerint; vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea Instituta quae ultra triennium perpetuam differunt professionem.* »

Resolvitur. Itaque plures dantur **tituli** ordinationis, de quibus tractat *Instr.* S. C. de P. F. (27 April. 1871), ubi simul refertur Formula *juramenti ab iis praestandi, qui titulo* Missionis *ordinantur.* Ap. N. R. T. (IX, 458 seqq.). — Et quidem **1°**) titulus **beneficialis**, qui praecipuus est, est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae proper officium aliquod spirituale ecclesiastica auctoritate constitutum. Ad titulum *beneficialem* reducitur titulus **pensionis** quae non modo ad congruam clerici alimoniam sufficere, sed et perpetua esse debet. — **2°**) Titulus **patrimonialis** obtinet, cum ordinandus talibus bonis certis, stabilibus ac frugiferis, aliunde quam ab Ecclesia provenientibus, est instructus, quae ad congruam ejus sustentationem sufficere episcopi judicio censeantur. Interim *patrimonium* debet esse in re immobili frugifera vel quae immobilis instar habetur, ut in censibus consignati-

vis eoque magis in reservativis (tom. II, pag. 255); aut ex reditibus emptis ex versuris publicis (S. C. C. 29 Jun. 1704). Praeterea, clerico ad subdiaconatum promoto, nihil quoad *patrimonium* innovari potest absque licentia episcopi, adeoque : nec **A**) *renuntiari*, etsi, juxta veriorem sententiam, ordinatus sibi alias comparaverit unde vivere possit, ut si beneficium ecclesiasticum sufficiens fuerit adeptus (S. C. C. 4 Febr. 1652): nec **B**) bona ejus *alienari* possunt (S. C. C. 6 Mart. 1638); nec **C**) *pignori obligari* (S. C. C. 15 Mart. 1642); nec **D**) *permutari* (S. C. C. 20 Jul. 1629). — 3°) Titulus **paupertatis** a S. Pio V Const. « *Romanus Pontifex* » (Prid. id. Oct. 1568) fuit institutus et in religiosa professione est positus. Praeter hos titulos, alii passim admittuntur ex privilegio pontificio, scilicet : — 4°) titulus **mensae communis**, qui concedi solet clericis Congregationum simplicia vota habentium. — 5°) titulus **servitii ecclesiae**, qui quandoque conceditur iis qui cum beneficio ecclesiastico vel pensione careant aut patrimonialia non possideant, ea lege ordinantur, ut alicui ecclesiae sint mancipati ex cujus servitio et eleemosynis a fidelibus elargiendis sustentari possint, et ab eadem ecclesia nullo unquam tempore amoveri vel ipsi recedere queant, nisi aliter eis provisum fuerit; — 6°) titulus **missionis** iis, qui apostolicis missionibus se devovent, concedi solitus, eo pacto, ut prius juramentum emittant, quo spondeant missioni, cui destinati sunt vel destinabuntur, se fore perpetuam operam daturos. Verum pro Anglia et S. F. Americae S. C. de P. F. declaravit (18 Aug. et 30 Nov. 1885) juramentum istud jam non obligare pro aliqua dioecesi tantum, sed pro tota provincia ecclesiastica, ita ut presbyteri sic ordinati sola collatione novi tituli transferri in aliam dioecesim possint de consensu utriusque Ordinarii, quin necessarium sit ut ipsi novum juramentum emittant.

Nota. Scribit quidem Gousset (II, 669) : « *Vu le triste état où se trouve l'Eglise en France, les évêques n'exigent de titre clérical que d'un certain nombre d'ordinants. Le droit pour ce qui regarde le* TITRE DE BÉNÉFICE, *à peu d'application parmi nous; si on n'ordonnait que ceux des élèves qui peuvent se procurer un* TITRE PATRIMONIAL, *il faudrait laisser le plus grand nombre des paroisses sans prêtres et sans culte. Mais un évêque, pour ne pas s'écarter de l'esprit de l'Eglise, n'admet aux ordres sacrés que les sujets néces-*

saires ou utiles à son diocèse; il ne doit pas en ordonner d'autres, à moins qu'ils n'aient un TITRE PATRIMONIAL, *ou le* TITRE DE PAUVRETÉ RELIGIEUSE. » — **Verum,** ubi, ob temporum circumstantias, lex de canonico titulo in suo rigore servari nequit, episcopi ad dispensationem S. Sedis recurrant (1) vel, certis cautionibus, quantum fieri potest, cum consensu R. Pontificis, congruae clericorum sustentationi provideant. Solus enim R. Pontifex in hac re dispensare valet. Praeterea amisso vel imminuto fortasse titulo, necessario debet, etiam per episcopi auctoritatem, alius de novo subrogari. Cfr. *Instr. cit.* S. C. de P. F. (27 April. 1871).

R. Ad 6^{um}) Per *immunitatem a censura et irregularitate* intelligitur immunitas tum ab excommunicatione et interdicto, tum ab omni impedimento canonico, quod ab Ordinum susceptione aut eorumdem exsecutione ordinandos prohiberet. De quibus postea in tractatu speciali.

R. Ad 7^{um}) *Exercitia spiritualia* singulis Ordinibus sunt praemittenda: et quidem, ubi agitur de *majoribus* Ordinibus suscipiendis, per decem dies sunt continuanda, ut, teste BENED. XIV (*Instit.* CIV, 5), ab ALEX VII (7 Aug. 1662), dein ab INNOC. XI (9 Oct. 1682) et a CLEM. XI (1 Febr. 1710) pro Italia et insulis adjacentibus praescriptum est. Quod pro episcopatibus suburbicariis innovavit PIUS IX sub poena suspensionis in Const. « *Apost. Sedis.* »

Q. 17. *Quid* dicendum de *requisitis* ex parte : 1°) INTERSTITIORUM ; 2°) TEMPORIS ; 3°) ORDINATIONIS PER GRADUS ; 4°) LOCI ; 5°) LEGITIMI EPISCOPI?

(1) Ita in archid. Mechl. vi indulti S. C. C. (26 Mart. 1898), E. Card. Arch. (26 April. 1898) statuit sequentia : « 1° Titulo patrimoniali ad sacros ordines promovebuntur clerici qui ex bonis stabilibus et frugiferis reditum annuum 600 fr. habent. — 2° Qui saltem medietatem seu 300 fr. reditum possident, eodem titulo promovebuntur cum dispensatione super altera medietate. Summam tamen 100 fr. semel solvent. — 3° Qui autem nec medietatem hanc possident, ex dispensatione ordinabuntur absque titulo et solvent semel summam 200 fr. — Ex pecuniis supra dictis conflabitur *Aerarium Cleri* ex quo, casu dato, haurietur ad subveniendum necessitatibus clericorum indigentium.»

R. Ad 1um) *Interstitia* sunt temporis intervalla, quae inter unum et alium Ordinem sunt observanda.

Explanatur. Et 1°) quidem interstitia non sunt praescripta inter Tonsuram et Ordines minores. Unde ex consuetudine Tonsura simul cum Ordinibus minoribus eidem personae conferuntur. — 2°) Ex Trid. (Sess. XXIII *de ref.* cap. 11) inter minores Ordines aliquod spatium praescribitur, «*nisi aliud episcopo expedire magis videatur.*» Episcopis autem hodiedum magis expedire videtur eos simul eadem die conferre. — 3°) Inter Ordines minores et Subdiaconatum requiritur (*ibid.*) spatium unius anni, «*nisi necessitas aut Ecclesiae utilitas, judicio episcopi, aliud exposcat.*» — 4°) Similiter inter Subdiaconatum et Diaconatum spatium unius anni requiritur (cap. 13), «*nisi aliud episcopo videatur;*» unde hic ad dispensandum quaevis rationabilis causa sufficit. Prohibet tamen Trid. (*ibid.*) ne, «*duo sacri ordines eodem die, etiam Regularibus, conferantur.*» Imo, ex S. C. C. (7 Maii 1707 et 21 Febr. 1728) ap Bened. XIV (*Inst.* 106) non licet eodem die ordines minores simul cum subdiaconatu conferre, nisi tamen fortasse legitima habeatur consuetudo contraria (Schmalz. lib. 1 Decr. XI, 15; Fagn. in c. 3. n. 41; Pirhing, 83; S. Lig. VI, 797). — 5°) Idem spatium unius anni requiritur (cap. 14), ut ascendatur a Diaconatu ad Sacerdotium, «*nisi ob Ecclesiae utilitatem ac necessitatem aliud episcopo videatur;*» quae verba S. C. C. (3 Maii 1620) declaravit esse intelligenda *disjunctive*, ut adeo sola utilitas sufficiat. — Tandem 6°) ad Episcopatum quod attinet, cum de eo nihil sit praescriptum, ideo suscepto presbyteratu in sabbato, statim die dominica conferri poterit episcopatus. — Ceterum annus interstitii non **mathematice**, seu prout complectitur duodecim menses completos sumitur; sed **moraliter**, numerando scilicet ab una quadragesima ad aliam, vel a Pentecoste ad Pentecostem. Observa praeterea *dispensationem* in interstitiis pertinere ad Episcopum pro suis dioecesanis, etiamsi vi dimissorialium ab extraneo ordinentur. Quoad Regulares, facultas dispensandi pertinet ad ordinantem, qui tamen de causis dispensandi tenetur fidem adhibere testimonio superioris regularis, uti pluries declaravit S. C. C. (17 Maii 1593; — 31 Maii 1597; — 12 Sept. 1609). Cfr. Bened. XIV (*Inst.* 58 et *Syn.* IX, XVI, 6).

R. Ad 2um) Quod *tempus* ordinationis attinet, notentur sequentia.

Explanatur. Et quidem 1°) **Tonsura** quovis die conferri potest et quavis hora. — 2°) **Minores Ordines,** quos in missa dari *decet,* conferri possunt non modo in consuetis anni temporibus, nimirum : in sabbatis quatuor temporum, sabbato sancto et sabbato ante dominicam passionis; sed etiam quolibet die dominico vel festo de praecepto (S. R. C. 25 Maii 1836), etiam suppresso : quia, referente Bouvier ex ore Leonis XII, festa suppressa reputantur de praecepto quoad Ordines; ast tunc curandum est, ut non sint tot ordinandi, ut videatur *generalis* ordinatio. Imo, in aliquibus regionibus mos est, conferre Ordines minores feria IV vel VI ante generalem ordinationem ; quae quidem consuetudo, si sit immemorialis, admittitur, modo iterum non conferantur per modum generalis ordinationis, et ita fiat propter necessitatem vel utilitatem ecclesiarum. — 3°) **Ordines majores,** Subdiaconatus, Diaconatus et Presbyteratus, non possunt licite conferri nisi in sabbatis quatuor temporum, sabbato sancto et sabbato ante dominicam Passionis, et quidem sub gravi sunt conferendi infra missam, quae de feria est dicenda. Nihilominus ex justa causa ordinans permittitur partem ordinationis differre in dominicam sequentem, modo continuetur jejunium ecclesiasticum tam ex parte ordinandi quam ex parte episcopi (S. Lig. VI, 796). Praeterea religiosis Soc. Jesu ex privilegio eis concesso a Greg. XIII, quod DD. communiter extendunt ad ceteros Regulares, conferri possunt Ordines sacri *extra tempora*, sed nonnisi in diebus festis de praecepto, etiam in favorem fidelium abrogatis (tom. II, pag. 348 seq.), ut colligitur ex S. R. C. (18 Maii 1883) ap. N. R. T. (XV, 495 seqq.). Fuerunt nonnulli Scriptores, quos inter Kenrick (XX, 34) qui ex privilegio conferendi seu recipiendi Ordines etiam sacros « *extra tempora* » contenderunt, necessarium non esse, ut sit dies festus de praecepto, sed « *licere eos conferre* quolibet die, *pro aequo episcopi arbitrio.* » Verum, cum episcopus Marianopolitanus **quaesivisset** : « *Utrum facultas conferendi sacros Ordines* extra tempora *episcopis missionariis generatim concessa, limitetur, nisi specialissimum adsit indultum ad solos dies, quibus de jure communi conferre licet Ordines*

minores, scilicet dies festos de praecepto, etiam in favorem fidelium abrogatos? An vero extendatur ad singulos anni dies aut saltem ad omnes dies in quibus recitatur officium ritus duplicis? » S. R. C. (18 Maii 1883) **respondit** : « *Affirmative ad 1^am^ partem ; negative ad 2^am^.* » Cui resolutioni standum est, nisi forte diuturna consuetudo legitima praescriptione ampliorem sensum alicubi legitimum reddiderit, uti, teste Sabetti, in Prov. Foederatis Amer. Sept. — **4°**) Dies consecrationis **Episcoporum,** ex Pontificali R., « *debet esse dominica, vel natalitium Apostolorum, vel etiam festiva, si Summus Pontifex specialiter indulserit.* » Haec consecratio quae mane quoque et in missa facienda est, si extra R. Curiam locum habeat, in ecclesia ad quam promoti fuerunt, aut in provincia, si commode fieri poterit, celebretur. Quandoque tamen alibi celebrari poterit, si in ipsa Bulla promotionis concessa fuerit facultas consecrationem accipiendi ab antistite quem promotus elegerit.

R. Ad 3^um^) *Ordinatio per gradus* in eo consistit, ut nemo *per saltum* (pag. 454), sed gradatim Ordines suscipiat, i. e. ut Ordinem superiorem prius non suscipiat quam susceperit Ordinem minorem.

Explanatur. Hoc tamen non ad *validitatem,* sed ad solam *liceitatem* requiritur, *excepto* **Episcopatu,** cujus consecratio, juxta plerosque Theologos et Canonistas, esset invalida, si omissus fuisset Presbyteratus; et ratio est : vel quia Episcopatus nonnisi Sacerdotii extensio est, vel quia Episcopalis suprema potestas ex divina institutione nonnisi Sacerdoti conferri potest. Cfr. Bened. XIV Const. « *In postremo* » §§ 10 et 17 (26 Oct. 1756), ubi rem disputationi relinquit.

R. Ad 4^um^) Quod *locum* ordinationis attinet, *distinctione* opus est.

Explanatur. Et quidem **1°**) **Tonsura** et **Ordines Minores** conferri possunt in *quovis loco* honesto, ut eruitur ex *can. 6, dist. 75.* — **2°**) **Ordines Sacri** conferri debent publice *in cathedrali ecclesia*, sin autem in alio dioecesis loco, *in ecclesia digniori.* Sic enim jubet Trid. (Sess. XXIII, cap. 8) : « *Ordinationes* sacrorum *Ordinum statutis a jure temporibus ac in* cathedrali ecclesia, *voca-*

tis praesentibusque ad id Ecclesiae canonicis, publice celebrentur; si autem in alio dioecesis loco, praesente clero loci, DIGNIOR, *quantum fieri poterit,* ECCLESIA *semper eligatur.* » Hoc tamen praeceptum solam ordinationem *generalem* respicit; quare, si non sit generalis, ex S. C. C. (20 Nov. 1592) poterit episcopus ubique eam habere, etiam in capella sua privata. — 3°) Ordinatio **qualiscumque,** adeoque sive agatur de Ordinibus *majoribus*, sive de *minoribus*, debet intra dioecesim suam ab episcopo fieri; si enim Episcopus Ordines conferat in aliena dioecesi sine expressa licentia Ordinarii ejus loci, ex TRID. (Sess. VI *de ref.* cap. 5) suspensus est ab exercitio pontificalium, et Ordinatus ab exercitio suscepti Ordinis. Quidam, quibus adhaeret S. LIG. (VI, 798), excipiunt Tonsuram, cum Ordo non sit, et sine Pontificalibus conferri possit. Contradicunt alii : quia, etiamsi sine *insignibus* pontificalibus fiat, non ideo desinit esse *actus* pontificalis; jam vero TRID. (*loc. cit.*) prohibet : « *Pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subjectas tantum.* » — 4°) De loco ubi celebranda sit **consecratio episcopalis,** diximus supra (pag. 474).

R. Ad 5^{um}) Quis sit *Episcopus proprius* licitae ordinationis et *quotuplex* is distinguatur, jam supra tradidimus (pag. 458 seq.).

Explanatur. Superest notandum : qui ordinat Episcopus, eumdem debere etiam **celebrare.** Rationes sunt ex BENED. XIV (*de Syn.* lib. VIII, c. XI, n. 5) : « tum quia ita obtinuit constans et perpetua latinae Ecclesiae consuetudo; tum quia, nisi missa ab eo fiat, a quo Ordines conferuntur, *dividitur mysterium unitatis,* uti loquitur INNOC. III in cap. *Quod sicut,* de elect. » Adhuc tamen ordinatio foret valida, licet unus celebret et alter ordinet, ut declaravit S. C. C. (5 Febr. 1722) apud BENED. XIV (*loc. cit.* n. 7) : cum missa non sit de essentia ordinationis.

CAP. 6. De materia et forma Sacramenti Ordinis in communi.

Praenotandum. In praesenti Capite abstrahimus a quaes-

tione : quaenam praecise materia et forma sit de *essentia* sacramenti ordinis?

Q. 18. *Quae* sint : 1°) MATERIA et 2°) FORMA sacramenti Ordinis *in genere?*

R. Ad 1^um^) *Sub distinctione.*

Explanatur. Materia **remota** est res illa per cujus traditionem confertur spiritualis potestas ad altaris ministerium. — Materia **proxima** est ipsa traditio materiae remotae vel ejusdem *applicatio ;* quod additur : quia in quibusdam Ordinibus materia remota, saltem partialis, sunt manus Episcopi ; proxima vero manuum impositio.

R. Ad 2^um^) *Forma* sunt verba ab ordinante prolata in traditione vel applicatione materiae remotae, expressiva potestatis quae confertur.

Q. 19. *An*, saltem, in Ordinibus majoribus, MATERIAE *remotae* scilicet *calix* et *patena*, debeant esse proprie *ecclesiasticae* seu *sacrae?*

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. *Affirmative*, quoad **liceitatem.** — *Controvertitur* quoad **valorem.** Alii *affirmant* cum PALAO : nam alias sacram potestatem, cujus sunt symbola, significare non possent. Alii *negant* cum DIANA, et verius forte : quippe hanc sacram potestatem significant ex forma qua constant. Ex S. LIG. (VI, 747) prima sententia « **in praxi** *etiam sequenda videtur.* »

Q. 20. *Qualis* requiratur *contactus* materiae in ordinatione?

R. *Sub distinctione*

Explanatur. Vel loquimur de **valore**, seu de *necessitate* SACRAMENTI, — vel de **liceitate** seu de *necessitate* PRAECEPTI.

Si **primum** : ex communi sensu ad *valorem* ordinationis requiritur ex parte subjecti aliquis contactus materiae : juxta alios **physicus,** saltem mediatus ; juxta alios solum **moralis,** quatenus ordinandus extensione manuum, inclinatione capitis vel alio aequivalenti signo significet, se materiam ab Episcopo oblatam acceptare.

S. Thom. (*Suppl.* q. 34, a. 5 ad 3) utramque sententiam proponit, et quamvis videatur secundam ut probabilem admittere, magis tamen inclinat in primam, dum post relatam secundam addit : « *Tamen ipsa verba formae videntur ostendere quod tactus materiae sit de essentia sacramenti, quia dicitur :* Accipe *hoc vel illud.* » « Idque, ait Bull., videtur probare magna Episcoporum sollicitudo, ut materia *physice* tangatur ab ordinandis ; unde innuitur hanc esse Ecclesiae intentionem sic materiam determinantis in specie. Adde, in aliis sacramentis, baptismo, confirmatione, extr. unctione requiri contactum physicum. Quidni in isto?» — Dixi : **saltem mediatus** ; quia probabile est, non tamen certum, quod sufficeret tangere materiam mediante velo vel chirotheca. Indubium autem est, quod sufficiat tangere mediante suo continente, vinum scilicet mediante calice : quia illud vere dicitur tangi, quod tangitur in suo continente. Et ita est praxis Ecclesiae. Pariter, juxta communem ac moraliter certam sententiam, sufficit tangere panem mediante patena (1).

Sunt qui docent, **nullum** requiri contactum ad *valorem* : cum etiam infans unius diei valide ordinari possit, a quo tamen contactus *physicus* non nisi nugatorie ; *moralis* non nisi stulte peteretur. Verum haec sententia rejicitur et communis sensus omnino est amplectendus.

Si **secundum** : certissime *ex praecepto ecclesiastico* necessarius est contactus *physicus*, quem proin voluntarie omittens peccaret mortaliter, saltem in ordinatione presbyterali, cum non tantum sacramentum presbyteratus, sed etiam subsequentia eucharistiae, poenitentiae et extremae unctionis alias exponerentur periculo nullitatis cum gravissimo sacrilegio et aliorum detrimento. Est enim probabilis DD sententia : contactum *physicum*, saltem

(1) Quod confirmatur a Pontificali Romano, quod sic habet : « *Tradit cuilibet successive calicem cum vino et aqua et patenam superpositam cum hostia et ipsi* illam *accipiant inter indices et medios digitos et cuppam calicis et patenam simul tangunt.* » Vox enim *illam* non ad immediate praecedentem vocem *hostia* refertur : sic enim dixisset *hanc;* sed ad remotiorem vocem *patenam :* sic enim postulat propria vis hujus pronominis. Praeterea, in fine textus allati, *solius* calicis et patenae tactus praescribitur. Aliunde, si sufficit tangere vinum mediante calice illud continente, quidni sufficeret tangere panem mediante patena?

mediatum, ut si contingatur calix, patena aut liber mediante aliquo velo vel chirotheca, esse de valore ordinationis; ideoque talis esset sub conditione saltem reordinandus. « Non ita necessarium, congruum tamen foret, reiterare ordinationem diaconi, subdiaconi, etc., sine contactu physico materiae peractam : quia nullitas harum ordinationum non trahit post se talia praejudicia, sicut nullitas presbyteratus, nec etiam ita certum est, esse sacramenta. » Ita Mayr ex Sporer n. 36. Verum sub conditione reiterandam esse ordinationem diaconatus necnon inferiorum ordinum sine contactu physico materiae essentialis peractam, ex praxi Ecclesiae edocemur, ut liquet ex variis declarationibus S. C. C. imprimis (20 Jan. 1875) ap. R. T. Franc. (II, 265), ubi praecipitur secreto repetendam esse ordinationem *diaconatus* super sacerdotem cujus caput *physice* non tetigerat episcopus, dum diaconatum conferret. Similiter cum quidam in ordinatione *subdiaconatus* tetigisset quidem calicem et patenam, non autem librum Epistolarum, S. C. C. (10 Jan. 1711) censuit hunc ritum supplendum esse per episcopum etiam privatim.

Sunt quidam existimantes, quod sententia negans, tactum *physicum* requiri, tuta **in praxi** sit dicenda ex decisione S. R. C. (3 Dec. 1661), cum « *ad scrupulum* » cujusdam religiosi galli, nempe « *se neque calicem neque patenam tactu physico in sua ordinatione ad presbyteratum tetigisse*, » respondit : « *Posse continuare celebrationem sacrificii absque ullo scrupulo ac tuta prorsus conscientia.* » Idque iterum censuisse perhibetur S. R. C. (21 Jan. 1863) apud Gury. Verum ex responsione S. R. C. id solum colligi posset, traditionem *utriusque* materiae, *calicis* nimirum et *patenae* haud necessariam esse in collatione presbyteratus. Sed neque hoc colligi potest : nam S. R. C. respondit : « *ad scrupulum* » Fratris N.; adeoque non dirimit dubium *juris* seu controversiam inter DD. agitatam de necessitate contactus; sed dubium *facti*, et quidem *negativum* tantum, cum agatur de *scrupulo;* scrupulus vero seu sola oblivio vel timor inanis non sufficit ad prudens ac rationabile dubium vel probabilitatem, ut tradunt DD. apud S. Lig. (VI,757). Unde quoque cum Frater N. dubitaret, utrum in actu ordinationis calicem tetigisset, a S. C. Inq. (8 April. 1895) responsum est : « *juxta exposita adquiescat* »; quia SS. Congregationes Romanae

in hac materia de *mero dubio* curare non solent. Ap. N. R. T. (XXVIII, 81 seq.). E contra interrogata S. C. C. (28 Maii 1796) quid judicandum esset de ordinatione cujusdam presbyteri, qui tantum tetigerat patenam calici superpositam, non tamen calicem ipsum, rescripsit : « *procedendum esse ad secreto iterandam ordinationem ex integro sub conditione, praestito tamen per omnes necessario interessentes in praefata ordinatione juramento servandi secretum.* Ap. R. T. Franc. (I, 49 seq.).

CAP. 7. De poenis male ordinantis et ordinati.

Q. 21. *Quas* poenas incurrant male *ordinantes* et *ordinati?*

R. Tam *male ordinantes*, quam *male ordinati*, varias incurrunt poenas, tum in Const. « *Apostolicae Sedis* » Pii IX, tum in Trid. latas.

Explanatur. Ex Const. « *Apostolicae Sedis* » incurrunt **suspensionem latae sententiae Papae reservatam : 1°)** *Aliquem ordinantes absque titulo* beneficii *vel* patrimonii *cum* pacto *ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta* » (Susp. a collatione Ordinum per triennium). **2°)** « *Ordinantes alienum subditum... absque ejus episcopi litteris* dimissorialibus, » nisi forte collato ei prius beneficio sufficienti ; « *vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit absque Ordinarii ejus loci litteris* testimonialibus. » (Susp. per annum ab Ordinum administratione). **3°)** « *Qui, excepto casu legitimi privilegii Ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii* clerico *in aliqua congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam* religioso *nondum professo.* » (Susp. per annum a collatione Ordinum). **4°)** « *Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eumdem Ordinem recipere praesumpserunt* [i. e. scienter seu cum mala fide] *ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio.* » Is vero « *qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus,* » non quidem suspensione perpetua tenebitur, sed exercitio dumtaxat Ordinis interdicitur, « *donec dispensetur* » ab episcopo scilicet a quo ordinari debuisset. **5°)** *Clerici saeculares exteri* [i. e. qui non pertinent ad Romanam dioecesim neque ad

sex dioeceses suburbicarias] *ultra quatuor menses in urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine rejecti fuerint; nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt. Episcopi vero ordinantes ab usu pontificalium per annum.* »

Ex Trid. incurrunt **suspensionem nemini reservatam,** confirmatam a Pio IX in Const. « *Apost. Sedis;* » 1°) Suscipientes Ordinem a proprio episcopo extra dioecesim *sine Ordinarii loci licentia* (Sess. VI de R. c. 5). Et quidem sic ordinati suspensi sunt ab exsecutione Ordinum; ordinans vero ab exercitio pontificalium. 2°) Clerici, non arctati ratione beneficii, Ordinem *majorem* recipientes infra annum sedis vacantis, etiam cum licentia capituli (Sess. VII de R. c. 10, et Sess. XXIII de R. c. 10). Suspensionem incurrunt ab exsecutione Ordinum *ad beneplacitum* futuri praelati; ordinans vero a collatione Ordinum per annum. 3°) Suscipientes Ordinem ab episcopo alieno sine *dimissorialibus* proprii episcopi (Sess. XIV de R. c. 2) Suspensi sunt ab exsecutione Ordinum sic susceptorum, donec suo praelato visum fuerit; ordinans vero ab exsecutione pontificalium per annum. 4°) Ordinati ab alieno episcopo, etsi cum privilegio S. Pontificis, absque litteris *testimonialibus* sui Ordinarii (Sess. XXIII de R. c. 8). Suspensi sunt a susceptorum Ordinum exsecutione quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire : ordinans vero a collatione Ordinum per annum. 5°) Ordinati *per saltum* (Sess. XXIII de R. c. 14). Suspensionem incurrunt ab exercitio Ordinis sic suscepti quoad proprio episcopo videbitur expedire. Quod si in eo ministraverint, fiunt irregulares. Quia tamen haec suspensio a Conc. Trid. non fuerit directe statuta, neque in Const. « *Apost. Sedis* » a Pio IX inserta, graves DD. aestimant, illam hodie amplius non vigere Cfr. N. R. T. (XXI, 521).

PARS SECUNDA.

DE ORDINE IN SPECIE.

CAP. 1. De Sacerdotio minori seu de Presbyteratu.

Q. 22. *Quid* sit PRESBYTERATUS?

R. Est Ordo major et sacer, necnon sacramentum, quo *duplex* spiritualis potestas traditur ordinato : una in corpus Christi *reale*, nempe transsubstantiandi panem et vinum in corpus et sanguinem Christi; altera in corpus Christi *mysticum* seu Ecclesiam, nempe remittendi et retinendi peccata fidelium.

Explanatur. Utraque potestas dicitur communiter potestas *Ordinis;* quamvis, secundum quosdam, prima dicatur potestas *Ordinis;* alia vero potestas *jurisdictionis*, licet nondum expedita et idonea ut valide in actum deducatur, cum nondum assignati sint ab Ecclesia subditi in quos exerceatur (pag. 301). — Duae dictae potestates separari possent, ita ut prior daretur sine secunda, non tamen contra; prout revera separatae fuerunt in Apostolis, qui in ultima coena acceperunt potestatem consecrandi; absolvendi vero tantum post resurrectionem (pag. 453).

Q. 23. Dic : 1°) *undenam* PRESBYTERI sic vocentur, et 2°) *quomodo* adhuc appellentur?

R. Ad 1^{um}) Ita vocantur a vocabulo graeco quod idem significat ac *seniores*.

Explanatur. Ex CATECH. ROM. hujus vocabuli ratio est : « *non solum propter aetatis maturitatem, quae huic Ordini maxime necessaria est, sed multo magis propter morum gravitatem, doctrinam et prudentiam; ut enim scriptum est* (Sap. IV, 8) : SENECTUS VENERABILIS EST NON DIUTURNA NEQUE ANNORUM NUMERO COMPUTATA; CANI AUTEM SUNT SENSUS HOMINIS ET AETAS SENECTUTIS VITA IMMACULATA. »

R. Ad 2^{um}) Vocantur etiam *sacerdotes*.

Explanatur. Ratio est ex eodem CATECH. ROM. : « *tum quia*

Deo [praesertim] *consecrati sunt; tum quia ad eos pertinet sacramenta administrare, sacrasque res et divinas tractare.* » Quod si omnes christifideles aliquando vocentur *sacerdotes*, hoc quidem intelligendum est *mystice* et *metaphorice*, non quidem de sacerdotio *visibili* et *externo;* sed de sacerdotio *interno* et *spirituali*, quo omnes fideles offerunt Deo hostias spirituales seu bona opera, laudes divinas, preces, etc. (pag. 95).

Q. 24. *Quae* sit MATERIA *essentialis* presbyteratus?

R. *Speculative* seu *theoretice* loquendo, *triplex* datur sententia.

Explanatur. Alii cum MORINO eam collocant **in sola manuum impositione,** quippe qua sola usa est Ecclesia latina usque ad saec. VIII et graeca etiamnum utitur. Censent itaque traditionem instrumentorum non esse materiam essentialem, sed tantum accidentalem, etsi integralem; solam vero impositionem manuum materiam esse essentialem et adaequatam. Et haec sententia, quae, judice PERRONE, « communior jam evasit, » « probabilior mihi videtur, » ait S. LIG. (VI, 749), et a multis censetur TRIDENTINO consentanea, cum aperte dicat, loquens de Extr. Unct. (Sess. XIV, cap. 3) : « *Hujus sacramenti ministros esse Ecclesiae presbyteros; quo nomine eo loco, non aetate seniores aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut episcopi, aut sacerdotes ab ipsis ordinati per* IMPOSITIONEM MANUUM *presbyterii.* » Praeterea huic sententiae novum robur additum videtur a LEONE XIII, qui in Litteris « *Apostolicae curae* » (13 Sept. 1896) de sacramento Ordinis dicit : « *Cujus conferendi materia, quatenus hoc loco se dat considerandam* [sc. in quaestione de Ordinibus Anglicanis] *est manuum impositio.* »

Alii cum SOTO non aliam ex decreto EUGENII IV, saltem in Ecclesia *latina*, agnoscunt essentialem materiam quam **porrectionem instrumentorum,** calicis nempe cum vino et patenae cum hostia, cui additur forma : « *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo missasque celebrandi tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini;* » manuum vero impositionem vel inter ritus mere ecclesiasticos referunt, vel aiunt, contineri in traditione instrumentorum. Ita, juxta BENED. XIV (*de Syn.* lib. VIII, c. X, n. 2), « *antiquiores scholastici, quos* SOTUS *et, teste* GONET, *plerique alii* THOMISTAE *sectantur.* »

Alii iique, teste Bened. XIV (*ibid.* n. 3), « *innumeri,* » cum Bellar. et Bill. volunt **tam manuum impositionem quam instrumentorum porrectionem** in Ecclesia *latina* esse materiam essentialem. Et in hanc sententiam conspirasse videtur S. Thom. (*Suppl.* q. 37, a. 5 in cor. et p. 3, q. 84, a. 4 in cor.) ut ostendi in opere : *Principia dogmatico- moralia universae Theologiae sacramentalis*, pag. 186 seq. — Censent nimirum isti DD., quod Christus pro sacramento Ordinis materias et formas non instituerit *determinate* et *in specie*, sed tantum *in genere*, ut adeo requisierit solummodo signa quaedam externa seu res sensibiles, item verba, quibus sufficienter effectus hujus sacramenti significarentur; reliquerit autem Ecclesiae eorumdem determinationem (tom. II, pag. 380 seqq.) (1). Quod si Eugenius IV in decreto pro instructione *Armenorum* doceat, presbyteratus materiam esse traditionem calicis cum vino et patenae cum hostia, sileat vero de manuum impositione; notandum est, ipsi propositum esse *Armenos* docere ritus Ecclesiae Romanae, ac proinde ipsis tradere debuit solam materiam partialem qua ipsi non utebantur, non autem manuum impositionem quam ipsi adhibebant simul cum latinis aeque et omnibus orientalibus.

Dixi : **speculative seu theoretice loquendo.** Cum enim ex Innoc. XI (tom. I, pag. 97, et tom. II, pag. 387) in sacramentis conficiendis minister teneatur sequi opinionem tutiorem, relicta etiam probabiliori, quae sit minus tuta; hinc, quantumvis *prima* sententia sit probabilissima, quia tamen *tertia* est tutior, haec **in praxi** omnino est sequenda, ut constat ex variis declarationibus S. C. C. Sic testatur Bened. XIV (*ibid.* n. 1 et 13) : quod, cum quidam sacerdotio initiandus omnibus consuetis manuum impositionibus ab episcopo receptis, ad episcopum patenam cum hostia

(1) Cui sententiae frustra opponitur, ut ostendi in cit. opere « *Principia* » (pag. 203), doctrina Con. Trid. (Sess. 21, cap. 2) asserens : Ecclesiam habere potestatem circa sacramentorum dispensationem « *salva illorum substantia.* » Et ut optime scribit doctissimus Egger (*Ench. Theol. dogm.* n. 648 in *nota*) : « Istae duae propositiones : Ecclesia non potest mutare substantiam sacramentorum et : Ecclesia substantiam sacramentorum in specie infima determinare potest, — istae duae propositiones, inquam, non sunt contradictoriae. «

et calicem cum vino porrigentem accedere neglexisset, S. C. C. totam ordinationem sub conditione iterandam praecepit.—Verum, hac *tertia* sententia **in praxi** admissa, cum in presbyteratu utraque materia sit multiplex (*duo* enim sunt instrumenta, et *varia* adhibetur manuum impositio) nova oriuntur dubia, ut patebit ex duplici quaestione sequenti.

Q. 25. *Sufficiat*ne in Presbyteratu ALTERUTRUM ex instrumentis poni et tangi : seu *patenam cum hostia*, seu *calicem cum vino ;* an vero *oporteat* tradere et tangere UTRUMQUE ?

R. Theoretice loquendo, *controvertitur*.

Explanatur. Alii **affirmant** primum sufficere : quia potestas consecrandi individua est, et tota in alterutra specie continetur. Alii **negant** : quia in ordinatione datur potestas offerendi sacrificium, quae ex utraque specie necessario consistit. Et haec sententia, utpote *tutior*, **in praxi** est sequenda, uti constat ex declaratione S. C. C. (28 Maii 1796) supra relata pag. 479. Interim certum est, *vinum* non esse *immediate* tangendum : tangendo enim physice calicem, quisque censetur etiam tangere vinum in eo contentum. Idem videtur dicendum de *pane* : tum ob rationis paritatem ; tum quia non praescribitur tactus immediatus *hostiae*, sed tantum *patenae*, ut patet ex PONTIFICALI, ubi de ordinandis dicitur : « *et cuppam calicis et patenam simul tangunt.* » — **In praxi** tamen curandum est, ut panis etiam physice tangatur, cui propterea episcopus solet invigilare. Ceterum non sunt fovendi scrupuli qui in hac materia frequenter occurrunt : tum quia episcopus eique assistentes, ad eos praecavendos, quaecumque aguntur attentis oculis inspicere curae habent ; tum quia in longa actionum serie nihil facilius est, quam ut una alterave earum e memoria excidat.

Q. 26 Dic : 1°) *quotuplex* in presbyteratu distinguatur MANUUM IMPOSITIO ; et 2°) *quaenam* sit ESSENTIALIS ?

R. Ad 1^{um}) *Triplex* distinguitur : PRIMA, quae silentio fit ; SECUNDA, quae fit ab episcopo simul cum sacerdotibus super ordinandos, solo orante episcopo : « *Oremus, frater carissime*, » etc. ; TERTIA, quae fit post communionem ab episcopo cum profert verba : « *Accipite Spiritum Sanctum ; quorum*

remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt. »

R. Ad 2^um^) *Theoretice* loquendo *controvertitur*.

Resolvitur 1. Postrema ex tribus impositionibus probabilius non videtur essentialis : quia non est in usu apud orientales nec semper in usu fuit apud latinos, cum absit ab antiquis eorum ritualibus ante saec. XII conscriptis, ut asserit Morinus. Accedit, quod ista impositio jam supponit hominem sacerdotem institutum : aliter non potuisset in ipsa missa ordinationis valide consecrare cum episcopo corpus et sanguinem Christi. Unde videtur tantum *declarativa* et *confirmativa* rei jam peractae, nempe Spiritus Sancti jam collati. — **Prima** autem, si a secunda dividatur, essentialis quoque non est, quia nullam habet formam adjunctam, quod tamen requiritur in sacramentis conficiendis, dicente Augustino (tract. 80 *in Joan.*) : « *Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.* » Super haec, ea impositio est orientalibus ignota, nec in antiquis ritualibus reperitur. Igitur solum essentialis est **secunda** manuum impositio, quae tamen haberi potest veluti continuatio primae. Quapropter ordinatio facta sine hac *secunda* manuum impositione tota repetenda est sub conditione. Si vero facta fuerit sine *tertia*, haec tantum supplenda erit. Ita S. R. C. (22 Maii 1841). Ratio exceptionis liquet ex dictis : quia tunc certa est ordinatio quantum ad potestatem sacrificandi ; dubia vero remanet sola potestas absolvendi peccata ; haec ergo sola est repetenda.

Resol. 2. « Nihilominus **practice** saltem omnes tres impositiones necessariae sunt, nec deest ratio theoretica. Nam *prima* impositio moraliter conjungitur cum *secunda* et per consequens etiam cum oratione episcopi ; *tertia* vero considerari potest ut complementum necessarium. In hac explicatione optime verificatur canon Conc. Trid. : *Si quis dixerit per S. Ordinationem non dari Spiritum Sanctum ac proinde frustra episcopum dicere : Accipe Spiritum Sanctum.... anathema sit.* Gratia quippe sacramentalis Ordinis quae inchoata fuit per priores impositiones, per ultimam completur. Aliquid simile habes in Missa in qua ratio sacrificii inchoatur per consecrationem panis et completur per consecrationem

vini; vel in communione sacerdotis, qui certe per sumptionem calicis novam gratiam recipit; vel in extrema Unctione, ubi gratia sacramentalis per partiales unctiones infunditur. » Ita Egger (*l. c.* n. 659).

Scholion. De **modo** et **tempore** quo supplendi sunt defectus in ordinatione commissi, haec traduntur apud DD. :

Quod **modum** attinet, distinguendum est : Si defectus sit circa *essentialia*, nempe materiam et formam, Ordinatio omnino est repetenda, et quidem *tota*, si spectet ad potestatem in corpus Christi reale conferendam; si vero spectet ad potestatem in corpus Christi mysticum seu ad potestatem remittendi peccata, hic solus defectus est supplendus. — Si autem defectus fuit circa *accidentalia*, iterum distinguendum : si fuit in re *levi*, ut si ordinatus non dixerit Canonem, talis aut similis caeremonia non est repetenda; si autem in re *gravi*, ut si defuerit unctio manuum, defectus quamprimum supplendus est, et quidem ab eodem episcopo, si fieri possit : alias graviter peccaret Ordinatus id negligendo aut in Ordine ministrando. — Interim *occulte* supplendus est defectus *occultus*, ad vitandum scandalum et aliorum perturbationem.

Quod vero **tempus** attinet, distinctione quoque opus est : Si ordinatio *tota* est repetenda, id quidem statutis Ordinationum temporibus est peragendum; si vero Ordinationis iteratio ad defectum supplendum non requiritur, hic potest suppleri privatim et secreto in actione Missae, atque etiam extra tempora generalis Ordinationis.

Q. 27. *Quaenam* sint OFFICIA presbyterorum?

R. Sunt *quinque* sequentia ex PONT. ROM. : *Sacerdotem oportet* OFFERRE, BENEDICERE, PRAEESSE, PRAEDICARE *et* BAPTIZARE. »

Explanatur. Sub termino autem **baptizare**, ait STEVAERTIUS, administratio omnium sacramentorum, exceptis confirmatione et ordinatione, intelligitur. Interim, licet praedicta ad sacerdotis officium spectent, pro aliquibus tamen jurisdictio vel licentia requiritur. Igitur, ut rem distinctius explicem, officium presbyterorum est : *missas offerre*, et a peccatis *absolvere*, accepta ab episcopo jurisdictione, solo excepto mortis articulo (pag. 303 seqq.), in quo Ecclesia liberam presbytero cuivis in morientem tribuit potestatem

dimittendi peccata. Insuper possunt presbyteri, de licentia parochi, *solemniter baptizare*, *extremam unctionem* praebere, *viaticum* administrare, *matrimonio* jungere ac *solemnes* facere *benedictiones* salis, aquae lustralis, cereorum, etc. Demum, quantum ad ea munia quae Pont. Rom. designat per verba *praeesse* et *praedicare*, nempe fidelem populum regere et verbum Dei annuntiare, aptus quidem et idoneus fit quisque presbyter per ordinationem ad illa exercenda; sed cum habeant respectum ad populum et sint exercitium spiritualis in eum jurisdictionis et potestatis, hinc sine episcopi facultate non potest presbyter potestate uti eorum munerum exercendorum quam accipit in ordinatione.

Q. 28. *Quanta* sit OBLIGATIO dicendi *tres missas* quas episcopus imponit neopresbyteris dicendas?

R. DD. *disputant.*

Explanatur. Alii dicunt obligationem esse **sub gravi**; alii **sub levi**; alii **consilium** dumtaxat et **decentiam** esse sustinent. Pro **praxi** concludimus : **1°**) saltem de obligatione sub mortali non satis constare. **2°**) Hujusmodi praeceptum non obligare ad applicandas missas juxta intentionem episcopi, cum id non exprimatur; tanto magis, quia post verba : «*Post primam missam, tres missas dicite : unam de Spiritu Sancto; aliam de Beata Virgine et tertiam pro defunctis*, » immediate subjungit : « *et etiam Deum pro me orate.*» Unde ordinati bene possunt missas illas pro aliis applicare etiam cum stipendio. — Patet autem, quod hujusmodi missae, cum debeant esse votivae, non prius dicendae sint, quam adveniant dies non impediti, nec in diebus duplicibus minoribus possint celebrari. Ad **dubium** enim : «*Juxta* Pont. Rom. *episcopus, post ordinationem presbyterorum, injungit eis obligationem celebrandi, post primam eorum missam, unam de Spiritu S., alteram de B. M. V., et tertiam pro defunctis; ad hoc, ut obligatio isthaec facilius adimpleatur, possuntne dictae missae in diebus duplicibus minoribus celebrari?*» **Resp.** S. R. C. (11 April. 1840) : « *Negative, sed in diebus a Rubricis permissis.* »

Q. 29. *An* NEOPRESBYTER pro missa, quam celebrat cum episcopo, possit accipere *stipendium ?*

R. *Controvertitur.*

Explanatur. Alii **affirmant** cum BENED. XIV (*de Sacr. Mis.* l. III, c. XIV, n. 10), praesertim hac ratione practica, quod alias sacerdotes graecorum, saepius cum episcopo celebrantes, carere deberent stipendio, quod nimis durum iis foret.—Alii **negant** cum LACROIX, eo quod petens missam videatur eam requirere cum omnibus caeremoniis quae peraguntur a sacerdote in altari. Immo, quidam existimant, neomistas in casu *non consecrare*, sed solum episcopum (pag. 40 seq.).—Pro **praxi** inanis est disputatio : nam, quaeso, quis unquam inventus sit adeo pecuniae cupidus, ut in hac solemnitate vel de stipendio cogitarit?

Q. 30. *Ad* QUID tenetur sacerdos vi *obedientiae*, quam episcopo in sua ordinatione promittit?

R. EX BENED. XIV, Const. « *Ex quo dilectus* » (14 Jan. 1747) tenetur : « *ut a servitio Ecclesiae, cui addictus fuerit, discedere nequeat sine licentia episcopi.* »

Explanatur. Hoc tamen intelligendum, nisi presbyter, etiam parochus, velit transire ad statum religiosum, quo casu libere potest discedere, etiam contradicente episcopo, non tamen inconsulto, si consuli possit, dummodo tamen non alio detineatur vinculo (tom. II, pag. 331).

CAP. 2. De sacerdotio majori seu episcopatu.

Q. 31. *Quid* sit EPISCOPATUS?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Episcopatus sumi potest : vel **adaequate**, vel **inadaequate**.

Si **primum** : omnes conveniunt episcopatum vere esse et dici Ordinem stricte sumptum et Sacramentum : quia, juxta dicta (pag. 448 seqq.), essentialiter importat sacerdotium, et quod illi superaddit non destruit rationem et denominationem Ordinis, quia perfectio superveniens generi, non destruit rationem et denominationem illius. Sic rationale superveniens animali non destruit rationem et denominationem animalis in homine, nec qualitas ducis superveniens militi destruit rationem et denominationem militis in duce.

Si **secundum** : seu si sumatur pro eo quod addit simplici sacerdotio, alii quidem in aliam atque aliam sententiam abeunt. Juxta multos episcopatus definitur : Est Ordo supremus et Sacramentum, quo presbytero potestas tribuitur conferendi sacramenta Confirmationis et Ordinis regendique ecclesiam sibi commissam. Quae quidem definitio data est juxta sententiam quam supra (pag. 450) exposui, quaeque tradit, episcopatum esse Ordinem et Sacramentum realiter distinctum a presbyteratu, contra veteres plerosque scholasticos, Thomam et Bonaventuram secutos, qui sentiebant episcopatum neque Ordinem esse proprie dictum, neque proinde Sacramentum, sed complementum seu solam extensionem presbyteratus (p. 448). Quae ultima sententia recte sustineri potest.

Q. 32. *Quid* dicendum de MATERIA episcopatus?

R. Dubitari nequit, quin manuum impositio quae fit a consecrante episcopo et duobus episcopis assistentibus, qui omnes dicunt : *Accipe Spiritum Sanctum,* » et quae postea continuatur a solo consecrante post brevem orationem, sit de essentia.

Explanatur. Interim tamen concursus **duorum** episcoporum *assistentium* probabilius non est essentialis, ut adeo **unus** episcopus, theoretice loquendo, pro valore sufficiat, qui propterea in Pont. Rom. vocatur *consecrator*. Et hanc quidem sententiam variis argumentis illustrat Bened. XIV (*de Syn.* l. XIII, c. 13), ubi commemorat plures dispensationes ab Ecclesia concessas, ut episcopi consecratio ab uno tantum episcopo, duobus simplicibus sacerdotibus, vel etiam nullo plane assistente, perficeretur; imo eamdem sententiam, teste Dens (de Ord. n. 15) postea confirmavit Clemens XII, qui presbyteros Jansenistas ab episcopo Ultrajectensi ordinatos censuit *valide* ordinatos fuisse, quamvis hic ab uno solum episcopo consecrationem accepisset, ut narravi in opere : De Hermanni Damenii vita et meritis oratio. — Reliqua quae praescribuntur in Pont. Rom., videlicet : *unctio capitis et manuum*, quae nunquam apud Graecos exstitit, — *traditio baculi pastoralis, annuli et libri Evangelii*, quae effectum Ordinationis significant et traduntur jam *consecrato* episcopo, — *impositio libri evangeliorum super cervicem*

et scapulas consecrandi, cui nulla forma respondet, haec, inquam, theoretice loquendo, probabilius non requiruntur ad essentiam, sed potius pertinent ad integritatem. In **praxi** tamen, quia tutiora heic sequenda sunt, omnes ritus praescripti religiosissime sunt observandi.

Q. 33. Dic : 1°) *an* EPISCOPI *alio etiam nomine* primitus vocati sint ; 2°) *an* sint *superiores* presbyteris ; et 3°) *in quo* sita sit haec superioritas ?

R. Ad 1^{um}) Episcopi aevo apostolico etiam vocabantur *presbyteri*.

Explanatur. Luculenter patet : tum ex antiquis versionibus quae verba (I Tim. IV,14) : « *Cum impositione manuum* PRESBYTERII » reddunt : « *per impositionem manuum* EPISCOPI ; » tum ex eodem Apostolo, qui cum dixisset : « *Cum impositione manuum* PRESBYTERII », in alio loco (II Tim.I,6) scribit : « *per impositionem manuum* MEARUM. » Itaque censet CHRYSOSTOMUS, denominationem *episcopi* et *presbyteri* sacerdotibus primi et secundi ordinis primitus fuisse communem. Addit PETAVIUS, presbyteris non tantum attributam fuisse denominationem episcoporum, sed plerisque presbyteris episcopalem Ordinem, cogente ob circumstantias necessitate, fuisse collatum, et primo plures simul episcopos praefuisse ecclesiis ; deinde, refrigescente charitate, unum constitutum in omnes principem ; mox vero « *in schismatis remedium* » ut dicit HIERONYMUS, passim constitutos esse presbyteros proprie dictos, qui nonnisi secundi ordinis sacerdotio pollerent.

R. Ad 2^{um}) Ex TRID. (Sess. XXIII, can. 7) de fide est : « *episcopos esse presbyteris superiores.* »

Explanatur. Quod definitum est contra : AERIUM, presbyterum arianum saec. IV ; WICLEFF ; CALVINUM, aliosque in Anglia et Scotia PRESBYTERIANOS, SEU PURITANOS, qui contendebant episcopos esse simplicibus sacerdotibus aequales. — Hanc autem superioritatem esse **de jure divino**, non quidem definitum est, sed ex TRID. certum est, cum ex eodem dogma sit fidei (can. 6) : « *In Ecclesia catholica esse hierarchiam* DIVINA ORDINATIONE *institutam, quae constat ex episcopis,*

presbyteris et ministris. » Et quidem docet (cap. 4) : «*Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem* PRAECIPUE *pertinere.*»

R. Ad 3^{um}) Haec superioritas in hoc consistit, quod episcopi habeant potestatem tum *ordinis* tum *jurisdictionis* majorem quam simplices sacerdotes.

Explanatur. Nam praeter potestatem in corpus Christi reale et mysticum, quam habent aequalem cum simplicibus presbyteris, episcopi accipiunt specialem potestatem : tum **ordinis**, quae praesertim consistit in tribus, scilicet in potestate confirmandi, ordinandi et consecrandi, v. g. chrisma, reges, ecclesias, vasa sacra, etc. ; tum **jurisdictionis**, qua episcopus fit rector, judex et pastor suae dioeceseos, et ad quam pertinet : confessarios approbare, indulgentias conferre, excommunicare, leges ferre, quibus etiam presbyteri, tametsi inviti et reluctantes, tenentur obtempetare. Hanc autem *jurisdictionis* potestatem episcopi accipiunt *immediate a Papa* (tom. I, pag. 117 seq.), ita ut, mediante Papa, ea tantum gaudeant ; *jure* tamen *divino*, cum Papa hanc ex Christi ordinatione eis conferre teneatur.

Q. 34. *Quaenam* requirantur ad episcopum *legitime constituendum?*

R. Tria requiruntur : *electio*, *institutio* et *ordinatio* seu consecratio.

Explanatur. 1°) Quod **electionem** attinet, initio Ecclesiae, ipsi Apostoli, maxime PETRUS, episcopos constituebant. Postea vero, electio fiebat per episcopos ; dein, vel per episcopos provinciae, vel per suffragium cleri ecclesiae viduatae, vel per utrosque, concurrente aliquatenus populo. Saeculo XII, propter varios abusus, electio, in Ecclesia *graeca*, coepit reservari solis episcopis ; et in Ecclesia *latina*, solis capitulis cathedralibus. Insuper, variis temporibus, magistratus civilis aut principes saeculares, locum populi usurpantes, saepe non modicam habebant partem in electione episcoporum ; et haec fuit origo *Concordatuum* qui inter Summos Pontifices et varios principes saeculares initi fuerunt, vi

quorum principes, ut v. g. etiamnum in Gallia, in Austria, etc., candidatum eligere seu Papae praesentare possunt. Hodie in pluribus regionibus, sicuti et in Belgio vi constitutionis civilis, electio et institutio episcoporum unice spectat ad Sedem Apostolicam, independenter ab omni interventione gubernii. — 2°) **Institutio** seu **confirmatio** hodie fit per solum R. Pontificem; qui, si electionem approbet, electo dat, in bulla suae confirmationis, facultatem suum eligendi consecratorem. Provisus seu confirmatus a S. Sede, nondum vocatur *episcopus* sed *electus in episcopum (évêque nommé* ou *préconisé)*, usque dum fuerit consecratus. Attamen, episcopus confirmatus, ipso facto, gradum hierarchicum ascendit, et omnem obtinet potestatem *jurisdictionis;* sed nullum habet potestatem *ordinis*, utpote in consecratione accipiendam. — 3°) **Ordinatio** seu **consecratio** sub gravi fieri debet a tribus episcopis, quorum unus dicitur *consecrator*, et alii duo *assistentes*, nisi ex dispensatione Papae concedatur, ut ab unico fiat, sicut quandoque conceditur in missionibus longinquis, ubi tres difficile congregari possent. Secus, licet *valida* (pag. 489 seq.), graviter foret *illicita*.

Q. 35. *An* liceat episcopatum *appetere?*
R. Ex S. Thom. (2. 2. q. 185, a. 1) *negative.*

Explanatur. Vel enim quis appetit episcopatum : 1°) ratione **bonorum temporalium,** atque « *manifestum est quod est illicitum et pertinet ad cupiditatem vel ad ambitionem. Unde contra Pharisaeos Dominus dicit* (Matth. XXIII, 6) : Amant primos recubitus in coenis et primas cathedras in Synagogis et salutationes in foro et vocari ab hominibus Rabbi. » — Vel 2°) ob **celsitudinem gradus,** et « *est praesumptuosum. Unde Dominus arguit discipulos* (Matth. XX, 25) *primatum quaerentes, dicens* : Scitis quia principes gentium dominantur eorum. »— Vel 3°) ut **prosit proximis,** et « *est secundum se laudabile et virtuosum.* Verum *quia, prout est episcopalis actus, habet annexam gradus celsitudinem, praesumptuosum videtur quod aliquis praeesse appetat ad hoc quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente.* » — Itaque cum Bened. XIV Const. « *Inclytum* » (12 Apr. 1755) dicendum est : « *A peccati culpa immune non esse desiderium ipsum episcopatus : tum quia, quamvis desiderium aliis juvandi in his praesertim quae ad*

Deum sunt et salutem animarum, laudabile est et maximopere commendatur; tamen cum hoc adjumentum praestari non valeat sine ipsa episcopatus sublimitate, ut plurimum ex vitio insitae de suis viribus praesumptionis ortum habet; tum quia nemo se iis virtutibus, quae ad episcopatus ministerium necessario requiruntur, ornatum esse, sine peccato aestimare potest; atque hujusmodi desiderium semper est vitiosum juxta angelici Doctoris doctrinam.» — Ad verba vero Apostoli (I Tim. III, 1) : « *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat,* » observandum est : Apostolum non quidem docere bonum esse hoc desiderium, sed opus, quod desideratur, bonum esse in se.

Q. 36. *Quae* sint OFFICIA episcoporum ?

R. Ex PONT. ROM. : « *Episcopum oportet judicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare et confirmare.* » De eorum *obligationibus* egi (t. II, p. 312 seq.).

CAP. 3. De Diaconatu.

Q. 37. *Quid* sit *Diaconatus?*

R. Est Ordo major et sacer, quo traditur ordinato spiritualis potestas proxime inserviendi episcopo vel sacerdoti sacra facienti, et canendi evangelium in missa solemni. — Hunc Ordinem esse *Sacramentum*, licet non sit de fide, ut docet BELLARM., theologice tamen certum est, quidquid olim hac de re docuerint DURAND., CAJET., MALDON., FRANC. a VICTORIA, ut adeo contrarium hodie sustinentes notam temeritatis non aufugerent.

Q. 38. *Quae* sint MATERIA et FORMA Diaconatus?

R. Licet probabilius sit, *solam manuum impositionem* esse illius materiam, et verba tunc prolata : « *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, ad resistendum diabolo et tentationibus ejus, in nomine Domini,* » formam constituere, tum quia solius manuum impositionis mentio fit in Scripturis, tum quia haec una reperitur apud graecos ; adhuc tamen probabile est, etiam libri evangeliorum traditionem esse de essentia, sicut verba in illa traditione prolata : « *Accipe potestatem legendi evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctus, in nomine Domini.* »

Resolvitur. Quare pro **praxi** concludimus, utramque mate-

riam cum sua forma correspondenti esse adhibendam, et si quidpiam ex istis fuerit omissum, sub conditione ordinationem iterandam esse. — Neque **objicias** contra probabilitatem hujus ultimae sententiae : Apostoli, ordinando primos diaconos, non tradiderunt librum evangeliorum, imo illum tradere non potuerunt, cum evangelia nondum conscripta essent; ergo haec traditio non est de essentia. **Respondetur** enim, Christum reliquisse Ecclesiae potestatem determinandi in specie materias et formas sacramentorum illorum quorum ipse non determinavit, ut adeo in initio potuerit sufficere sola manuum impositio, donec Ecclesia traditionem libri evangeliorum pro materia partiali determinaverit, saltem pro *latinis*.

Q. 39. *Quae* sint OFFICIA diaconorum?

R. EX PONT. ROM. : « *Oportet diaconum ministrare ad altare, baptizare et praedicare.* »

Explanatur. Igitur officia diaconorum alia respiciunt **corpus Christi verum** : nempe panem et vinum sacerdoti sacrificanti *immediate* ministrare, et ipsam Eucharistiam tangere *mediate* seu in vase contentam; hoc est, extrahere de tabernaculo, exponere publicae fidelium venerationi, et ubi mos est, communicare fideles sub utraque specie, ipsis sanguinem Domini distribuere, atque haec omnia *ordinarie* loquendo et vi *propriae* ac *ordinariae* potestatis. *Extraordinarie* vero possunt tangere etiam *immediate* sacratissimum Christi corpus seu ipsum administrare in casu necessitatis, quando scilicet nullus adest sacerdos et moribundus vita periclitatur, vel etiam ex commissione episcopi vel sacerdotis (pag. 41). Alia officia respiciunt **corpus Christi mysticum** seu fideles, et sunt : baptizare *solemniter* ex commissione presbyteri, si adsit rationabilis causa (tom. II, pag 461); tum etiam praedicare verbum Dei, ubi id ab episcopo jussi fuerint.

Antiquitus adhuc alia officia diaconis committebantur, nempe : 1°) *Cura pauperum, virginum, viduarum, martyrum et confessorum*, quos in carceribus visitabant eorumque preces pro lapsis deferebant ad episcopum, ut horum poenitentiam moderaretur. 2°) *Poenitentium reconciliatio*, ipsis nimirum in absentia episcopi et presbyteri et gravi urgente necessitate, manus imponendo eosque absolvendo,

non quidem a peccatis et sacramentaliter, sed a poenis satisfactoriis vel ab excommunicatione, qua prohibebantur a participatione sacramentorum altaris. 3°) Distribuebant *eleemosynas*, quae apud Apostolos deponebantur; et quidem, ut patet ex Act. Apost. (VI,1) quia « *factum est murmur graecorum adversus hebraeos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduae eorum,* » septem diaconi electi fuerunt, qui curam gererent viduarum et mensis praeficerentur, quod tamen eorum officium erat tantum *secundarium*. Constat enim ex dotibus quas in eis requisierunt Apostoli, et ex gravissimis verbis quibus eorum electionem praescripserunt, et impositione manuum quam adhibuerunt, ipsos ad officia spiritualia *praecipue* consecratos fuisse. Unde et in Actis baptizasse et evangelium praedicasse leguntur.

Q. 40. *An* peccet MORTALITER diaconus, qui in statu peccati mortalis : 1°) *solemniter* baptizat; 2°) *eucharistiam* ex commissione distribuit; 3°) *munia* sua ad altare adimplet?

R. Ad 1^{um}) *Affirm.*, per se loquendo, juxta dicta (tom. II, pag. 401 seq.).

R. Ad 2^{um}) et 3^{um}) *Controvertitur.*

Explanatur. Alii **affirmant,** quibus suffragatur S. Thom. (*Suppl.* q. 36, a. 5) inquiens : « *Quicumque cum peccato mortali aliquod sacrum officium pertractat, non est dubium, quod illud indigne faciat; unde patet quod mortaliter peccat.* » Alii **negant** dicuntque irreverentiam admissam non pertingere ad rationem *gravis* sacrilegii : tum quod *distribuere* eucharistiam non sit *conficere* sacramentum; tum quod *munia* diaconi et subdiaconi in altari non sint *sacramenta* (tom. II, pag. 402 seq. et tom. III, pag. 42).

Q. 41. *Possit*ne *matrimonium* coram DIACONO celebrari?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Vel est **parochus,** vel **non.**— Si sit **parochus,** celebrationi matrimonii interesse potest in *propria* sua parochia; minime vero, — si **non** sit. Nam Trid. (Sess. XXIV, cap. 1) jubet, ut matrimonio intersit vel *parochus*, vel *sacerdos* de commissione parochi. Quare si diaconus parochus ab alio parocho vocaretur, ut in parochia sua matrimonio interesset, minime id facere posset,

quia in eo casu non esset proprius parochus; parochus autem alienus non potest delegare nisi *sacerdotem* — Tunc autem diaconus potest esse *parochus*, si intra annum ad sacerdotium promoveatur et interim per idoneum sacerdotem exerceri faciat illa omnia parochialia officia, quae ipse non potest per se adimplere.

Q. 42. *Possit*ne DIACONUS in processionibus solemnibus corpus Christi per plateas *deferre?*

R. Posset, sed non videtur expedire : nam deberet in fine solemniter benedicere populo ; soli autem sacerdotes sunt ministri benedictionum solemnium.

CAP. 4. De Subdiaconatu.

Q. 43. *Quid* sit SUBDIACONATUS?

R. Apud *latinos* est Ordo major et sacer, in quo potestas traditur ministrandi diacono et epistolam solemniter cantandi.

Explanatur. Hic Ordo a *graecis* non numeratur inter majores et sacros, nec proinde apud ipsos subdiaconatui annexa est lex *continentiae* (tom. II, pag. 302). Per aliquot etiam saecula et in ecclesia *latina* inter minores Ordines numerabatur. Quidam autem existimant inter sacros Ordines non fuisse recensitum subdiaconatum, nisi circa an. 1200, quia PETRUS CANTOR, qui ea vivebat aetate, dicit : « *De novo institutum est, subdiaconatum esse sacrum Ordinem.* »

Q. 44. *Quae* sint *materia* et *forma* SUBDIACONATUS?

R. *Sub distinctione.*

Explanatur. Apud **graecos** est manuum impositio cum oratione annexa.—Apud **latinos** vero, non una est DD. sententia. Alii cum BILL. dicunt : totalem hujus Ordinis materiam esse porrectionem calicis vacui cum patena vacua ; formam vero haec verba : « *Videte cujus ministerium vobis traditur ; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* » Alii vero cum FILL. dicunt, materiam pariter essentialem esse traditionem libri epistolarum sub hac forma : « *Accipite librum epistolarum et habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis, quam*

pro defunctis, in nomine Patris, etc.—Et haec quidem sententia ex S. Lig. (VI, 746) in **praxi** est tenenda. Unde quoque ad **casum**: « *Frater F. A. hujus Ordinis... accessit ad episcopum Senogallien. pro suscipiendo sacro subdiaconatus Ordine, in actu ejus collationis tetigit quidem calicem et patenam, non autem librum* Epistolarum, *ex inadvertentia assistentis...* » **Respondit** S. C. C. (10 Jan. 1711) : « *Esse supplendum per Episcopum etiam privatim.* » — Quod vero traditionem urceolorum attinet et susceptionem sacrarum vestium, ea sunt merae caeremoniae ad significandum subdiaconi officium statumque ecclesiasticum.—Ut autem jam antea monuimus (p. 476), calix et patena probabiliter debent esse *consecrata* : quia ministerium subdiaconi totum est circa vasa sacra. Quae sententia in **praxi** est tenenda.

Q. 45. *Quae* sint : 1°) *officia* et 2°) *obligationes* subdiaconorum ?

R. Ad 1^{um}) *Officia* sunt : 1°) calicem et patenam ad altare deferre; 2°) panem et vinum suppeditare diacono eique subservire; 3°) solemniter epistolam cantare; 4°) pallas altaris et corporalia abluere.

R. Ad 2^{am}) *Obligationes* subdiaconatui et reliquis Ordinibus majoribus annexae sunt tres : 1°) obligatio servandi castitatem; 2°) recitandi breviarium; 3°) deferendi habitum et tonsuram; de quibus omnibus diximus (tom. II, pag. 279 seqq.).

CAP. 5. De Ordinibus minoribus.

Q. 46. *Quid* sit ostiariatus?

R. Est Ordo minor et non sacer, quo traditur ordinato spiritualis potestas aperiendi, claudendi et custodiendi ecclesiam.

Q. 47. *Quae* sint *materia* et *forma* ostiariatus?

R. Materia *remota* sunt claves ecclesiae; *proxima* clavium traditio.—Forma vero sunt verba ordinantis: « *Sic agite quasi reddituri rationem pro his rebus, quae his clavibus recluduntur.* »

Explanatur. Secundum plures, quos inter S. Lig. (*Exam. Ord.*

n. 53) ad valorem requiruntur claves propriae ecclesiae. Existimat tamen Togni, quascumque claves constituere materiam remotam hujus Ordinis, cum claves, quae traduntur ostiariis, non sint signum *taxativum* ad ea custodienda quae traditis clavibus recluduntur, sed *demonstrativum* jurisdictionis aperiendi et custodiendi quae in ecclesiis asservantur, ad quod significandum aptae sunt **quaecumque** claves, dummodo aptae sint ad aperiendum. Quod quidem confirmatur ex decreto S. R. C. (11 Mart. 1820). Imo, id definiti juris est, uti constat ex declaratione S. C de P. F. (23 Mart. 1844) ad Vic. Apost. Cocincinae, in qua dicitur : « *Scias oportet, in ordinatione clericorum ad* Ostiarii *munus, adhibendas quidem claves, quin tamen ecclesiae claves esse debeant, ita ut* qualicumque *clave uti poteris.* »—Praeterea, hoc certum est : **unam** clavem sufficere, ut *valida* sit ordinatio. Constat ex S. R. C. (11 Mart. 1820) quae ad **dubia** : « *In ordinatione Pontifex tradit* Ostiariis *claves ecclesiae.* **1°**) *In oratorio seu ecclesia, quae unam tantum habeat clavem, haec una clavis estne sufficiens pro materia Ostiariatus?* **2°**) *Ostiarii debentne singuli successive tangere claves? Sufficitne simul tangere et non successive, et super duos vel tres aut quatuor simul tangentes materiam, proferre formam ordinationis?* » **Respondit** : « *Ad 1um. Quamvis* una *clavis esse possit materia* sufficiens *pro ordinatione ostiarii, servandam tamen esse Rubricam, quae praecipit claves esse tradendas, quae, sive argenteae sint, sive ferreae, sive ligneae, dummodo aptae sint ad aperiendum, constituunt materiam remotam hujus Ordinis. Ad 2um. Affirmative ad utramque partem, dummodo qui simul ordinantur Ostiarii tangant manu dextera claves, dum episcopus profert formulam.* »

Q. 48. *Quae* sint *officia* ostiariorum ?

R. Praeter officium aperiendi, claudendi et custodiendi ecclesiam, habent munus pulsandi campanas necnon admittendi dignos in ecclesia et expellendi indignos, scilicet infideles, haereticos non toleratos, publice excommunicatos et nominatim declaratos ut tales, publicos percussores clericorum et interdictos, qui quidem interesse nequeunt missae sacrificio, ne cum iisdem in divinis communicemus. Verum illa ostiariorum officia nunc laicis fere ubique committuntur.

Scholion. Ad **dubia** sequentia : « 1°) *In ordinatione Ostiarii Pontificale praescribit, ut archidiaconus tradat ordinatis funes campanarum, faciens eos pulsare campanas. Quaeritur, an insistatur pluralitati campanarum, an sufficiat una campana, ubi plures non habentur?* 2°) *Aliquae ecclesiae, ut cathedralis mea, non habent turrim conjunctam cum ipsa ecclesia sed pluribus passibus ab ea distantem. Quaeritur, an Ostiarii neo-ordinati debeant egredi extra ecclesiam et per apertum pergere ad turrim campanas ibi appensas pulsaturi, an vero sufficiat quassare tintinnabula altaris ad fores Ecclesiae?* 3°) *Quid agendum sit, si nulla campana adsit in casu praedictae ordinationis? Sufficientne tintinnabula?* » **Respondit** S. R. C. (27 Sept. 1873) : « *Ad 1um* Negative *ad 1am partem ;* affirmative *ad 2um. Ad 2um* Negative *ad 1am partem ;* affirmative *ad 2am. Ad 3um* Affirmative. » — Praeterea ad **dubium** : « *Quando* ostiarius, *archidiacono comitante, claudit et aperit fores ecclesiae, debetne claudere et aperire etiam cum* clavi, *praesertim si in foribus Oratorii, ubi confertur Ordo, non adsit* clavis? » **Resp.** S. R. C. (12 Nov. 1831) : « *Non est stricte necessarium.* »

Q. 49. *Quid* sit lectoratus?

R. Est Ordo minor et non sacer, quo traditur ordinato spiritualis potestas legendi in ecclesia Sacras Scripturas ad communem fidelium instructionem.

Q. 50. *Quae* sint *materia* et *forma* lectoratus?

R. Materia *remota* est liber continens SS. Scripturas utriusque Testamenti. Sufficit tamen, ut alterutrum contineat. Materia *proxima* est traditio talis libri. — Forma vero sunt verba ordinantis : « *Accipe et esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter et utiliter officium tuum impleveris, partem cum iis qui verbum Dei bene ministraverint ab initio.* »

Resolvitur. Ex dictis sequitur, validam esse ordinationem, si loco libri Sacrarum Scripturarum tangendum traderetur sive Missale, sive Rituale, sive Breviarium, quia in iis continentur lectiones sacrae ex V. et N. Testamento ; secus vero, si tangendus porrigeretur liber profanus : quia in eo nihil continetur, quod debeat a lectore in officio legi. Constat ex S.R.C. (27 Sept. 1873), quae ad **dubium** : « *In ordinatione* Lectoris *injungit Pontificale, ut Pontifex tradat*

omnibus CODICEM *de quo sunt lecturi. Quaeritur quid per* CODICEM *intelligatur, utrum volumen* Sacrae Scripturae, an Missale, an Rituale? » **Resp.** « *In casu codicem esse Missale, Breviarium vel volumen Sacrae Scripturae.* »

Scholion. Ad **dubium** : « *In eadem* LECTORIS *ordinatione cohortatio Pontificis (paulo ab initio) continet haec verba :* Lectorem siquidem oportet legere ea quae (*vel* ei qui) praedicat. *Quaeritur, an etiam particula* vel, *rubro colore descripta et subjuncta duo verba* ei qui *sint pronuncianda?* » **Respondit** S. R. C. (27 Sept. 1873) : « *Episcopum dicere posse in casu, vel* Lectorum siquidem oportet legere ea quae praedicat, *vel* Lectorem siquidem oportet legere ei qui praedicat. »

Q. 51. *Quid* sit EXORCISTATUS?

R. Est Ordo minor et non sacer, quo confertur ordinato spiritualis potestas ejiciendi daemones per exorcismos ab Ecclesia approbatos.

Q. 52. *Quae* sint *materia* et *forma* EXORCISTATUS?

R. Materia *remota* est liber exorcismorum, cujus loco, tradi potest missale vel pontificale romanum. Materia *proxima* est ejusdem traditio. — *Forma* autem est : « *Accipe et commenda memoriae et habe potestatem manus imponendi super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.* »

Explanatur. Verum exorcismi hodie solis reservantur sacerdotibus; immo nec ipsi sine licentia episcopi hac potestate uti possunt, ne temere et inconsulto exorcisent, antequam de vera obsessione constet (tom. I, pag. 597 seq.). — Ideo autem potestas exorcisandi traditur in solos energumenos *baptizatos* vel *catechumenos*, quia Ordines instituti sunt ad ministerium altaris, et eorum exercitium ad eos propterea referri debet, qui sacrificii participes esse possunt per baptismum susceptum, vel qui ad suscipiendum baptismum praeparantur, quo jus acquiritur ad Eucharistiam.

Q. 53. *Quid* sit ACOLYTHATUS?

R. Est Ordo minor et non sacer, quo ordinato confertur spiritualis potestas accendendi ecclesiae luminaria, ferendi candelabrum accensum ad altare, parandi urceolos cum vino

et aqua pro missae sacrificio et ministrandi subdiacono in missa solemni. Hinc vox *acolythus*, quae a graeco ducta, latine *pedissequum* significat, quia subdiaconum in altaris ministerio sequi debet acolythus, eique inservire.

Q. 54. *Quae* sint *materia* et *forma* ACOLYTHATUS?

R. Materia *remota* sunt urceoli *vacui* et candelabrum cum cereo *exstincto*; horum vero traditio est materia *proxima*. —*Forma* sunt verba prolata ab ordinante in traditione utriusque materiae : « *Accipe ceroferarium cum cereo, ut scias, te ad accedenda ecclesiae lumina mancipari, in nomine Domini.* » Tum haec alia : « *Accipe urceolos ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini.* »

Explanatur. Quod si traderentur cereum *accensum* et urceoli *pleni*, etsi illicita, si advertenter id fieret, valida tamen esset ordinatio, quia utile per inutile non vitiatur. — Ad **dubium** autem : « *An instrumentum* BUGIA *de candela, serviens episcopis ad librum, possit esse materia Ordinis Acolythorum, loco candelabri seu ceroferarii?* **Respondit** S. R. C. (8 Jun. 1709) : « *Negative.* »

Q. 55. *An* in missa solemni possit ACOLYTHUS vices supplere *subdiaconi?*

R. Ex S. R. C. (18 Dec. 1784 et 22 Jul. 1848) acolythus, data necessitate, substitui potest ad cantandam epistolam « *paratus absque manipulo.* »

Resolvitur. Unde S. ANTONINUS ait : « *Clericum subdiaconò inferiorem non incurrere irregularitatem, quum cantat epistolam cum tunicella, tamen sine manipulo.* » Quod si assumeret scienter, peccaret graviter et incurreret irregularitatem : quia manipulus est insigne proprium Ordinis *sacri*.

Q. 56. *An* et *quanta* sit OBLIGATIO dicendi *preces*, quae imponuntur in collatione Ordinum tam *majorum*, quam *minorum*, necnon *tonsurae?*

R. DD. *disputant*, ut supra (pag. 487) dictum fuit de *tribus missis*, quae neopresbyteris injunguntur.

Explanatur. Interim, quod preces attinet quae imponuntur **diaconis** et **subdiaconis,** ex S. R. C. (11 Aug. 1860) verba PONT. ROM., recitationem *nocturni talis diei* praescribentis, intelligenda sunt : « *de unico nocturno in feriali, vel de primo dominicae, ut in psalterio (i. e. duodecim psalmorum cum suis antiphonis de tempore) quem episcopus ordinans designare potest, vel ipsius diei quo habet ordinationem, vel alterius pro suo arbitrio.* » — Quando vero episcopus nihil aliud exprimit quam id quod verba PONTIFICALIS referunt, dicendum est nocturnum feriae quae respondet illi diei in qua facta est ordinatio.

APPENDIX.

De Tonsura.

CAP. UNIC. De quidditate, institutione, significatione, materia et forma, ac effectibus Tonsurae.

Q. 57. Dic : 1°) *quid* sit *clericalis* TONSURA et 2°) *quomodo* DIFFERAT a Tonsura *monastica?*

R. Ad 1^{um}) Est caeremonia ecclesiastica, qua quis per tonsionem capillorum in modum coronae, cooptatur in clerum, disponitur ad Ordines suscipiendos, fitque capax beneficiorum aliorumque privilegiorum ecclesiasticorum. — De *praecepto* deferendi tonsuram deque *gravitate* hujus praecepti jam egimus (tom. II, pag. 281).

Explanatur. Dicitur : **caeremonia ecclesiastica**; et re quidem vera tonsuram non esse Ordinem, conficitur ex TRID. (Sess. XXIII, c. 2), ubi tonsuram ab Ordinibus aperte distinguit, cum dicat : diversos ministrorum Ordines ita esse distributos, «*ut, qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent.* » Item CATECH. ROM. tonsuram dicit : « *quamdam praeparationem esse ad Ordines suscipiendos,* » ut est novitiatus ad professionem, sponsalia ad matrimonium, catechismus et exorcismi ad baptismum. Et alibi eam vocat : «*primum gradum ad Ordinem;*» unde vulgo dicitur *prima tonsura.*

R. Ad 2^{um}) In hoc differt a tonsura *monastica*, quod haec

per se nec ad Ordines disponat, nec alios effectus tonsurae ecclesiasticae conferat, sed solum in signum status religiosi assumpti adhibeatur.

Q. 58. Dic : 1°) *quandonam* TONSURA fuerit instituta ; et 2°) *quaenam* sit ejus *significatio?*

R. Ad 1^{um}) De *tempore*, quo ritus tonsurandi fuerit institutus, DD. *disputant.*

Explanatur. Alii dicunt cum CATH. ROM. : « *Apostolorum Principem eam consuetudinem induxisse.* » — Alii id negant, cum non sit verisimile, quod Christiani tunc temporis voluerint aliquo signo notari. — Refert VEN. BEDA, tonsuram fuisse introductam ex eo tempore quo, D. PETRO Antiochiae praedicanti, ad opprobrium inferendum, fuit ei caput abrasum ; quam ignominiam Apostolorum Principi illatam, in odium Christi, convertit Ecclesia in honorem. — Quidquid sit, existimaverim Apostolos esse auctores hujus piae caeremoniae, juxta regulam S. AUG. : « *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.* »

R. Ad 2^{um}) Varias tonsurae *significationes* tradidimus (tom. II, pag. 281).

Q. 59. *An* TONSURA habeat *materiam* et *formam?*

R. Cum tonsura Ordo non sit, nec consequenter Sacramentum, ideo non *veram*, sed solummodo *quasi* materiam et formam habet.

Explanatur. Et quidem **quasi materia** *remota* sunt capilli ; *proxima* vero tonsio capillorum vel, his deficientibus, comae adscititiae (S.R.C. 25 Sept. 1846). — **Quasi forma** sunt verba ab episcopo simul et tonsurando proferenda : « *Dominus pars haereditatis meae et calicis mei ; tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.* »

Q. 60. *Quinam* sint *effectus* TONSURAE?

R. Sunt *tres* : 1°) translatio a statu laicali ad clericalem ; 2°) habilitas ad suscipiendos Ordines ; 3°) capacitas beneficiorum et privilegiorum ecclesiasticorum. De *privilegiis* et *beneficiis* ecclesiasticis jam egimus (tom. II, pag. 319 seqq.).

Q. 61. *Undenam* sit NOMEN *clericorum?*

R. Derivatur a nomine graeco, quod *sortem* significat, ideo quod Dominus sit *sors et haereditas* eorum.

Resolvitur. Hinc tamen inferendum non est cum Wicleffo haeretico, possessionem bonorum temporalium interdictam esse clericis; sed inferendum dumtaxat, clericos congerendis opibus studere et curis saecularibusque negotiis se implicare non debere. Ut enim legitur in Breviario de S. Sylvestro : «*Sabbati et dominici diei nomine retento, reliquos hebdomadae dies* feriarum *nomine distinctos, ut jam in Ecclesia vocari coeperant, appellari voluit; quo significaretur*, quotidie clericos, abjecta ceterarum rerum cura, uni Deo prorsus vacare debere. » Qui igitur, tonsuram suscipiendo, transferuntur a statu laicali ad statum clericalem, tenentur ad sancte vivendum, tanquam qui sint pars Domini et qui Dominum solum pro parte seu haereditate sua elegerint. « *Talem se exhibere debet*, ait S. Hier., *ut et ipse possideat Dominum et possideatur a Domino.*»

Q. 62. Quae sint *obligationes* clericorum?

R. Aliae sunt *positivae* et aliae *negativae*. De singulis egimus (tom. II, pag. 279-312).

FINIS.

Vivat Cor Jesu Sacratissimum per infinita saecula saeculorum.

Amen!

INDEX SYNOPTICUS

EXHIBENS SERIEM TRACTATUUM ET QUAESTIONUM.

DE SS. EUCHARISTIA.

PRAEAMBULUM 1

PARS PRIMA.

DE EUCHARISTIA UT SACRAMENTO.

CAP. 1. De quidditate, unitate, institutione, figuris ac diversis nominibus Eucharistiae.

Q. 1. *Quotupliciter* Eucharistia *spectari* possit? . . . 1
Q. 2. *Quid* sit SACRAMENTUM Eucharistiae? . . . . "
Q. 3. *In quo* consistat *essentia* SACRAMENTI Eucharistiae? . 2
Q. 4. *Quomodo* EUCHARISTIA *differat* a ceteris sacramentis? . 3
Q. 5. Eucharistia sitne *unum* sacramentum aut *plura*? . . "
Q. 6. *Quandonam* Eucharistia fuerit *instituta*? 4
Q. 7. *Quos* in *fines* Christus Eucharistiam *instituerit*? . . 6
Q. 8. *Quid* in Euch. sit *sacramentum tantum; quid* vero *res tantum; quid* denique *sacramentum simul et res*? . . . "
Q. 9. Quaenam fuerint Eucharistiae *figurae*? 7
Q. 10. Dic : 1°) *Undenam* sit *nomen* Eucharistiae, et 2°) *quomodo* illud sacramentum adhuc *vocetur*? 8

CAP. 2. De credendis circa naturam Eucharistiae sacramenti. Ubi de Praesentia reali, Transsubstantiatione aliisque huc spectantibus.

Q. 11. *Quaenam* circa *naturam* Eucharistiae sacramenti de fide divina et catholica sint *tenenda*? 9
Q. 12. Cum aliquando in Sacramento Eucharistiae apparuisse legatur *carnem, sanguinem* aut *puerum*, petitur : 1°) an sit *vere* ibi caro, sanguis aut corpus Christi ; 2°) an in casu Christus maneat *sacramentaliter;* 3°) quomodo se gerere debeat *celebrans*, cui talis apparitio contingeret? 19
Q. 13. *Quanto* TEMPORE Christus *maneat* in Eucharistia? . . 20
Q. 14. *Quanto* TEMPORE indigeant sacrae species, ut post sumptam communionem censeantur *substantialiter* immutatae? . "

Q. 15. An *cesset* praesentia realis per *mixtionem* liquoris cum *vino consecrato*? 22

CAP. 3. De materia remota Eucharistiae in fieri, sive de pane et vino.

Q. 16. *Quaenam* sit MATERIA *remota* Eucharistiae *in fieri* seu *conficiendae*? 23
Q. 17. *Qualis* debeat esse PANIS, de necessitate *sacramenti*? . "
Q. 18. *Qualis* debeat esse PANIS, de necessitate *praecepti*? . . 24
Q. 19. *Quale* debeat esse VINUM, de necessitate *sacramenti*? . 26
Q. 20. *Quale* debeat esse VINUM, de necessitate *praecepti*? . . 27
Q. 21. Dic : 1°) *Quaenam* aquae QUANTITAS miscenda sit vino in calice offerendo; 2°) *cur* haec admixtio; et 3°) *quid* fiat de ista aqua in consecratione? 29
Q. 22. *Quid* facto opus, si celebrans deprehendat defectum *substantialem* alterutrius materiae, quia v. g. panis est *corruptus* vel *non triticeus*; aut loco *vini* apposita est in calice *aqua*, vel vinum est *corruptum*? 31
Q. 23. *Quid* faciet celebrans, si deprehendat non fuisse appositam *aquam*? 32

CAP. 4. De materia proxima Eucharistiae in fieri, seu de consecratione panis et vini.

Q. 24. *Quae* sit MATERIA *proxima* Eucharistiae *in fieri*? . . . "
Q. 25. *Quaenam* requirantur ad *validam* consecrationem? . "
Q. 26. *Quid* requiratur ad PRAESENTIAM *moralem*? . . . "
Q. 27. *Qualiter* MATERIA debeat esse *determinata* ad *validam* consecrationem? 33
Q. 28. *Quaenam* requirantur ad *licitam* consecrationem? . . 34
Q. 29. An *una* materia Eucharistiae *sine alia* consecrari possit : 1°) *valide*; 2°) *licite*? 35

CAP. 5. De forma Eucharistiae in fieri.

Q. 30. *Quaenam* sit FORMA *essentialis* Eucharistiae *in fieri*? . 37
Q. 31. *Quid* significent VERBA formae? 38
Q. 32. *Quomodo* VERBA formae sint *proferenda*? . . . "

CAP. 6. De materia et forma Eucharistiae in facto esse.

Q. 33. An Eucharistia *in facto esse* habeat *materiam* et *formam*? 39

CAP. 7. De ministro Eucharistiae tum conficiendae, tum dispensandae.

Q. 34. *Quisnam* sit MINISTER Eucharistiae *conficiendae*? . . 40
Q. 35. An *plures* sacerdotes possint *valide* simul *eamdem* materiam consecrare? . . . . . "

Q. 36. *Quot* peccata mortalia committat sacerdos *celebrans in mortali*? 41
Q. 37. *Quisnam* sit MINISTER Euch. *dispensandae*? . . . "
Q. 38. *Quaenam* requirantur ad LICITAM Eucharistiae *dispensationem*? 43
Q. 39. *Qualis* detur obligatio *dispensandi* Eucharistiam: et quomodo *peccet* minister, illam administrando *indignis*? . . . 44

CAP. 8. De ritibus observandis in administranda Eucharistia.

Q. 40. *Quaenam* sint *servanda* in ADMINISTRATIONE Eucharistiae? "
Q. 41. *Quid* facto opus, si, infra distributionem, hostia vel ejus particula *decidat*? 48
Q. 42. *Quid* faciendum, si *communicans*, a mensa discedens, mox hostiam ex ore in *strophium* aut *librum* immittat? "
Q. 43. *Quomodo* agendum sacerdoti, si ad *infirmum* cum VIATICO adveniens ejusque confessionem excipiens, eum *indispositum* inveniat? 49
Q. 44. *Quid* faciendum, si Eucharistia *evomatur*? . . . "
Q. 45. *Quid* si, sumpto VIATICO, infirmus *statim moriatur*? . "

CAP. 9. De modo SS. Eucharistiam asservandi et exponendi.

Q. 46. *Quae* observanda sint in SS. Euch. *asservatione*? . . 50
Q. 47. *Quomodo* PYXIS sit *purificanda*? 55

CAP. 10. De subjecto Eucharistiae et necessitate eam suscipiendi.

Q. 48. *Quis* sit SUBJECTUM *capax* Euch. *suscipiendae*? . . "
Q. 49. *An* et *qualiter* sit NECESSARIA Eucharistiae *sumptio*? . 56
Q. 50. *Quandonam* urgeat praeceptum DIVINUM communicandi? 59
Q. 51. An *obliget* praeceptum DIVINUM communicandi in mortis periculo, si quis *ex devotione* communicasset: 1°) *paucis ante diebus*, v. g. septem vel octo; 2°) ipso *mane*? 60
Q. 52. An qui, *post* Viaticum sumptum, peccet *mortaliter*, teneatur, stante eodem morbo, denuo *communicare*? 61
Q. 53. *An* in periculo mortis communio *danda* sit: 1°) PUERIS: 2°) AMENTIBUS et PHRENETICIS; 3°) PERFECTE EBRIIS; 4°) DAMNATIS ULTIMO SUPPLICIO? 62

CAP. 11. De dispositionibus ad Euch. digne suscipiendam.

ART. I. De dispositionibus requisitis : 1° ex parte animae.

Q. 54. *Quaenam* sint *dispositiones ex parte* ANIMAE ad Eucharistiam *digne* suscipiendam? 64
Q. 55. An qui *recordatur* peccati mortalis, quod ex *oblivione*

inculpabili vel saltem non graviter culpabili in confessione non declaravit, TENEATUR illud *ante communionem* vel celebrationem *confiteri*? 65
Q. 56. An *dubitans*, utrum *mortaliter* peccaverit *necne*, TENEATUR ante communionem seu celebrationem *confiteri*? . . 67
Q. 57. An *certus* de mortali commisso, sed *dubitans*, an sit illud confessus, *possit* communicare, priusquam illud declaretur? »
Q. 58. An *praeceptum* confitendi ante communionem, ut obtineatur status gratiae, sit *divinum*, an *ecclesiasticum*? . . 68
Q. 59. *Qualis* debeat esse NECESSITAS, ut liceat *conscio de peccato mortali* absque confessione communicare aut celebrare? . »
Q. 60. *Quandonam* DEESSE censeatur *copia confessoris*! . . 70
Q. 61. Dic : 1°) *Quisnam* sit *sensus* praecepti TRID. «QUAMPRIMUM confitendi,» et 2°) *quosnam* obliget? 72

ART. II. De dispositionibus requisitis : 2° ex parte corporis.

Q. 62. *Quaenam* sint DISPOSITIONES requisitae ad digne communicandum *ex parte corporis*? 74
Q. 63. *Quale* requiratur JEJUNIUM ad communionem? . . »
Q. 64. *Quale* 1°) sit praeceptum hujus JEJUNII; 2°) quo *jure;* 3°) *quosnam* et 4°) *quomodo* obliget? . . . . . »
Q. 65. *Quaenam* requirantur, ut JEJUNIUM *frangi* censeatur? . 75
Q. 66. In *quibusnam* casibus liceat *non jejuno* communicare? . 77
Q. 67. An *liceat* sacerdoti *non jejuno* CELEBRARE ad dandum *Viaticum*? 78
Q. 68. An *liceat* aliquando dare communionem INFIRMIS *non jejunis*, nec PERICULOSE *decumbentibus*, si morbus sit *diuturnus*? 79
Q. 69. *In quo* consistat *decentia corporis* ad communionem requisita? 80

CAP. 12. De frequenti communione et communione spirituali.

Q. 70. *Quid* dicendum de *frequenti* communione? 82
Q. 71. *Quid* dicendum de communione *spirituali*? 89

CAP. 13. De effectibus Eucharistiae.

Q. 72. *Quinam* sint *effectus* Eucharistiae? 90
Q. 73. An Euch. prosit *aliis* quam *sumentibus*? 91
Q. 74. An per *veniale* peccatum *impediatur* effectus hujus Sacramenti? 92
Q. 75. An *venialiter* peccet, qui Euch. sumit cum peccato VENIALI, tum *habituali*, tum *actuali*? . . . . . »
Q. 76. An *major* gratia conferatur communicanti sub *utraque* specie quam sub *una*? 93

Q. 77. *Quandonam* Euch. producat suos *effectus*? . . . 93
Q. 78. An *augeatur* gratia, si *crescat* dispositio, non tantum durante manducatione, sed etiam toto tempore, quo species *perseverant in stomacho*? 94

PARS SECUNDA.

DE EUCHARISTIA UT SACRIFICIO.

CAP. 1. De sacrificio generatim sumpto ejusque divisione.

Q. 79. *Quid* sit SACRIFICIUM *generice* sumptum? . . . . . »
Q. 80. *Quaenam* CONDITIONES requirantur ad sacrificium *stricte* dictum? 95
Q. 81. *Quomodo* DIVIDATUR sacrificium? 96

CAP. 2. De Sacrificio Novae Legis.

Q. 82. An Christus *in cruce* obtulerit *verum* et *proprie dictum* sacrificium? 97
Q. 83. *Quid* 1°) sit sacrificium MISSAE : — 2°) *undenam* illud *nomen;* — 3°) *quomodo* vocetur a *graecis*, — et 4°) an sit sacrificium *proprie* dictum? 98
Q. 84. *In quo* consistat ESSENTIA sacrificii missae : 1°) ex parte *materiae*, seu ratione *victimae* seu *rei oblatae;* 2°) ex parte *formae*, seu ratione *actionis sacrificativae*? 102
Q. 85. *Qualiter* sacrificium missae DIFFERAT : 1°) a *sacrificiis* V. L.; 2°) a *sacramento Eucharistiae;* 3°) a *sacrificio crucis;* 4°) a sacrificio coenae? 104

CAP. 3. De virtute sacrificii missae. Ubi de ejus effectibus, fructibus, valore, deque iis pro quibus offerri possit.

Q. 86. *Quotuplex* sit EFFECTUS sacrificii missae? . . . . »
Q. 87. *Quomodo* missa *causet* suos effectus? 105
Q. 88. *Quandonam* missa CONFERAT suos *effectus*? 106
Q. 89. An missa *mali* sacerdotis MINORES effectus producat quam *boni*? 107
Q. 90. *Quid* 1°) sit FRUCTUS sacrificii missae, et 2°) QUOTUPLEX *distinguatur* respectu eorum, quibus missa *prodest*? . . . 108
Q. 91. *Quantus* sit VALOR sacrificii missae? . . . . . »
Q. 92. *Undenam* proveniat LIMITATIO fructuum sacrificii? . . »
Q. 93. *Pro quibus* liceat OFFERRI missae sacrificium? . . . 109
Q. 94. An missa DE REQUIEM magis prosit defunctis, quam *alia*? 115

CAP. 4. De ministro sacrificii missae deque applicatione in celebrante requisita.

Q. 95. *Quis* sit MINISTER sacrificii missae? 115
Q. 96. *Quaenam* in MINISTRO requirantur, ut *valide* ac *licite* sacrificet? . . . . . »
Q. 97. An *requiratur* in ministro INTENTIO APPLICANDI sacrificium, ad *fructus* ejus obtinendos? . . . . . »
Q. 98. *Qualis* debeat esse celebrantis APPLICATIO, ut fructus *specialis* obtineatur? 116
Q. 99. *Quo tempore* fieri debeat APPLICATIO *fructus specialis*? . 117
Q. 100. *Quid* dicendum de *anticipata* applicatione? 118

CAP. 5. De obligatione celebrandi : 1° ratione sacerdotii ; 2° ratione officii ; 3° ratione fidelitatis aut justitiae, ubi de stipendio missarum.

Q. 101. *An* detur OBLIGATIO celebrandi ratione *simplicis sacerdotii*? 119
Q. 102. *Quinam*, ratione *officii*, debeant tum celebrare in suis ecclesiis ; tum missam applicare pro *populo*? 120
Q. 103. *Quandonam* PASTORES debeant : 1°) in suis ecclesiis *celebrare* ; 2°) missam *applicare* pro populo? 121
Q. 104. *Qualis* sit *obligatio* applicandi missam pro POPULO? . 122
Q. 105. *Quanta* sit obligatio celebrandi, ratione FIDELITATIS? . 124
Q. 106. *Quinam* 1°) teneantur celebrare, ratione JUSTITIAE, et 2°) *quanta* sit haec eorum *obligatio*? . . . . . »
Q. 107. *Quomodo* peccet BENEFICIATUS seu CAPELLANUS, qui non celebrat in *ecclesia*, in *altari*, *die* aut *hora* ipsi destinata? . »
Q. 108. An BENEFICIATUS seu CAPELLANUS obligatus *quotidie* celebrare, possit aliquando *vacare*? 125
Q. 109. *Quid* facere debeat BENEFICIATUS in *dubio* : 1°) circa missarum *numerum* ; 2°) circa earumdem *applicationem*? . . 126
Q. 110. *Quid* facto opus, si *reditus* BENEFICII vel CAPELLANIAE *deficiant*? 127
Q. 111. Dic : 1°) *quo titulo* et 2°) *quantum* liceat accipere STIPENDIUM pro missa? 128
Q. 112. An sacerdos, *largiori* STIPENDIO *accepto*, possit missam alteri committere *retenta sibi parte* STIPENDII? . . . 129
Q. 113. An *administratores* ecclesiarum ex eleemosynis ad missam datis possint aliquid *detrahere* pro EXPENSIS altarium, luminum, vini, etc.? 131
Q. 114. An, habens sacra *ad duos francos*, possit dicere alteri : adjuva me, postea adjuvabo te, *nihil ei supplendo*, in supposito, quod alter tantum habeat sacra *ad unum francum*? . . »

Q. 115. An licitum sit, *merces*, *diaria*, *libros*, etc., cum missarum applicatione *permutare?* 132
Q. 116. *An* peccet *mortaliter* : 1°) qui *unum* sacrum culpabiliter omittat, etiamsi stipendium pro illo acceptum non sit materia gravis; 2°) qui *differat* sacra pro quibus stipendium accepit? »
Q. 117. *An* et *quomodo* peccet, qui legit missam conformem officio, ubi petita fuerit : 1°) missa *in honorem alicujus Sancti* ; 2°) missa *pro defunctis?* 136
Q. 118. An sacerdos, qui *binam* missam ex *privilegio* seu *dispensatione* legit, pro *secunda* stipendium accipere possit . . 137
Q. 119. An *obligatus* ex stipendio ad celebrandum in *altari privilegiato* pro defuncto, debeat legere missam *de requiem?* . . 139

CAP. 6. De tempore et loco celebrationis.

Q. 120. Dic : 1°) *Quibus* DIEBUS et 2°) *qua* HORA liceat celebrare? 140
Q. 121. QUOTIES in die liceat *celebrare?* 142
Q. 122. An BINANS *alio calice* uti possit? 144
Q. 123. Per *quale* temporis SPATIUM missa lecta *durare* debeat? 145
Q. 124. In *quo* LOCO celebrare *liceat?* . . . . . »
Q. 125. *Quomodo* peccetur *celebrando* in ecclesia INTERDICTA, EXSECRATA vel POLLUTA? 148
Q. 126. *Quandonam* POLLUATUR ecclesia? . . . . . »
Q. 127 *Quomodo* ecclesia *polluta* RECONCILIETUR? 150
Q. 128. Dic : 1°) *Quandonam* ecclesia EXSECRETUR, et 2°) *quodnam* sit *discrimen* inter POLLUTIONEM ecclesiae et ejus EXSECRATIONEM? . . . . . »
Q. 129. *Quaenam* sint observanda circa ORATORIA *privata* seu *domestica?* 151

CAP. 7. De requisitis ad missam. Ubi de altari, de sacris vasis, de vestibus et ministro inservienti.

Q. 130. *Quaenam* requirantur ex parte *altaris?* 153
Q. 131. *An* liceat *SS. Reliquias* ac *flores* super altare collocare? 156
Q. 132. *Quaenam* requirantur ex parte INSTRUMENTORUM? . . 157
Q. 133. *Quid* dicendum de SACRIS VESTIBUS? 162
Q. 134. Dic : 1°) *An* et 2°) *qualis* requiratur minister INSERVIENS? 167
Q. 135. *An* sacerdoti celebranti *assistere* possit presbyter *stola* aut *pluviali* indutus? 168

CAP. 8. De Rubricis.

Q. 136. *An* et *quomodo* obligent RUBRICAE quoad *missam?* . . 169
Q. 137. *Quaenam* 1°) sint PECCATA contra leges rubricales *fre-*

quentiorà, et 2°) *undenam* petenda sit *materiae* GRAVITAS in violatione *rubricarum* missae? 171
Q. 138. *Quomodo* peccetur, aliquid ADDENDO in missa? . . "
Q. 139. *Quomodo* peccetur VARIANDO? 172
Q. 140. *An* liceat INFIRMO celebrare, licet omnes rubricas *observare nequeat?* 173
Q. 141. An liceat celebrare : 1°) capite PILEOLO (gallice *calotte*) cooperto; 2°) cum COMA ADSCITITIA (gallice *perruque*)? . . "
Q. 142. *Quae* missa sit *celebranda*? 174
Q. 143. *Quali* MISSALI sit *utendum*? 176
Q. 144. *An* 1°) liceat missam INTERRUMPERE; et 2°) *quomodo* interrupta sit RESUMENDA? 177

DE POENITENTIA.

PRAEAMBULUM. 181

PARS PRIMA.

DE POENITENTIA UT EST VIRTUS.

CAP. UNIC. De quidditate Virtutis poenitentiae deque ejus necessitate, efficacia et discrimine cum Sacramento poenitentiae.

Q. 1. *Quotupliciter* sumatur VOX POENITENTIAE? 182
Q. 2. *Quid* 1°) sit VIRTUS poenitentiae; 2°) an *possibilis* sit sine gratia Dei; 3°) *quodnam* sit ejus *objectum;* et 4°) *quodnam* ejus *subjectum*? . . . . . "
Q. 3. Dic : 1°) *Qualis* sit NECESSITAS virtutis poenitentiae et 2°) an ad remissionem peccatorum *venialium* necessaria quoque sit aliqua poenitentia? 186
Q. 4. An *peccatoribus*, etiam OBDURATIS, detur *gratia sufficiens* ad poenitendum? 189
Q. 5. *Quae* sit EFFICACIA poenitentiae? 190
Q. 6. *An* peccata *semel dimissa* REDEANT per *subsequens peccatum?* 194
Q. 7. *An* 1°) justificatio impii fiat per FORMAM INHAERENTEM; et 2°) *an* quis possit esse CERTUS de sua *justificatione*? . . . 195
Q. 8. *Quodnam* sit DISCRIMEN inter *virtutem* et *sacramentum* poenitentiae? 196

PARS SECUNDA.

DE POENITENTIA UT EST SACRAMENTUM.

SECTIO PRIMA. — DE SACRAMENTO POENITENTIAE SECUNDUM SE.

CAP. 1. De quidditate sacramenti poenitentiae deque ejus necessitate et effectibus.

Q. 9. *Quid* sit SACRAMENTUM poenitentiae? 196
Q. 10. *Qualis* NECESSITATIS sit sacramentum poenitentiae? . 201
Q. 11. *Quinam* sint EFFECTUS sacramenti poenitentiae? . . »

CAP. 2. De materia sacramenti poenitentiae.

Q. 12. *Quotuplex* sit MATERIA hujus Sacramenti? 202
Q. 13. *An* RECTE exponantur : 1°) *mortalia* jam rite confessa et directe absoluta; 2°) *venialia*? 204
Q. 14. *An* peccatum IN GENERE accusatum, ut si quis dicat : *peccavi*, vel *me accuso de omnibus peccatis meis*, sit materia *sufficiens*? 206
Q. 15. *Quomodo* agendum cum poenitentibus, qui non adferunt materiam *necessariam*, si sit tamen CERTO *sufficiens*? . . 207
Q. 16. *Quomodo* agendum cum iis, qui non adferunt nisi materiam DUBIE *sufficientem*? 208
Q. 17. *An* 1°) in casu REBAPTIZATIONIS, *rebaptizandus* teneatur confiteri *omnia peccata praeteritae vitae;* et quatenus *affirmative*, an 2°) confessio *praeponenda* sit vel *postponenda* baptismo conferendo sub conditione? . . . . . »

CAP. 3. De forma sacramenti poenitentiae. Ubi et de loco et habitu quo illud administrari debeat.

Q. 18. *Quae* sit FORMA *rubricalis* sacramenti poenitentiae? . 209
Q. 19. *Quaenam* 1°) sint verba FORMAE *essentialia;* 2°) *quisnam* sit hujus FORMAE genuinus *sensus*, et 3°) *an* valeat forma *deprecatoria*? 212
Q. 20. *Qualiter* DE NECESSITATE SACRAMENTI proferenda sit *forma* absolutionis? 216
Q. 21. *Quandonam* absolutio *sub conditione* de praesenti vel praeterito LICITE impendi possit ac debeat? 220
Q. 22. *An* 1°) PROHIBITUM sit *prius* absolvere a *peccatis* quam a *censuris*? et 2°) *quanam* utendum sit FORMA in absolutione *censurarum*? 222
Q. 23. *Quo* 1°) LOCO et HABITU sacerdos confessiones excipere debeat? et 2°) *quid* observet poenitens in ACCESSU ad confessionale? 223

SECTIO SECUNDA — DE DISPOSITIONIBUS REQUISITIS IN SUBJECTO.

CAP. 1. De contritione.

Q. 24. *Quot* 1°) sint *partes* CONTRITIONIS *generice* sumptae, et 2°) *quotupliciter* CONTRITIO sic sumpta *distinguatur*? . . 225
Q. 25. *Qua ratione* CONTRITIO et ATTRITIO inter se differant? . 226
Q. 26. *An* ATTRITIO se sola *sufficiat* ad sacram. poenit. *valide* ac *fructuose* suscipiendum? 227
Q. 27. *An* in CONTRITIONIS *formulis*, quae circumferuntur, recte dicatur : *non doleo, quia infernum merui, vel coelum amisi, sed*, etc.? 231
Q. 28. *Qualis* debeat esse DOLOR requisitus ad sacramentum poenitentiae? 232
Q. 29. *An* requiratur certa temporis DURATIO ad verum *dolorem* concipiendum? 236
Q. 30. *An* DOLOR necessario debeat : 1°) elici *ex intentione* sacramenti; 2°) *praecedere* confessionem; 3°) formaliter seu actualiter *coexsistere* absolutioni: 4°) de *novo* elici, si poenitens, statim post absolutionem, peccatum mortale ex oblivione omissum confiteatur? . . . . . "
Q. 31. *An*, ob defectum DOLORIS, dari possit sacramentum poenitentiae *validum*, sed *informe*? 239
Q. 32. *An* in sacram. poenit., praeter DOLOREM, requirantur *explicite* actus *fidei* et *spei*? 240

CAP. 2. De proposito.

Q. 33. *Quid* 1°) sit PROPOSITUM in sacr. poenit.; 2°) *quotuplex* distinguatur, et 3°) *utrum* pro confessione sufficiat *virtuale*! "
Q. 34. *Quaenam* sint CONDITIONES requisitae in *proposito*? . 242

CAP. 3. De confessione. Ubi praesertim de ejus veracitate, integritate et causis ab integritate excusantibus.

Q. 35. *Quid* 1°) sit CONFESSIO SACRAMENTALIS; 2°) an sit *instituta* ac *necessaria* de JURE DIVINO; et 3°) *quaenam* sint DOTES confessionis? 243
Q. 36. *Quale* peccatum sit MENDACIUM in confessione? . . 249
Q. 37. *An* peccet, defectu VERACITATIS, qui *prius* confiteturignoto *mortalia*, et *dein* cognito *venialia*, ne amittatur bona existimatio? 250
Q. 38. *An* licitum sit, in confessione *generali*, sine distinctione MISCERE mortalia *nondum confessa* cum *confessis*? . . "
Q. 39. *An* VALIDE confiteatur, qui peccatum *recens* ut *antiquum* accuset? 251

Q. 40. Dic : 1°) *quotuplex* sit confessionis INTEGRITAS ; et 2°) *qualis* sit integritatis NECESSITAS? 251
Q. 41. In confessione *mortalium* : 1°) *quis* NUMERUS ; 2°) *quae* SPECIES ; 3°) *quae* CIRCUMSTANTIAE debeant *exprimi*? . . . 252
Q. 42. *An* debeant *exprimi* : 1°) actus EXTERNUS peccati ; 2°) EFFECTUS ex actu *externo* secutus? 256
Q. 43. *An* poenitens *exprimere* debeat NUMERUM *personarum*, cum quibus peccavit? 257
Q. 44. *An* debeant *exprimi* : 1°) in INCESTU circumstantiae *consanguinitatis* vel *affinitatis* et *gradus* ; 2°) in peccatis ODII circumstantia *propinquitatis* personarum? 258
Q. 45. *An* debeat *confiteri* poenitens in DUBIO : 1°) an id, quod constat esse mortale, sit a se *commissum* ; 2°) an id, quod certo a se est commissum, fuerit *mortale* vel *veniale* ex indeliberatione actus vel parvitate materiae ; 3°) an id, quod novit esse mortale et a se commissum, sit rite *confessus*? 259
Q. 46. *An*, qui *bona fide* confessus est aliquod mortale tanquam *dubie* commissum, debeat illud REPETERE, si postea deprehendat se illud certo commisisse? 260
Q. 47. *Quaenam* sint CAUSAE *generales*, ab integritate *materiali* confessionis *excusantes*? 262
Q. 48. *Quinam* excusentur ratione *oblivionis* aut *ignorantiae*? . »
Q. 49. *Quinam* excusentur ob IMPOTENTIAM *physicam*? . . . »
Q. 50. *Quinam* excusentur ob IMPOTENTIAM *moralem*? . . 264
Q. 51. *An* accusandum sit peccatum *mortale* quod declarari NEQUIT : 1°) *sine complicis manifestatione*, v. g. incestum commisisti cum matre, quam novit confessarius ; 2°) *sine infamia alterius*, qui fuit occasio aut objectum peccati, v. g. occidisti matrem viduam ex crimine alterius gravidam, quam confessarius novit non esse maritatam? 265
Q. 52. *An* liceat confessario PETERE nomen *complicis*? . . 267
Q. 53. *An* absolvendi sint MORIBUNDI *sensibus destituti*? . . 268
Q. 54. *An* mortalia ex *oblivione* vel propter *impotentiam*, sive physicam, sive moralem, omissa et indirecte remissa, sint 1°) adhuc *confitenda* ; et 2°) *absolutione* indigeant? . . . 272
Q. 55. *An* CONFESSIO debeat esse *vocalis*? 273

CAP. 4. De examine conscientiae deque iteratione confessionis et confessione generali.

Q. 56. Dic : 1°) *an* et 2°) *quale* requiratur EXAMEN *conscientiae*? 274
Q. 57. Dic : 1°) QUANDONAM et 2°) QUOMODO confessio sit *iteranda*? 275
Q. 58. *An* REPETENDA *sint* peccata, *eidem* confessario antea *historice* extra confessionem enarrata? 278
Q. 59. *An* debeas REPETERE confessionem, si, *peracta confes-*

sione, animadvertas confessarium ob *somnum* aut *distractionem* peccata aliqua non percepisse, et nescias qualia? . . 279
Q. 60 Dic : 1°) QUANDONAM *exigi* vel *permitti* possit confessio *generalis*; 2°) QUANDONAM sit *prohibenda*, et 3°) QUALIS *methodus* in ea sit servanda? . . . . . .

CAP. 5. De satisfactione sacramentali. Ubi de impositione et impletione poenitentiae, deque ejus effectibus.

Q. 61. Dic : 1°) *an* et 2°) sub *qua* OBLIGATIONE imponi debeat *poenitentia*? 280
Q. 62. Dic : 1°) *quid* et 2°) *quantum* pro POENITENTIA imponi debeat? 282
Q. 63. *An* 1°) opus *alias* DEBITUM imponi possit pro poenitentia; 2°) *quandonam* haec sit imponenda; 3°) utrum *eadem* pro nova absolutione imponi possit? 287
Q. 64. *An* possit imponi POENITENTIA : 1° sub) *conditione relapsus*; 2°) *publica*? 288
Q. 65. *An* 1°) poenitens *teneatur* ACCEPTARE poenitentiam; 2°) QUOMODO et 3°) QUANDONAM debeat illam *adimplere*? 289
Q. 66. *An* SATISFACIAT : 1°) qui poenitentiam implet *in mortali*; 2°) qui ponit opus praescriptum, poenitentiae *immemor*; 3°) qui memor obligationis *excludit* intentionem *satisfaciendi*? 291
Q. 67. *An* 1°) poenitens, *oblitus* poenitentiae injunctae, teneatur confessionem REPETERE, ut aliam accipiat; *an* 2°) possit SATISFACERE *per alium*? 293
Q. 68. Dic : 1°) A *quonam* et 2°) *quomodo* poenitentia possit COMMUTARI? 294
Q. 69. *Quinam* sint EFFECTUS satisfactionis *sacramentalis*? . 297

SECTIO TERTIA. — DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE.

CAP. 1. De potestate ministri. Ubi de jurisdictione et approbatione.

Q. 70. *Quisnam* sit 1°) MINISTER sacramenti poenit., et 2°) *quaenam* requirantur ad EXPEDITAM ejus potestatem? . . . 298
Q. 71. *Quid* 1°) sit JURISDICTIO sacramentalis : 2°) QUOTUPLEX, et 3°) QUINAM ea *potiantur*? 301
Q. 72. *Quomodo* acquiratur JURISDICTIO : 1°) *ordinaria*; 2°) *delegata*? 303
Q. 73. In *quibus* casibus Ecclesia censeatur SUPPLERE *defectum* jurisdictionis? 306
Q. 74. *Quid* 1°) sit APPROBATIO: 2°) *quotuplex* distinguatur: 3°) an sit *necessaria*; 4°) *cujusnam* episcopi requiratur; 5°) an possit *denegari*, *limitari* et *revocari*; 6°) quomodo *exspiret*? . 308

Q. 75. A *quonam* JURISDICTIONEM et APPROBATIONEM accipiant *Regulares?* 314
Q. 76. *Quid* in specie dicendum de Episcopi APPROBATIONE, qua indigent *regulares* quoad *saecularium* confessiones? . . . 315
Q. 77. A *quonam* jurisdictionem et approbationem accipiant RELIGIOSI *improprie dicti?* 317
Q. 78. *Quinam* CONFITERI possint : 1°) *regulares* : 2°) *moniales?* . "

CAP. 2. De restrictione jurisdictionis seu de casuum reservatione.

Q. 79. *Quid* 1°) sit RESERVATIO casuum; 2°) *quotuplex* distinguatur: 3°) *quaenam* sint CAUSAE seu FINES reservationis, et 4°) *qualis* sit INTERPRETATIONIS? 321
Q. 80. *Quot* 1°) MODIS reservari possit peccatum: et 2°) *quaenam* CONDITIONES requirantur, ut censeatur reservatum? . . . 323
Q. 81. *An* IGNORANTIA reservationis ab hac incurrenda *excuset?* 325
Q. 82. *An* a simplici confessario *absolvi* possit PEREGRINUS : 1°) si casus est reservatus tantum *in loco confessionis*; 2°) si est reservatus *in ipsius dioecesi*, non vero in loco confessionis? 329
Q. 83. QUID, *regulariter* loquendo, faciet *simplex* confessarius cum subdito peccatum *reservatum* confitente? 331
Q. 84. Dic : 1°) *quandonam* et 2°) *quomodo* simplex confessarius, carens facultate, absolvere possit a RESERVATIS, etiam *extra mortis periculum?* . . . . . "
Q. 85. *An* TOLLATUR reservatio, si confessione facta apud *habentem potestatem* in reservata, poenitens 1°) *sacrilege* confiteatur; 2°) *inculpabiliter* reservatum omittat? 334
Q. 86. *An* NOVA FACULTAS requiratur ad absolvendum poenitentem a peccato reservato, si, post gratiam postulatam, antequam absolvatur, in *idem* vel *norum* peccatum reservatum relabatur? . . . . . "
Q. 87. *Quam* POENAM incurrat, qui sine facultate scienter absolvit a casibus reservatis? 335
Q. 88. *Quotuplicis* generis sint casus PAPALES reservati? . . "
Q. 89. *Quotuplicis* generis sint casus EPISCOPALES? 337
Q. 90. *Quos* casus possint sibi reservare PRAELATI *regulares?* . "
Q. 91. A *quibus* casibus, de potestate *ordinaria*, possint ABSOLVERE : 1°) *episcopi;* 2°) *praelati regulares?* 338

CAP. 3. De abusu potestatis in confessario.

ART. I. De confessario absolvente complicem suum in peccato turpi.

Q. 92. *Quid* dicendum de confessario ABSOLVENTE complicem suum in peccato *turpi?* 340

ART. II. De confessario sollicitante ad turpia.

Q. 93. *Quid* sit SOLLICITATIO, quatenus ex jure ecclesiastico *denuntiationi* est obnoxia? 345
Q. 94 Dic : 1°) *cui* facienda sit DENUNTIATIO; 2°) *quomodo;* 3°) a *quibus* et 4°) sub qua *poena?* 350
Q. 95. *Quaenam* POENAE contra *sollicitantes* decernantur? . . 354
Q. 96. *An* EPISCOPUS ferre posset *statutum de denuntiando* sacerdotes, ad turpia sollicitantes, *absque relatione ad confessionem?* . . . . . "

CAP. 4. De munere confessoris.

Q. 97. *Quotuplex* sit MUNUS seu OFFICIUM confessoris? . . . "
Q. 98. *An* confessarius *teneatur* poenitentes *ignorantes* DOCERE? 355
Q. 99. Dic : 1°) *quandonam* et 2°) *quomodo* confessarius teneatur poenitentem INTERROGARE? 356
Q. 100. *Quid* agendum confessario : 1°) in dubio de *sinceritate* poenitentis; 2°) quando *novit* peccatum poenitentis, de quo non se accusat? 357
Q. 101. Dic : 1°) *An* et *qualis* CERTITUDO de dispositione poenitentis in confessario requiratur et sufficiat, ut eum, qua *judex*, rite absolvere queat? 2°) *Quis* ERROR speciatim hic sit notandus? 358
Q. 102. Dic : 1°) *Undenam* colliget confessarius legitimam poenitentis DISPOSITIONEM; et 2°) *quotupliciter* signa hujus dispositionis distinguantur? 359
Q. 103. *Quaenam* sint PRINCIPIA circa sententiam a confessario *ferendam?* 361

CAP. 5. De agendi ratione cum occasionariis, consuetudinariis et recidivis.

Q. 104. *Quis* proprie dicatur : 1°) OCCASIONARIUS; 2°) CONSUETUDINARIUS; 3°) RECIDIVUS? 363
Q. 105. *Quid* sit 1°) OCCASIO PECCATI; 2°) quomodo *differat* tum a PERICULO peccati, tum a CONSUETUDINE peccandi, et 3°) *quotupliciter* DISTINGUATUR? . . . . . "
Q. 106. *An* detur OBLIGATIO fugiendi occasionem *remotam* peccandi? 365
Q. 107. QUOMODO agendum : tum 1°) cum *consuetudinariis;* tum 2°) cum versantibus in *occasione proxima* peccandi mortaliter, si hi et illi nondum sint *recidivi?* . . . . . "
Q. 108. *An* ABSOLVI possint : 1°) *consuetudinarii;* 2°) *occasionarii*, si utrique sint *recidivi?* . . . . . "

CAP. 6. De obligatione ex parte confessarii supplendi defectus a se commissos.

Q. 109. *An* et *quomodo* confessarius teneatur SUPPLERE *defectus*, quos in officio *commisit?* 372

CAP. 7. De sigillo sacramentali.

Q. 110. *Quid* sit : 1°) SIGILLUM sacramentale; 2°) *quodnam* ejus FUNDAMENTUM; 3°) ex *quo* JURE oriatur ejus obligatio; 4°) *an* SEMPER obliget; 5°) *quale* peccatum sit ejus VIOLATIO? . . 374
Q. 111. *An* IN DUBIO favendum sit *sigillo*? 377
Q. 112. *Quodnam* sit OBJECTUM seu MATERIA *sigilli* sacramentalis? 378
Q. 113. *An* cadant sub SIGILLO : 1°) *virtutes* poenitentis, *revelationes*, aliaque divina *charismata;* 2°) *peccata in ipsa confessione admissa*, v. g. impatientiae, contumeliae in confessarium; 3°) peccata *publica;* 4°) ipsa facta *confessio*? 379
Q. 114. *Quinam* ad SIGILLUM *teneantur*? 380
Q. 115. *An* confessarius possit *loqui* cum suo *poenitente* de AUDITIS in confessione, absque ejus *licentia*? 381
Q. 116. *Quotuplici* MODO committatur sigilli *violatio*? . . 382
Q. 117. *In quo* USUS *scientiae*, ex confessione habitae, 1°) *differat* a sigilli VIOLATIONE, et 2°) an sit *licitus*? 383

DE EXTREMA UNCTIONE.

PRAEAMBULUM 386

CAP. 1. De quidditate extremae unctionis.

Q. 1. *Quid* 1°) sit EXTREMA UNCTIO; 2°) *undenam* illud NOMEN; 3°) *a quo* et *quandonam* fuerit INSTITUTA; et 4°) an *verum* sit SACRAMENTUM? 387

CAP. 2. De effectibus Extremae Unctionis.

Q. 2. *Quinam* sint EFFECTUS Extremae Unctionis? . . . 390
Q. 3. *An* per Extr. Unct. SANITAS CORPORALIS conferatur : 1°) *ex opere operato;* 2°) *infallibiliter*? 391
Q. 4. *Quandonam* E. U. PRODUCAT SUOS *effectus*? . . . 393

CAP. 3. De materia et forma Extr. Unctionis.

Q. 5. *Quaenam* sit MATERIA *remota* Extr. Unctionis : 1°) quoad *validitatem;* 2°) quoad *liceitatem*? 394
Q. 6. Dic : 1°) *quae* sit MATERIA *proxima* E. U.; 2°) *quaenam* ad eam requirantur de NECESSITATE *praecepti;* 3°) *quaenam* vero de NECESSITATE *sacramenti*? 396
Q. 7. *Quae* sit FORMA Extremae Unctionis? 399
Q. 8. *Quae* sint ESSENTIALIA in forma *latina*? . . . . .

CAP. 4. De Ministro Extremae Unctionis.

Q. 9. *Quis* sit MINISTER *validus* Extremae Unctionis? . . 401

Q. 10. *Quis* sit MINISTER *licitus* Extr. Unct.? 402
Q. 11. *Quale* peccatum sit : 1°) omittere *orationes* pro hoc sacramento in Rit. praescriptas; 2°) ministrare illud *sine vestibus sacris;* 3°) non adhibere *lumen* aut *ministrum;* 4°) invertere *ordinem* unctionum, vel omittere *cruces* in inungendo? . . »
Q. 12. *Quanta* sit OBLIGATIO ministrandi Extr. Unct.? . . . 403
Q. 13. *Ubinam* OLEUM infirmorum *asservandum* sit? 404

CAP. 5. De Subjecto Extremae Unctionis.

Q. 14. *Quis* sit SUBJECTUM E. U. *valide* suscipiendae? . . . . »
Q. 15. Dic : 1°) *an*, et 2°) *quandonam* E. U. ITERARI possit? . 407
Q. 16. *Quae* requirantur in SUBJECTO ad *licite* et *fructuose* recipiendam E. U.? . . . . . »
Q. 17. An *peccet* infirmus, *non recipiendo* hoc sacramentum? . 408

APPENDIX 1a.

CAP. UNIC. De visitatione et cura infirmorum. Ubi et de Benedictione Apostolica.

Q. 18. Dic : 1°) *an* parochi aliique, curam animarum habentes, teneantur VISITARE infirmos sibi concreditos; 2°) *quando;* 3°) *quoties* et 4°) *quosnam* praecipue? 409
Q. 19. *Quomodo* AGENDUM cum *infirmis*? 410
Q. 20. Dic : 1°) *quid* sit BENEDICTIO APOSTOLICA; 2°) *quinam* hanc DARE possint; 3°) *quo* RITU concedenda; 4°) *quibusnam* IMPERTIRI valeat; 5°) *an* possit ITERARI; 5°) *quae* CONDITIONES in recipiente requirantur? 412

APPENDIX 2a.

CAP. UNIC. De sepulturis et exsequiis.

Q. 21. *Cuinam* parocho competat JUS *sepeliendi* corpora fidelium? 419
Q. 22. *Cuinam* parocho COMPETAT de jure communi celebrare *exsequias*? 421
Q. 23. *Quaenam* servanda sint, tum de jure *ecclesiastico*, tum de jure *civili* : 1°) quoad *tempus;* 2°) quoad *locum* sepulturae? 423
Q. 24. *An* de jure *ecclesiastico* BENEDICTA esse debeat *terra*, in qua sepeliuntur corpora fidelium? 426
Q. 25. *Quibus* NEGANDA sit sepultura ecclesiastica? . . . 427
Q. 26. Dic : 1°) *quid* secum importet NEGATIO sepulturae ecclesiasticae; 2°) *utrum* hanc, *inconsulto Ordinario*, liceat NEGARE: 3°) *an* POENA haec, quoties canonice incurritur, sit *semper* servanda? 431
Q. 27. *An* POENAM incurrant, qui dant *indignis* sepulturam ecclesiasticam? 432

Q. 28. Dic : 1°) *quandonam* coemeterium POLLUATUR : 2°) *quandonam* EXSECRETUR, et 3°) *quomodo* RECONCILIETUR? . . 433
Q. 29. *An* CORPUS sepulturae traditum *exhumari* possit? . . 435
Q. 30. In *quos* FINES adhibeantur *exsequiae?* . . . . »
Q. 31. *Quae* circa EXSEQUIAS servanda sint? . . . . . »
Q. 32. *Quandonam* exsequiae fieri possint? 437
Q. 33. *Quandonam* prohibeatur MISSA *exsequialis?* 438
Q. 34. *An* LICITUM sit habere *sermonem* in laudem defuncti, pro quo missa exsequialis celebratur? 439
Q. 35. *An* liceat CATHOLICIS interesse *haereticorum* funeribus et sepulturae? . . . . . »

DE ORDINE.

PRAEAMBULUM. 440

PARS PRIMA.

DE ORDINE IN GENERE.

CAP. 1. Notiones praeviae.

Q. 1. *Quid* 1°) sit ORDO ; 2°) *an* NUMERUS Ordinum sit *definitus* ; 3°) *Quot* dentur ORDINES ; 4°) *quomodo* DISTINGUANTUR; et 5°) *ex quibus* constat *hierarchia ecclesiastica*? 441

CAP. 2. De veritate Sacramenti Ordinis.

Q. 2. Sitne Ordo *sacramentum*? 446
Q. 3. Sintne *omnes* Ordines SACRAMENTA? 448
Q. 4. *Quandonam* SACRAMENTUM Ordinis *institutum* sit? . . 453

CAP. 3. De effectibus Sacramenti Ordinis.

Q. 5. *Quinam* sint EFFECTUS sacramenti Ordinis? . . . . »
Q. 6. *An* Ordinis CHARACTER sacramentalis *alium* characterem *praesupponat?* 454
Q. 7. *An* CHARACTER Ordinis maneat in *haereticis* aliisque ab Ecclesia *separatis?* . . . . . »

CAP. 4. De ministro ordinationis.

Q. 8. *Quis* sit *ordinarius* MINISTER *validae* ordinationis? . . 455
Q. 9. *Quisnam* esse possit *validae* ordinationis MINISTER *extraordinarius?* 456
Q. 10. *Quis* sit ORDINIS minister *legitimus*, i. e. minister *licitae* ordinationis? 457
Q. 11. *Quotuplex* sit EPISCOPUS *proprius* respectu ordinandi? . 458

CAP. 5. De subjecto validae ac licitae ordinationis.

Q. 12. *Quodnam* sit SUBJECTUM *validae* ordinationis? . . . 461
Q. 13. *Quid* dicendum de ORDINATIONE *hermaphroditorum?* . 462
Q. 14. *Quodnam* sit SUBJECTUM *licitae* ordinationis? . . . 463
Q. 15. *Quid* dicendum de *requisitis* ex parte : 1°) DIVINAE VOCATIONIS ; 2°) STATUS GRATIAE; 3°) ANIMI CLERICANDI? . . . "
Q. 16. *Quid* dicendum de *requisitis* ex parte : 1°) CONFIRMATIONIS; 2°) EXERCITII ORDINIS SUSCEPTI; 3°) AETATIS; 4°) SCIENTIAE; 5°) TITULI; 6°) IMMUNITATIS *a censura et irregularitate;* 7°) EXERCITIORUM SPIRITUALIUM? 466
Q. 17. *Quid* dicendum de *requisitis* ex parte : 1°) INTERSTITIORUM; 2°) TEMPORIS; 3°) ORDINATIONIS PER GRADUS; 4°) LOCI; 5°) LEGITIMI EPISCOPI? 471

CAP. 6. De materia et forma Sacramenti Ordinis in communi.

Q. 18. *Quae* sint : 1°) MATERIAE et 2°) FORMA sacramenti Ordinis *in genere*? 476
Q. 19. *An*, saltem, in Ordinibus majoribus, MATERIAE *remotae* scilicet *calix* et *patena*, debeant esse proprie *ecclesiasticae* seu *sacrae?* . . . . . "
Q. 20. *Qualis* requiratur *contactus* materiae in ordinatione? . "

CAP. 7. De poenis male ordinantis et ordinati.

Q. 21. *Quas* POENAS incurrant male *ordinantes* et *ordinati*? . 479

PARS SECUNDA.

DE ORDINE IN SPECIE.

CAP. 1. De Sacerdotio minori seu de Presbyteratu.

Q. 22. *Quid* sit PRESBYTERATUS? 481
Q. 23. Dic : 1°) *undenam* PRESBYTERI sic vocentur, et 2°) *quomodo* adhuc appellentur? . . . . . "
Q. 24. *Quae* sit MATERIA *essentialis* presbyteratus? . . . 482
Q. 25. *Sufficiat*ne in Presbyteratu ALTERUTRUM ex instrumentis poni et tangi : seu *patenam cum hostia*, seu *calicem cum vino;* an vero *oporteat* tradere et tangere UTRUMQUE? . . . 484
Q. 26. Dic : 1°) *quotuplex* in presbyteratu distinguatur MANUUM IMPOSITIO; 2°) *quaenam* sit ESSENTIALIS?. . . . . "
Q. 27. *Quaenam* sint OFFICIA presbyterorum? 486
Q. 28. *Quanta* sit OBLIGATIO dicendi *tres missas* quas episcopus imponit neopresbyteris dicendas? 487
Q. 29. *An* NEOPRESBYTER pro missa, quam celebrat cum episcopo, possit accipere *stipendium*? . . . . . "

Q. 30. *Ad* QUID teneatur sacerdos vi *obedientiae*, quam episcopo in sua ordinatione promittit? 488

CAP. 2. De sacerdotio majori seu episcopatu.

Q. 31. *Quid* sit EPISCOPATUS? . . . . . »
Q. 32. *Quid* dicendum de MATERIA episcopatus? 489
Q. 33. Dic : 1°) *an* EPISCOPI *alio etiam nomine* primitus vocati sint; 2°) *an* sint *superiores* presbyteris; et 3°) *in quo* sit haec superioritas? 490
Q. 34. *Quaenam* requirantur ad episcopum *legitime constituendum?* 491
Q. 35. *An* liceat episcopatum *appetere?* 492
Q. 36. *Quae* sint OFFICIA episcoporum? 493

CAP. 3. De Diaconatu.

Q. 37. *Quid* sit *Diaconatus*? . . . . . »
Q. 38. *Quae* sint MATERIA et FORMA Diaconatus? . . . . »
Q. 39. *Quae* sint OFFICIA diaconorum? 494
Q. 40. *An* peccet MORTALITER diaconus, qui in statu peccati mortalis : 1°) *solemniter* baptizat; 2°) *eucharistiam* ex commissione distribuit; 3°) *munia* sua ad altare adimplet? 496
Q. 41. *Possit*ne *matrimonium* coram DIACONO celebrari? . . »
Q. 42. *Possit*ne DIACONUS in processionibus solemnibus corpus Christi per plateas *deferre?* 496

CAP. 4. De Subdiaconatu.

Q. 43. *Quid* sit SUBDIACONATUS? . . . . . »
Q. 44. *Quae* sint *materia* et *forma* SUBDIACONATUS? . . . »
Q. 45. *Quae* sint : 1°) *officia* et 2°) *obligationes* SUBDIACONORUM? 497

CAP. 5. De Ordinibus minoribus.

Q. 46. *Quid* sit OSTIARIATUS? . . . . . »
Q. 47. *Quae* sint *materia* et *forma* OSTIARIATUS? . . . »
Q. 48. *Quae* sint *officia* OSTIARIORUM? 498
Q. 49. *Quid* sit LECTORATUS? 499
Q. 50. *Quae* sint *materia* et *forma* LECTORATUS? . . . 500
Q. 51. *Quid* sit EXORCISTATUS? . . . . . »
Q. 52. *Quae* sint *materia* et *forma* EXORCISTATUS? . . . »
Q. 53. *Quid* sit ACOLYTHATUS? . . . . . »
Q. 54. *Quae* sint *materia* et *forma* ACOLYTHATUS? . . . 501
Q. 55. *An* in missa solemni possit ACOLYTHUS vices supplere *subdiaconi?* . . . . . »
Q. 56. *An* et *quanta* sit OBLIGATIO dicendi *preces*, quae imponuntur in collatione Ordinum tam *majorum*, quam *minorum*, necnon *tonsurae*? . . . . . »

APPENDIX.

De Tonsura.

CAP. UNIC. De quidditate, institutione, significatione, materia et forma, ac effectibus Tonsurae.

Q. 57. Dic : 1°) *quid* sit *clericalis* TONSURA et 2°) *quomodo* DIFFERAT a Tonsura *monastica?* 502
Q. 58. Dic : 1°) *quandonam* TONSURA fuerit instituta ; et 2°) *quaenam* sit ejus *significatio?* 503
Q. 59. *An* TONSURA habeat *materiam* et *formam?* . . . »
Q. 60. *Quinam* sint *effectus* TONSURAE? . . . . . »
Q. 61. *Undenam* sit NOMEN *clericorum?* . . . . . »
Q. 62. Quae sint *obligationes* clericorum? 504

250.8
H 152
V.3
26455
AUTHOR Haine A. J.J.F.
TITLE Theologiae moralis elementa ex S.

250.8
H 152
v. III
26455

GRADUATE THEOLOGICAL UNION
1962

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library